UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Usuris, & interesse, Pars II. de Cambiis, Pars III. de Censibus, Pars IV. de Societatibus Officiorum

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

urn:nbn:de:hbz:466:1-74112

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 466a.

m.

VI 24.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI,*

D. JOANNIS BAPTISTÆ, CARDINALIS

# DE LUCA,

# THEATRUM VERITATIS ET JUSTITIÆ,

SIVE

# DECISIVI DISCURSUS,

AD VERITATEM EDITI IN FORENSIBUS CONTROVERSIIS, CANONICIS ET CIVILIbus, in quibus in Vrbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit.

## TRACTATUS PRIMI

Pars I. de Usuris, & interesse, Pars II. de Cambiis, Pars III. de Censibus, Pars IV. de Societatibus Officiorum.

*Cum Indicibus Argumentorum, causarum ac rerum luculentissimis.*

OPUS TAM JUDICIBUS, QUAM CAUsarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro versantibus valde necessarium.




*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*

Sumptibus Societatis. Anno M.DC.LXXXXI.

*Cum Privilegio Sac. Cæs. Majest.*

# REV. CAMERÆ APOSTOLICÆ TRIBUNALI.

## JOANNES BAPTISTA DE LUCA FELICITATEM.

VSURAS necessarias exigere mutuatori lex prohibet, mutuatario verò pro accepti beneficii merito, & ex illa obligatione, quam nos Juristæ *Antidoralem* dicimus, voluntarias præstare nedum permittit, sed quodammodò præcipit; Cùm itaque in mea diuturna Advocationis negotiatione, ipsis meis laboribus editis ac edendis edocentibus, hoc AMPLISSIMUM TRIBUNAL ingens mihi fuerit mutuator, dum eorumdem laborum magna pars præsertim de FEUDIS & BULLA BARONUM, de REGALIBUS, ac de SERVITUTIBUS & UTROQUE RETRACTU, in ipso TRIBUNALI, vel in ejus filialibus Congregationibus BARONUM, MONTIUM, & COMPUTORUM tractata fuit: Ex dictæ obligationis impulsu, ne sim reus legum, quas aliis suadeo, hoc mei THEATRI volumen de USURIS, CAMBIIS, CENSIBUS, & SOCIETATE OFFICIORUM sub VESTRI nomine & tutela publicæ luci exhibeo, ut ita mei debiti ac obsequii usuras persolvam, beneficiorum cambium præstem, ac me censitum agnoscam.

# INDEX ARGUMENTORUM

## Quæ in hoc Libro de Usuris, & Interesse continentur.


Disc. I.

*Firmana.*

De contractu trino, seu de tribus contractibus, societatis, assecurationis sortis, & assecurationis lucri, An eodem tempore cum eadem persona celebrari possint; Et quid ubi dicti tres contractus non exprimuntur, sed datur simpliciter pecunia sub certo lucro; An subintelligantur pro eodem lucro sustinendo.

Disc. II.

*Tusculana societatis seu locationis.*

De Bulla Pii V. super prohibita societate animalium ad capitale salvum, an & quando locum habeat, necne. Et de eodem contractu trino, seu concursu trium contractuum, societatis, assecurationis sortis, & assecurationis lucri, quando substineatur. Et quid in contractu locationis, in quo conductor suscipiat in se casum seu periculum rei locatæ.

Disc. III.

*Romana nautici fœnoris.*

De nautico fœnore, seu cambio maritimo, quando & quomodo subsistat, necne, ad materiam & intellectum textus *in cap. naviganti de usuris*; Et quando dicatur continere societatem, & sic contractum diversum ab illo, de quo *in dicto cap. navigánti*.

Disc. IV.

*Romana locationis Venæ ferri.*

An & quando mixtura mutui veri, vel interpretativi reddat usurarium contractum locationis & conductionis, sive emptionis & venditionis, vel similem &c. Et quomodo in dictis contractibus locationis & conductionis, vel emptionis & venditionis cadat usura.

Et an mutuum necessarium, quia nempe promittat quis & se obliget certam summam mutuare, vel ab aliis mutuari facere, reddat licitas accessiones, vel aliud lucrum, & excuset ab usura.

Disc. V.

*Romana cessionis usurarum.*

An Christianus cessionarius Judæi exigere possit usuras Judaicas, quæ per ipsum Judæum cedentem à debitore invito, etiam in judicio exigi possent; Et an usuræ Judæorum excedere possint duplum sortis.

Disc. VI.

*Romana usurarum Iudaicarum.*

An Princeps sæcularis, vel etiam Summus Pontifex possit usuras Hebræis permittere, vel teneatur prohibere; Et quatenùs dicta promissio fieri valeat, An illarum reductioni seu moderationi locus esse debeat necnè; Et generaliter de ista materia usurarum Judaicarum earumque reductionibus de præterito.

Disc. VII.

*Romana Pignorum.*

An & quano usuræ Hebræorum exigi possint ultrà terminum 18 seu respectivè 21. mensium, intrà quorum spatium per capitula statutum est pignora vendi debere, ac usuras ampliùs non currere.

Et an bonis alienis per non Dominum oppignoratis, possit Dominus ea vindicare à bancherio Hebræo non restituta pecunia, pro qua oppignorata sunt, cum usuris.

Disc. VIII.

*Tyburtina Castri S. Angeli.*

De pacto legis commissoriæ, ut creditor, certo casu, vel conditione contingente remaneat pignoris Dominus, An & quando dicatur usurarium & invalidum, vel potius subsistat.

Disc. IX.

*Romana seu Reatina dotis.*

De contractu *antichresis*, & ut vulgò dicitur, *ad gaudendum*, An & quando dicatur validus vel respectivè fœneratitius. Et de effectibus exinde resultantibus imputationis fructuum in sortem ac aliis.

Disc. X.

*Romana fructuum census.*

De conclusione, quod ubi valor pignoris non excedit creditum, fructus non imputentur in sortem, sed creditor eos faciat suos, an & quando procedat.

Disc. XI.

*Prænestina simulationis contractus.*

De duplici contractu contemporaneè celebrato, emptionis & venditionis cum pacto redimendi, ac locationis & conductionis, quia nempe vendat quis rem suam alteri cum pacto redimendi, & unico contextu eam conducat sub annua pensione, qui contractus *livellarius*, seu vulgò *patto à franchire* dici solet, an censeatur licitus, vel potius usurarius.

Disc. XII.

*Savonen. Pecuniaria.*

De probatione solutionis usurarum facienda per debitorem, ad effectum illas imputandi, quomodò desideretur; Et de differentia probationis inter

inter casum Imputationis, & alterum repetitionis; Et an creditor licitè usuras retineat ratione interesse lucri cessantis; Et aliqua de compromisso super usuris, an fieri possit in laicum, sive laudum arbitri possit eas canonizare; Et quid de transactione super eisdem usuris inita; Et an utilitas debitori resultans ex mutuo reddat licitas accessiones.

Disc. XIII.

*Romana imputationis fructuum.*

An fructus, seu accessiones voluntariè & absque pacto solutæ pro credito pecuniario sint licitæ, ita ut non extenuent sortem, Et de circumstantiis dictam perceptionem licitam reddentibus.

Disc. XIV.

*Esina Census.*

De interesse damni emergentis, An & quando per credirorem à morosò debitore exigatur licitè & citrà usuram, etiam sine requisitis desideratis per *dec. 2. Mohed. de usuris.*

Disc. XV.

*Viterbien. Transactionis.*

An sint licitæ vel respectivè usurariæ accessiones, quas donator quantitatis donatario pendente solutione promisit, ac solvit. Et quid de accessionibus pro pretio alicujus mercemonii seu negotiationis, An & quandò intrent fructus recompensativi juxtà terminos textus *in l. curabit Cod. de action. empt.* Et an substineantur accessiones solutæ pupillo, vel minori per ejus majorem conjunctum, qui de jure esset, seu esse deberet ejus legitimus tutor, seu curator.

Disc. XVI.

*Fulginaten. Pecuniaria.*

De eadem materia discursus præcedentis, An scilicet & quando debeantur, seu in conventionem deduci possint fructus, vel accessiones pro pretio mercium, vel tabernæ ad terminos *in l. curabit C. de action. empti.*

Disc. XVII.

*Baren. Census.*

De eadem materia fructuum recompensativorum pro pretio rei venditæ ad terminos *text. in l. curabit C. de action. empti.* Et quatenus illi sint regulariter debiti, quia de pretio rei fructiferæ exigantur, An taxari possint ad majorem taxam seu rationem, quàm ipsius rei fructus importent, Et si solvantur in excessu, An & quando intret imputatio in sortem, eaque extincta competat repetitio indebitè soluti, Et de differentia imputationis & repetitionis indebiti, & an in hoc bona fides creditoris seu justa credulitas excuset. Et quid si pro pretio constituatur census sed nulliter, an debeantur fructus tamquam damna & interesse, & ad quam rationem.

Disc. XVIII.

*Lucana.*

An & quandò fructus vel usuræ conventæ pendente solutione pretii rei fructiferæ, possint excedere ipsius rei fructus. Et quid ubi de tempore conventionis adæquarent, sed postea accidentaliter ipsius rei fructus diminuti sunt.

Disc. XIX.

*Senen. seu Florentina.*

An interesse per emptorem debitum ratione pretii non soluti excedere possit ipsius rei venditæ fructus; Et quid ubi emptor non est in mora.

Disc. XX.

*Esina Fructuum.*

De eodem puncto, An fructus debiti per emptorem pendente solutione pretii excedere possint, tanquam damna & interesse, fructus ipsius rei, quia nempè conventum fuerit, ut ex pretio extinguerentur census, vel alia debita usuraria venditoris ad majorem rationem; Et quid ubi emptor justam non solvendi causam habuit, ob litem, vel molestias sibi illatas.

Disc. XXI.

*Neapolitana Pecuniaria.*

De fructibus recompensativis pro pretio rei fructiferæ, An possint à principio conveniri & taxari ad certam summam, Et quandò hæc dicatur justa, vel excessiva.

Disc. XXII.

*Ravennaten. Fructuum.*

An fructus recompensativi debiti ex æquitate *l. curabit* pendente solutione pretii rei fructiferæ, debeantur, si emptor per Judicis sequestrum, vel inhibitionem impeditus fuit nè solveret.

Disc. XXIII.

*Senen. Fructuum.*

An emptor, in cujus facultate positum fuit, post lapsum certum terminum conventionalem deponere pretium penes publicum officialem, vel etiam penes se ipsum tanquam depositarium ad sui electionem, cum pacto, ut etiam in casu electionis de se ipso, ad aliquos fructus non teneatur, remaneat à dictorum fructuum cursu liberatus, eo ipso quod dictus terminus expiravit, absque alia interpellatione, vel declaratione quod retineret in titulum depositi.

Disc. XXIV.

*Pistorien. Fructuum.*

Demandata per judicem adjudicatione aliquorum bonorum debitoris ad favorem creditoris, si posteà idem debitor, vel ejus hæres eadem bona vendat dilata solutione pretii sub conditione fructuum recompensativorum, An isti debeantur creditori, vel potius cedant ad commodum debitoris ejusque hæreditatis.

Disc. XXV.

*Romana Interfuriorum.*

An & quando emptori debeantur fructus recompensativi ad terminos *l. curabit* pro pretio soluto venditori, qui rem non tradidit.

Disc. XXVI.

*Romana Pacti.*

An valeat, vel potiùs usurarium censendum sit pactum, per quod emens rem fructiferam dilata pretii solutione sub conventione fructuum recompensativorum, prohibeatur ad certum tempus restituere sortem, atque se eximere à dictis fructibus; Et aliqua de fructibus prædiorum urba-

urbanorum, quomodò illi calculandi sint, ad effectũ regulandi fructus recompensativos pretii.

Disc. XXVII.

*Romana Fructuum.*

Si emptor deposuit pretium, & deinde ex nova conventione illud in toto vel in parte ad eum pervenit ex causa depositi, An pro eo tempore, quo habuit pretium in manibus, teneatur ad usuras recompensativas; Et aliqua de taxa fructuum bonorum feudajium, vel jurisdictionalium discretivè ab allodialibus.

Disc. XXVIII.

*Nepesina.*

An conveniri possit de fructibus recompensativis pendente solutione quantitatis promissæ per transactionem initam ratione litis vertentis super bonis stabilibus fructiferis.

Disc. XXIX.

*Marsicana Legati.*

An & quandò pro legato quantitatis debeantur per hæredem morosum usuræ seu accessiones, præsertim ubi agitur de legato ad favorem Ecclesiæ vel piæ causæ, Et quando in his legatis intret ratio interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.

Disc. XXX.

*Neapolitana Legati.*

De eadem materia usurarum, seu fructuum pro legato quantitatis ad favorem Ecclesiæ, vel piæ causæ, Et quatenus non debeantur, an de facto & voluntariè soluti ipsius Ecclesiæ Administratoribus imputentur in sortem ad effectum illam extenuandi necnè.

Disc. XXXI.

*Florentina fructuum legati.*

De usuris legati consistentis in quantitate, An debeantur legatario conditionali, cujus jus ex subsequutis resolutum sit, si pecunia interim fuerit per hæredem investita in bona fructifera.

Disc. XXXII.

*Taurinen.*

Donatore reservante certam pecuniarum quantitatem à donatario sibi, vel alteri solvendam, an possit conveniri de usuris, vel accessionibus, dictæ pecuniæ solutionis pendente præstandis, & an licitè exigi possint, quod influit etiam ad materiam fructuum recompensativorum.

Disc. XXXIII.

*Ianuen.*

De eadem materia usurarum ex legato, An debeantur, ubi agitur de legato facto per patrem filiæ vel nepti in causam dotis præstandæ tempore nuptiarum.

Disc. XXXIV.

*Hortana Spolii.*

De requisitis ad damna & interesse passa per fidejussorem petentem illorum refectionem à principali debitore, & quandò fidejussor possit sumere pecuniam sub usuras vel ad interesse in damnum principalis.

Disc. XXXV.

*Papien. Pecuniaria.*

De transactione super usuris, An & quandò attendatur in præjudicium ipsius transigentis; Et quid in præjudicium tertii, puta secundi creditoris opponentis creditori anteriori extinctionem debiti cum imputatione usurarum; Et aliqua de interesse damni emergentis.

Disc. XXXVI.

*Romana Sponsionis.*

An dicatur usurarius contractus, per quem dentur bona, sub obligatione solvendi eorum valorem in duplo, seu aliàs excessivè, quando emptor uxorem duxerit, seu aliquam dignitatem obtinuerit, quodque aliàs ad nihil teneatur; Et quatenus contractus non sit usurarius, An & quando ex alia ratione sit infectus, & prohibitus, Et generaliter de materia sponsionum.

# INDEX CAVSARVM

## Hoc Titulo de Usuris, & Intereſſe, ordine alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.


B

BAren. cenſus, diſc. 17, fol. 46.

E

ESina cenſus, diſc. 14. fol. 38.
Fructuum, diſc. 20. fol. 55.

F

FIrmana, diſc. 1. fol. 1.
Florentina fructuum legati, diſcurſ. 31. fol. 76.
Fulginaten. pecuniaria, diſc. 16. fol. 43.

H

HOrtana ſpolii, diſc. 35. fol. 81.

I

JAnuen. diſc. 33. fol. 80.

L

LUcana, diſc. 18. fol. 50.

M

MArſicana legati, diſc. 29. fol. 72.

N

NEapolitana legati, diſcurſ. 30. fol. 74.
Pecuniaria, diſc. 21. fol. 57.
Nepeſina, diſc. 28. fol. 70.

P

PApien. pecuniaria, diſcurſ. 35. fol. 83.
Piſtorien. fructuum, diſc. 24. fol. 65.
Prænestina ſimulationis contractus, diſc. 11. fol. 27.

R

RAvennaten. fructuum, diſcurſ. 22. fol. 59.
Romana ceſſionis uſurarum, diſcur. 5. fol. 12.
Fructuum, diſc. 27. fol. 68.
Fructuum cenſus, diſc. 10. fol. 25.
Imputationis fructuum, diſcurſ. 13. fol. 37.
Locationis venæ ferri, diſcurſ. 4. fol. 10.
Interuſuriorum, diſc. 25. fol. 65.


Nau-

Nautici fœnoris, disc.3. fol.8.
Pacti, disc.26. fol.68.
Pignorum, disc.7. fol.18.
Seu Reatina dotis, disc 9. fol. 23.
Sponsionis, disc.36. fol.86.
Usurarum Judaicarum, disc.6. fol.15.

S.

SEnen. seu Florentina, discurs. 19. fol. 53.
Fructuum, disc.23. fol.61.
Savonen. pecuniaria, disc.12. fol.29.

T

TAurinen. disc.32. fol.78.
Tyburtina Castri S. Angeli, disc. 8. fol.21.
Tusculana societatis seu locationis, disc.2. fol.5.

V

VIterbien. transactionis, discurs. 15. fol.41.

# DE USURIS ET INTERESSE

## DISCURSUS PRIMUS.

## FIRMANA PRO PAITINIS CUM BENETTIS.

*Discursus arbitramentalis pro veritate.*

De Contractu trino, seu de tribus Contractibus, Societatis, Assecurationis sortis, & Assecurationis lucri, An eodem tempore, cum eadem persona celebrari possit; Et quid, ubi dicti tres contractus non exprimuntur, sed datur simpliciter pecunia sub certo lucro; An subintelligantur pro eodem lucro substinendo?

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Ex pecunia non dantur accessiones.*
3 *De contractu trino, seu triplici contractu, societatis, & duplicis assecurationis sortis & fructuum, quòd valeat.*
4 *Non est necessaria explicita conventio dictorum trium contractuum, sed sufficit implicita.*
5 *De conclusione de qua num. 3. quòd non valeat.*
6 *In materia usuraria, aliisque materiis fori externi, Canonistis potiùs, quàm Moralibus est deferendum.*
7 *Dicti contractus ex sensu Rotæ substinentur ex intervallo.*
8 *Decisiones Rotæ non attenduntur in eo, quod dicunt incidenter.*
9 *Minusque allegari possunt pro decisionibus, ubi pendet revisio.*
10 *De* cons. 520. Romani *ut sic receptum.*
11 *Expenditur* cap. per vestras, de donat. inter vir. & uxor.
12 *Quando procedat opinio Moralium, de qua num. 3.*
13 *De differentia inter forum internum, & externum in materia usuraria.*
14 *De differentia inter casum, in quo dicti tres contractus explicitè deducantur, & quando tacitè.*
15 *Major urget suspicio, ubi dicti contractus fiunt super pecunia, quàm si super animalibus, & aliis rebus.*
16 *Etiam in casu, quo dicta conventio trium contractuum sit licita, requiritur congrua recompensa assecurationis.*
17 *An observantiæ, & consuetudini sit deferendum in hac materia.*
18 *Quando dispositio* text. in cap. per vestras *locum habeat, Et an favor alimentorum in hoc operetur.*
19 *De contractu, per quem dat quis alteri pecuniam ad eam traficandam, & girandum super cambiis.*
20 *Quando substineantur tres contractus prædicti etiam in sensu Canonistarum.*

## DISC. I.

1 ANtonius Benettus Bergomensis in Urbe negotiator, de annis respectivè, 1613, 1616, 1625, & 1640, plures dedit pecuniarum summas Aurelio, & Joanni Baptistæ fratribus de Paitinis, pariter Bergomensibus, ejusque attinentibus, in Civitate Firmana negotiatoribus, ut illas eorum risico traficantes sibi responderent de lucro ad rationem quinque pro quolibet centenario & anno; Mortuis autem, tam dante, quàm recipientibus, inter eorum hæredes ortæ fuerunt controversiæ super capitalium restitutione, ac respectivè fructibus, seu lucris, prærendentibus hæredibus recipientium, nedum ad aliqua lucra, quæ debenda remanebant, non teneri, verùm etiam cum solutis utpote usurariis, ipsam sortem extinctam esse, potissimè, quia supponebatur, aliquam notabilem dictæ pecuniæ partem, vel ob decoctionem debitorum & corresponsalium, vel ob alia accidentia periisse, atque, ut vulgò inter negotiatores dicitur, jàm risicum incurrisse. Unde benevolè agentes, dictas controversias oretenùs compromiserunt in utriusque partis respectivè Advocatos pro veritate examinandas, quorum unus ego fui ex parte dictorum de Paitinis electus.

In congressu igitur habito cum altero Advocato electo ex parte creditorum, non dubitabatur
2 de principio in Romana Curia absoluto, quod ex pecunia tanquam de sui naturâ sterili, nullum lucrum, nullaque accessio percipi potest extrà usuram, non dato legitimo titulo lucrorum seù accessionum justificativo, quo cessante, cùm mutuum debeat esse gratuitum, omnisque accessio usuraria dicatur, exindè de plano resultat, ut quicquid in earum causam solutum esset, in sortem imputandum sit.

Credebat tamen alter Advocatus adesse titulum dictarum accessionum justificativum, quem
3 *trinum* Canonistæ & Morales nuncupare solent, resultantem ex concursu trium contractuum, Primò scilicet societatis, in quâ unus ponat pecuniam, alter operam, Secundò assecurationis sortis principalis, quam pecuniæ receptor faciat, Et tertiò assecurationis certi lucri, quàm idem receptor, qui pecuniam negotiaturus est, pariter faciat ad tollendas contentiones super rationum redditione ac lucrorum quantitate; Quam contrahendi speciem licitam esse, quamvis cum eadem persona ab initio, & contemporaneè fiant, post *Major.* quem omnes in antesignanum allegant, tenent *Navarr. in manual. cap. 17. num. 254. & in cap. si fœneraberis 14. notab. num. 32. & seqq.* ubi latè hanc opinionem ab impugnationibus *Soti* & *Cajetani* tueri conatur, & sequuntur plenè *Lessius de just. & jur. par. 2. cap. 25. num. 22. cum seqq. Bonacin. de contract. disput. 3. q. 3. puncto 11. num. 2. Diana par. 1. tract. 8. de contract. resolut. 30. De Lugo de just. & jur. disput. 30. num. 40. & seqq.*, plenè *Scaccia de Cambiis §. 3. glos. 3 num. 36. & seqq.* multos colligit *Carleval. de judic. tom. 2. disput. 7. numer. 17.*, & omnium latiùs *Giballin. de usuris lib. 6. cap. 3. & seqq.* qui nedum illum librum, sed totum opus de usuris istorum trium contractuum occasione composuisse profitetur pro substinendo usu fori Lugdunensis super eorum contemporaneo concursu, atque cum eis (præter stylum) articulo non examinato, pertransire videtur *Leotar. de usuris q. 31. numer. 13.*; Idemque agit Rota, seù verius decisionis extensor *in Viterbien. transactionis 4. Junij 1663. coram Taja*, de qua causa habetur etiam actum *hoc tit. disc. 15.*

Et licèt pro eadem opinione aliqui ex præfatis modernis allegare etiam soleant *Covarr. lib. 3. var. cap. num. 4.* vers. *tertia conclusio*, nihilominus non videtur ista auctoritas desuper attendenda, cùm percutiat solùm duos primos contractus, nempè societatis, & assecurationis sortis principalis, non descendit autem ad tertiam assecurationis certi lucri, in qua major est difficultas, ac propriè residet usuriæ suspicio, idemque est sensus *Manticæ de tacit. lib 6. tit. 6 num. 4. & 5. & 11.* & sic ubi duo tantum non autem tres contractus concurrunt.

Et quamvis ego replicarem, inanem videri laborem assumendi hujus assumpti veritatem in puncto juris, dum quæstio cessabat ex facto, quia in apocis, vel respectivè epistolis nulla de his mentio
4 habebatur, sed solùm dicebatur dari pecuniam ad traficandum eorum risico cum lucro, quod negotiatores *meritum* dicunt, ad rationem quinque pro centenario: Replicabat tamen idem Advocatus, ex eisdem auctoritatibus suprà allegatis, præcisè necessarium non esse, ut id exprimatur, sed sufficere, ut implicitè hujusmodi contrahendi forma contineatur, ut per *Navarr.*, *Less.*, *Giballin. & alios*, de quibus supra, ac etiam *Carleval. loc. cit. num. 21.*

His non obstantibus, contrarium in hac facti specie mihi verius videbatur, quoniam hoc admisso, nunquam daretur casus usuræ, atque sem- 5
per mutuator ex pecunia certum lucrum reportare posset, Ad id sentiendum innixus, nedum dictæ rationi, sed etiam auctoritati antiquorum gravium Canonistarum, cum quibus etiam moderni præsertim forenses pertranseunt.

Ut in specialibus terminis conventionis, per quam unus dicat contrahere cum altero societatem, in qua unus ponat pecuniam, alter operam sub pacto seù obligatione restituendi sortem, ac solvendi singulis annis certam & uniformem quantitatem pecuniæ sub nomine lucri, quia in effectu est mutuum sub hoc speciosо vocabulo palliatum, firmat *Gloss. magistralis in cap. plerique* verbo *negotiatores 14. quæst. 3.*, cum qua pertranseunt *Roman. cons. 238. num. 7. & 8.*, *cons. 500. num. 11.*, & magis ex professo *cons. 520. num. 3. & 7. cum seqq.* quod reputatur in materia magistrale, *Anania cons. 92. in principio*, ibique *Bolognin. in addit.*, *Bald. in l. 1. Cod. pro socio*, benè *Abbas cons. 114. num. 1. par. 2.*, *& in repetitione cap. per vestras num. 8.*, firmissimè *Ruin. cons. 102. lib. 1. num. 1. & per tot.* ubi in fine dicit hanc esse veritatem, contra quam requisitus scribere noluit, *plenè Conrad. de contract. tra. 7. q. 97. Lopes in repet. cap. per vestras notab. 6. §. 11.*, *& præsertim num. 6.* ubi pertransit cum *gloss.*, *Romano*, *Anania*, *& aliis*; *Sarmient. selectarum interpretationum lib. 7. cap. 1. num. 7. & seqq.* benè & latè *Parlador. lib. 2. rerum quotidianarum cap. 2. num. 9. cum seqq. Turre. de cambiis disp. 3. q. 10. Felic. de societate cap. 19.*, ubi *num. 14. & seqq.* relatis opinione & fundamentis *Navarri*, *ex num. 16. & seqq.* impugnat, tenendo opinionem *Soti*; Et ex moralibus, ultrà *Cajetanum* per omnes allegatum quem tunc occasio non dedit videndi, *Sotus de just. & jur. lib. 6. q. 6. art. 2. Azor. instit. moral. par. 3. lib. 9. cap. 3. q. 8.* & cæteri relati per allegatos, præsertim per *Carleval d. disp. 7. num. 16.* & per *Giballin.*, qui omnium latius & ex professo hujusmodi articulum pertractare profitetur, ac etiam per *Leotar. d. q. 31. num. 12.*

Attentis igitur auctoritatibus; dicebam, quòd cùm nos essemus Arbitri, partes judicis fori externi 6
explicantes, sequi debebamus opinionem potius Canonistarum, quibus in omni materia forensi, & quoad forum externum magis deferendum esse, quàm Theologis, firmant, cæteris collectis, *Mantica de tacitis lib. 2. tit. 1. num. 58. in fine*, *Lotter. de benef. lib. 3. quæst. 7. num. 99. & seqq.* & in specialibus terminis materiæ usurariæ firmant *Ancharan.*, *Anania*, *Dec.*, & cæteri relati per *Mantic. eod. num. 58. in princ.* & per Rotam *dec. 52. num. 13. p. 7. rec.*

Atque cum prædictis auctoritatibus annecti etiam potest illa Rotæ apud *Millin. dec. 186. 201. & 212.*, quarum prima est repetita *post 2. volum. cons. Farinac. dec. 137.*, ubi expendendo *Constitutionem 45. Sixti V.* super prohibita societate ad capitale 7
salvum, quam registrat etiam *Leotar. d. qu. 31. num. 10.* advertitur, conventionem super certa taxa seù quantitate lucri, in societate substineri ex intervallo, sive etiam contemporaneè, & ab initio, absque tamen assecuratione sortis à periculo, itaut juxtà sensum *Covarr.* ubi supra, duorum tantùm non autem trium contractuum prædictorum simultaneus concursus intercedat, & sic, vel societas cum primo contractu assecurationis sortis, absque tamen aliqua assecuratione certi lucri, vel subjacente sorte periculo, juxtà societatis naturam, fiat

so-

solùm taxa lucri, eo modo, quo praxis docet in societatibus officii, ut infrà in sua materia, secùs autem insimul concurrentibus utraque assecuratione sortis & lucri certi, cùm tunc, ut suprà insinuatum est, usurarum prohibitio, aliàs remaneret merè verbalis, atque diceretur lex imposita verbis & non rebus, cùm quodcumque simplex mutuum usurarium ità palliari posset.

Neque dicebam aliquam habendam esse rationem de dicta decisione *Viterbien. transactionis* 4. *Maij* 1663. *coram Taja*, quoniam, ut mihi in ea causa scribenti innotescebat, & patet ex eadem, de qua *hoc tit. disc.* 15. de hoc articulo disputatum non fuit, sed alia erant fundamenta creditoris accessiones percipientis, cujus partes ego substinebam, ideoque dici non potest Rotæ decisio, qualis dicitur in iis, quæ principaliter in disputationem deducta sunt, non autem in aliis; quæ, vel incidenter, vel ex sensu extensoris ad decisionis ornatum de-
8 ducuntur, ut perpetuò eadem Rota protestata est apud *Seraph. decis.* 299. *in fine*, *decis.* 17. *num.* 9. *par. recent.*, *decis.* 185. *nu.* 12. *par.* 9. *&* 196. *nu.* 38. *p.* 21. *& in aliis.*

Potissimè quia adversus dictam decisionem ut patet *ex dicto disc.* 15. etiam super puncto ibi principaliter deciso, concessa fuit nova audientia, & repropositi causa, ob difficultates habitas, nulla capta fuit resolutio, quod concordiæ occasionem dedit, ideòque allegari non potest pro decisione illa, cujus revisio pendet, fortiùs verò, ubi in revisione habita fuit difficultas, ut advertitur *dec.* 405. *num.* 54. *par.* 5. *rec. in Romana successionis de*
9 *Capizucchis* 3. *Decemb.* 1633. *coràm Motmanno*, *in Albanen. pensionis* 4. *Decembris* 1658. *Priolo*, *& in aliis*, quia de stylo est receptissimum. Et reverà id fuit obiter insinuatum, cùm in Rota receptissimum
10 sit *dictum cons.* 520. *Romani*, ut apud *Cas. de Grassis decis.* 1. *num.* 2. *de usuris*, *apud Vbald. decis.* 118. *num.* 7. *in fine* aliàs *decis.* 372. *post* 2. *volum. consil. Farinac.*, & in aliis; Atque *in Romana pecuniaria de Mattheis*, in qua adest decisio 8. *Iunij* 1665. *coram Alberg.* illud habitum fuit pro absoluto, accessionum autem licita perceptio ex aliis fundamentis in dicta decisione substinetur, licèt non sine difficultate.

Et quidem fatuæ essent tot quæstiones, de quibus *hoc eodem titulo*, ac illo *de cambiis*, ac etiam in aliis *de dote*, *& de censibus*, super justificatione accessionum ratione lucri cessantis, vel damni emergentis cum suis requisitis, vel super fructibus recompensativis, aut dotalibus, certis tantùm casibus debendis, sivè super cambiorum realitate cum similibus, si hac via mediante, mutuator ex pecunia ità simplicitèr data sine periculo sortis, de certo, & uniformi lucro ab initio taxato certus reddi potest.

Examinando item fundamenta, seù rationes, quibus *Navarri* & sequacium opinio innititur, ex eisdem convinci dicebam dictæ opinionis insub-
11 sistentiam, cùm illa principaliter innitatur dispositioni textus *in cap. per vestras de donat. inter virum & uxorem*, ubi cum dicatur pecuniam dari posse alicui idoneo negotiatori, ut exindè aliquod lucrum obtineri valeat, inferunt propterea, ità per Decretalem supponi certitudinem lucri; Verùm hæc est fallacia manifesta, quoniam idoneitas, quam exigit textus, percutit statum & vires ipsius negotiatoris, ad evitandum periculum amissionis sortis ob istius decoctionem, vel insufficientiam; Non indè tamen inferri potest ad certitudinem lucri uniformis, atque in uniformi quantitate taxati, minusque ad assecurationem à periculis, & eventualitatibus negotiationis, quoniam nunquam fuit sensus Decretalis id disponere, ut præceteris benè advertit *Lopez* aliàs *Lupus in eod. cap. per vestras* §. 6. *notab.* 11., quoniam ut dictum est, actum aliàs esset de usuraria materia, prorsusque fatuæ, & inanes remanerent tot quæstiones.

Opinio autem prædicta Moralium, cum quibus non benè pertransit aliquis forensis, ut est præser-
12 tim *Scaccia*, qui latè eam substinere studet, practicabilis est (licèt adhùc satis rarò & difficilè) in foro interno, in quo animus & propositum omnia distinguunt, solaque intentio spectatur, unde dari potest sincera intentio aliena ab animo depravato fœnerandi, ac palliandi mutuum sub hujusmodi contractibus, cum quo sinceræ intentionis præsuppositio procedunt omnes dictam opinionem tenentes; Verùm id impracticabile est in foro externo, in quo non judicatur de internis, quæ soli Deo patent, sed proceditur cum actis & probatis; Atque ut etiam advertitur *in Rom. nautici fœneris hoc eod. tit. disc.* 3. ac etiam *in Romana cambiorum de Valentibus sub titulo de cambiis disc.* 1., & in compendio contractus societatis officiorum *eo titulo* hæc est potissima ratio, ob quam in foro externo nullatenùs deferendum videtur Moralibus, quibus tamen multum, ac omninò deferendum in interno, in quo econversò Canonistæ forenses non debent se ingerere, sed quilibet manus apponere debet in propria messe, quoniam proceditur per omninò diversa media; Ubi enim cre-
13 ditor in foro externo justificat, putà realitatem cambiorum cum litteris, seù spacciis, vel interesse lucri cessantis vel dàni emergentis cum suis requisitis non attenditur, an bonam vel malam habuerit intentionem, & an ità sub hujusmodi pallio faceret mutuum usurarium, nisi id probetur; Econversò si legitimæ justificationes non accedunt, nihil refert, quòd mutuator, qui ex creditopecuniario accessiones exegit, vel exigere velit, reverà in animo fuerit S. Joannes Baptista, vel S. Hilarion. Quod econversò principaliter inspiciunt, & benè Morales, quia in eo est Judex Deus, qui videt corda. Unde si creditor illas accessiones, quæ de juris rigore essent verè illicitæ, & usurariæ, credens licitas sub bona fide consumat, concors est Moralium sententia, & quidem probabiliter, cessante existentia vera, vel æquipollenti, illum in conscientia excusari à restitutione, vel imputatione in sortem, quoniam stante bona fide, & sincera intentione aliàs non percepisset, neque consumpsisset, sed hoc in foro externo absque dubio fabulæ speciem haberet, quia si constat, creditorem illicitas, & usurarias accessiones percepisse, intrat de plano imputatio in sortem, vel repetitio, non curatis moribus, & timorata conscientia percipientis, cùm hujusmodi & similes circumstantiæ rectè considerabiles videantur in ordine evitandi pœnas, quæ contra usurarios, tam in vita, quàm in morte habentur in jure præscriptæ, non autem ut usuras retineat.

Præterea ad summum dicta prima opinio *Navarri*, & Moralium in foro substentari posset, quando expressè præfati tres contractus publicè, & palam initi essent, juxta casum, de quo *in Tusculana disc. seq.* quatenus tamen alia concurrant requisita illorum justificativa; Licèt enim dicta expres-
14 sio, ac publicitas, solùm, & de per se non sufficiant, Attamen magnum præbent sinceritatis, & bonæ fidei argumentum, sicuti econversò clandestinitas argumentum præbet depravatæ intentionis fœnerandi, atque fraudandi usuras,

ut advertitur *in Savonen. hoc tit. disc.* 12. Et habemus à simili in creditore publicè, & palàm emente pignus, vel id faciente occultè sub simulato nomine alterius ad *text. in l. & qui sub imagine Cod. de distract. pignor.* cum ibi notatis, sivè de Tutore, Administratore, Officiali, & similibus prohibitis &c.; Et consequenter magnus videtur exorbitantiarum, & specialitatum cumulus, ut dicebam, nunquam in foro admittendus, quod dare velimus licitum concursum simultaneum, seu contemporaneum, & ab initio dictorum trium contractuum, quòdque admittenda sit eorum tacita, & subintellecta conventio in actu, per quem mutuator ita simpliciter det pecuniam, quoniam, ut insinuatum est, ita usurarius, neque in civilibus, neque in criminalibus nunquam convinci posset, neque daretur casus, in quo verificetur usura.

Cæterùm, ubi etiam generaliter, & in abstracto dicta prima opinio recipienda esset, ubi agitur de mercibus vel animalibus, juxta casum, de quo *disc. sequenti*, vel similem; Attamen ubi agitur de pecu-
15 nia ita manualiter data, id videtur impracticabile, tum quia concurrit mutuum expressum & verum, cùm in aliis casibus obstet solùm mutuum interpretativum, vel subintellectum; Ac etiam concurrit major facilitas, seu suspicio usuræ ratione subjectæ materiæ, ob ejus usus promptitudinem pro indigentiis suffocati mutuatarii, ideoque magis urget suspicio usuræ.

Tum etiam, quia in sensu omnium dictam opinionem tenentium requiritur, quòd lucrum verisimiliter speratum à socio, seu mutuatario assecu-
16 ratore, importet congruam, seu condignam mercedem utriusque assecurationis sortis & lucri, adeò ut etiam à tertio non mutuatario, neque pecunia indigente, eadem conditio de facili obineretur, ut præsertim advertit *Scaccia, ubi supra, num.* 38. *vers. secundò respondeo.* Et patet *ex Lessio in argumento dicti cap.* 25. ubi ponit casum assecurationis parvi lucri ex magno seu maximo sperato, atque cum hoc præsuppositio procedunt cæteri, potissimùm verò *Leotar. dict. cap.* 31. qui, ut patet ex toto discursu, eatenus in hanc sententiam descendit, quatenùs clarè istud requisitum verificetur, cùm de jure prohibitæ non sint assecurationes sub congrua mercede, ut passim habemus in assecurationibus navium, ac etiam in iis, qui pro aliis fidejubeant, seu cedulas bancarias faciunt, juxta casum, de quo *in dicta Romana cambiorum de Valentibus, hoc tit. de cambiis disc.* 1, *vel* 2.

Hoc autem impracticabile videtur in lucro retrahendo ex pecunia numerata, quoniam ad effectum, ut creditor seu mutuator, assecuratus tam de sorte, quàm de lucro, obtineat quinque pro centenario, oporteret dare luctum in plusquam 40. pro centenario, dum ex lucro detrahere priùs oportet portionem quodammodò colonicam debitam ipsi mutuatario, tanquam socio ponenti operas pro istarum congrua, & proportionata remuneratione; deinde verò, de eo quod supereset ad commodum creditoris, tanquam species portionis dominicalis, detrahenda est magna & notabilis quantitas, quæ verisimiliter sit congrua merx dictæ duplicis assecurationis, etiam à quolibet tertio negotiatore facienda, quod videtur impracticabile.

Insistebat alter Advocatus in communi usu Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ, ac etiam Italiæ, per dictos Morales attestato, & in quo præsertim magnum fundamentum constituit *Giballin.* hujusmodi contrahendi formulæ major defensor; Sed hoc argumentum apud me versantem in Romana Curia, atque in judicando cum ejus opinionibus procedere debentem in hac materia ecclesiastica, utpote 17
totius Orbis Metropoli in ecclesiasticis & spiritualibus, nullam faciebat impressionem, quoniam de facto videmus in plerisque Regnis & Provinciis, usu non recipi in censibus *Bullam Pii V.* ejusque formam non servari; Sive substineri conventiones ab initio de certo lucro, seu certa accessione, ratione interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, etiam non probatis in specie solitis requisitis, ut practicatur in Regno Neapolitano, & alibi, & tamen in istis, & similibus, in Rota, & Curia hujusmodi usus reputantur abusus, & corruptelæ, ac reprobantur, *ut in Lucana, disc.* 18. *ind. Savonen. disc.* 12. *& in aliis hoc tit. frequenter*; Ideoque dicebam, quòd quicquid sit in foro interno, de quo videant illi Theologi, & Morales ibi id approbantes, quatenus pertinet ad forum externum, & in Curia Romana, est allegare inconveniens; nam etiam nauticum fœnus, aliàs cambium maritimum, de quo *in Romana nautici fœneris, disc.* 3. in plerisque partibus est in usu, sed ubi reducitur ad trutinam in foro externo, tunc stante Canonum dispositione non substinetur, ut ibi.

Ponderabam quoque in hac facti specie, neque omnino applicabilem esse dictam Moralium opinionem, ubi etiam generaliter, & abstractè recipienda veniret, dum ipsi, utpote principale, ac totum fundamentum constituentes in prædicta De- 18
cretali, *in cap. per vestras*, id magis communiter tenere videntur, ubi agitur, juxta ejusdem Decretalis casum, de pecuniis viduarum, ac similium personarum, traficis, & negotiationibus ineptarum, & quæ utpotè impeditæ per seipsas ad id agendum, ita mediante negotiatore tanquam in hac arte perito, ex earum pecunia, non ad lucrum, sed ad necessariam substentationem alimenta percipere valeant. Unde propterea non desunt volentes, hunc esse specialem favorem alimentorum, cui dictæ Decretalis dispositio principaliter innixa sit ex deductis per *Surd. de alimentis, tit.* 9. *qu.* 40. *num.* 37. & alios collectos per *Barbos. ad eamdem decretalem, num.* 7. Verùm quicquid sit de hac opinione, quæ plures habet impugnatores, de quibus *Castill.* 8. *tom. controv. cap.* 48. *num.* 12. *cum sequent.* ubi quòd causa alimentorum in materia usuraria nullum habet favorem vel privilegium, neque usurarias conventiones salvat; Cessabat in præsenti controversia applicatio ad factum, cùm creditor esset negotiator, qui per seipsum bene ejus pecunias traficare, & negotiari poterat, unde videbatur id gestum esse ex mera causa fœnoris, & lucri.

Discursum quoque fuit, An hujusmodi casui convenirent firmata per Rotam *in Mediolanen. cambiorum, coram Lancellotto dec.* 304, *& 556, part.* 19
2. *rec.* circa dantem alteri pecuniam ad cambiandum, seu girandum super cambiis, ex quorum lucris ipse pecuniæ dominus certa & determinata quantitate sit contentus, ut reliquum verisimiliter, & à communi usu excrescens lucrum cederet commodo recipientis pecuniam, tanquam congrua remuneratio ejus laboris, & industriæ, sed dicebam, quòd non poterant stare simul isti termini dictorum trium contractuum cum ista conventione, quæ juxta probabiliorem sensum dictarum decisionum non importat societatem, neque concursum dictorum contractuum, sed solùm quamdam institoriam, unde negotium exerceatur sub nomine ipsius domini pecuniæ, & ad ejus periculum, sola que conventio contineat quamdam speciem divisionis, seu

transactionis super verisimiliter speracto lucro, ita ad tollendas dissentiones, & controversias super redditionibus rationum diviso, ut una pars sit domini pecuniæ, altera negotiatoris, tanquam institoris, & ministri pro ejus mercede, sed non adest susceptio periculi in sorte, qua concurrente, hujusmodi conventionis species corrumpi videtur, ut advertitur *in Camerinen. sub tit. de cambiis, disc.* 4. ubi in specie habetur actum de hujusmodi forma contrahendi, & sic termini sunt omninò diversi.

Tunc autem istorum trium contractuum simultaneus concursus admittendus videtur, quando secundus assecurationis sortis non est simplex, & indefinitus, itaut pecuniæ receptor quodcumque periculum seu risicum in se suscipiat etiam casus fortuiti, sed solùm ubi suscipit illud periculum seu risicum, quod congruum & connaturale videtur susceptо mandato, seu susceptæ administrationi, quòd scilicet pendeat à decoctione vel insufficientia eorum, quibus pecuniæ vel merces traficandæ creduntur, ut ita sit diligens ad investigandam conditionem personarum, cum quibus contrahit, & ne aliàs daretur occasio fraudibus & collusionibus, quibus mediantibus hujusmodi socii vel institores colludendo cum decocturis, ac minùs idoneis, ipsum dominum seu socium supplantarent, cùm tunc reverà solùm duo contractus societatis & divisionis sperati lucri concurrere dicantur. Steterunt autem hæc in terminis simplicis discursus, neque ad aliquam determinationem deventum est.

# TUSCULANA SOCIETATIS SEU LOCATIONIS PRO DESIDERIO, ET FRATRIBUS DE FANFONIIS, CUM DOMINICO PERSIANO.

*Casus disputatus coram A. C.*

De Bulla Pii V. super prohibita societate animalium ad capitale salvum, an & quando locum habeat, necnè. Et de eodem contractu trino, seu concursu trium contractuum, societatis, assecurationis sortis, & assecurationis lucri, quando subsistineatur. Et quid in contractu locationis, in quo conductor suscipiat in se casum seu periculum rei locatæ.

## *SUMMARIUM.*


1 *Facti series.*
2 *De Bulla Sixti V. contractus ad capitale salvum, & num.* 10.
3 *De contractu, per quem dentur animalia æstimata, sub pacto restituendi æstimationem infra certum tempus, cum accessione, & nu.* 5. *&* 11.
4 *Animalia possunt locari ac deduci in contractum locationis.*
5 *Declaratur conclusio de qua, num.* 3.
6 *De ratione, ob quam congruum est, conductorem suscipere in se periculum rei conductæ, ubi agitur de animalibus, & similibus bonis.*
7 *An in contractu super animalibus deferendum sit usui, & de differentia, ubi contractus est super pecunia.*
8 *De pacto, per quod conducens equum à vecturino, suscipit in se periculum.*
9 *Quando dicatur adesse congrua recompensa periculi.*
10 *De Bulla Sixti V. de qua num.* 2.
11 *De conclusione de qua num.* 3.
12 *An & quando in contractu locationis adsit usura.*


## DISC. II.

HAbentes Fanfonii in Oppido seu Castro Montis Compatrum quinque currus, quorum singulis assignata erant duo juga boum, ad effectum vehendi sub conductitia mercede victualia, aliaque bona, ita ut essent in totum boves 20, dictos quinque currus ita instructos, seu, ut ibi dicitur, quinque sertas, sub assertione, quæ vera & justificabilis supponebatur, quòd locando singulis diebus & temporibus ad proprium commodum, detracto sumptu famulorum seu operariorum ad id necessariorum, sive dando ad simplicem societatem alteri, qui solam operam poneret, juxta commune experimentum, reportarent utilitatem in scutis 60. circiter quolibet anno pro singulis curribus vel sertis, iniit cum Dominico Persiano contractum trinum, ita à Notario expresè nuncupatum, per quem dictos currus seu sertas illi locavit ad quinquennium, prævia tam boum, quàm curruum æstimatione ad rationem scutorum 128, circiter, pro qualibet serta, sub pacto, ut finito dicto termino, conductor ea restituere deberet, in statu tamen ejusdem valoris, cum obligatione supplendi diminutionem ex morte animalium, vel alia deterioratione resultantem; Econversò autem augmentum ipsius conductoris commodo cederet, atque intuitu hujus periculi deteriorationis per conductorem susceptі, illa locatoris verisimilis utilitas, quæ aliàs in casu simplicis locationis, vel societatis sub suo periculo futura esset scutorum 60. circiter, remaneret solùm scutorum 20. dimisso reliquo ad commodum conductoris in compensationem dicti oneris; Cùmque dicto quinquennio elapso, locator urgeret pro restitutione curruum & animalium, seu æstimationis, dum supponebatur, ea partim mortua, & partim distracta esse, conductor opposuit de integra restitutione sortis, cum dicta pensione scutorum centum singulis annis in causam dictæ conventæ pensionis ad rationem scutorum viginti pro qualibet serta sequuta, quasi quòd ob hujusmodi contractus infectionem ac usurariam qualitatem, totum id, quod solutum est, in sortem cedere debuerit; Et introducta causa coram A. C. scribentes pro conductore reo convento, pro hujusmodi prætensionis comprobatione, allegabant primò *Constitutionem* 45. *Sixti V.* registratam etiam per *Leotar. de usuris quæst.* 31. *num.* 10. per quam prohibentur, nedùm societates, sed omnes & quicumque contractus & conventiones, quibus mediantibus, dentur animalia, vel alia bona æstimata sub pacto ea restituendi ejusdem valoris, ac interim præstandi certum & determinatum lucrum, & qui contractus vulgò dicitur *ad caput salvum.*

Et secundò in communi traditione Moralium, de quibus *Leotar. ead. qu. 31. num. 7.* ubi allegantur *Conradus, Azzorius, Filiuccius, Rebell. Molphes.* &
3 cæteri, quòd si dentur animalia æstimata pastori, vel rustico, sub lege restituendi æstimationem infrà certum tempus, cum certo lucro interim præstando, contractus dicatur usurarius, quoniam stante æstimatione ex quocumque casu non alterabili, verè & propriè occultari dicuntur duo contractus, unus emptionis & venditionis animalium pro eo pretio, alter verò mutui impliciti seu interpretativi ejusdem pretii sub accessionibus ratione dilationis vel temporis.

His tamen non obstantibus, Ego priusquam hujusmodi disputatio assumeretur, ex parte dicti locatoris consultus dicebam, prout in causæ disputatione deinde repetebam, hujusmodi quæstionem esse pro meo judicio, potiùs facti, quàm juris; proindeque certam regulam ac determinationem dari non posse, sed illam ex singulorum casuum particularibus circumstantiis pendere, An scilicet major fructus seu utilitas rei locatæ, qui conductori remittitur, adæquet necnè pretium dicti periculi, seu assecurationis, cùm de reliquo non versaremur in contractu trino, sed concursu trium contractuum, societatis, assecurationis sortis, & assecurationis lucri, ut aliàs primo aspectu credebam, ac etiam credidit Notarius, ita in Instrumento hunc contractum *Trinum* vocando.

Siquidem verè & propriè iste erat contractus locationis & conductionis, qualem partes expressè ac principaliter dixerunt, licèt Notarius se involvendo, dictum alium terminum contractus trini quoque adhibuerit, dum animalia & currus data non erant ad liberum usum, liberamque dispositionem recipientis, quia conventum erat, eadem restitui debere, cum sola obligatione supplendi de-
4 crementum, & sic erat locatio, & conductio, qualem partes expressè dixerunt, neque dubitatur, animalia in contractum locationis deduci posse, ut admittunt *Conradus*, & cæteri Morales suprà allegati, & firmavit pluries *Rota, præsertim dec. 126. post Zacchiam de obl. cam. & apud Dunozettum dec. 54.*

Solùmque hujus contractus natura sic alterata dicitur, quòd quemadmodum periculum casus de jure est locatoris, ita transfundatur in conductorem, quæ alteratio ubi agitur de locatione animalium, vel aliarum rerum usualium, quorum pretium promptè haberi potest, de facili corrumpit contractum, illumque transmutat in mutuum interpretativum, & successivè usurarium, ita sub hoc vocabulo palliatum, juxta doctrinam *Bart. in l. si ut certo, §. nunc videndum, ff. commodati, Carocc. de locato, quæst. 9. Roderic. lib. 2. quæst. 3. num. 64. Leotar. quæst. 36. num. 25.* Atque in idem conferunt dictæ aliæ auctoritates, de quibus *Leotar. dicta quæst. 31. num. 7.* de contractu venditionis seu dationis animalium, sub obligatione restituendi æstimationem infra certum tempus, cum accessionibus, ut suprà.

Verùm dicta propositio fallit, ubi consueta pensio, seu rei locatæ utilitas verisimiliter sperata adeo
5 diminuitur, quòd lucrum ratione dictæ diminutionis, à conductore reportandum, dicatur congrua compensatio dicti periculi, sive congruum pretium assecurationis, cùm tunc id nullo jure prohibitum videatur, ut in specie advertitur per *Ugolinum de usuris, cap. 54. num. 3. Molin. de contract. disput. 417. num. 15.* cum quibus pertransit *Leotar. dicta quæst. 36. num. 25.* & admittitur *in dicta decis. 54. Dunozetti*, Atque videtur opinio multum probabilis ratione subjectæ materiæ; Cùm enim agatur de animalibus ad certum laborerium, seu fructum destinatis, 6
in quibus frequentiùs peremptio vel deterioratio pendere solet, vel à modica diligentia conductoris, seu custodis & operarii in illis nutriendis & gubernandis, vel ab immoderato usu, ob nimiam aviditatem magis quàm ut par est, exfructando, atque justificari de facili non possint hujusmodi culpæ, pro quibus conductor aliàs etiam de jure teneretur, cùm ipse præstare debeat nedum latam & levem actione locati, sed etiam levissimam saltem in committendo actione legis Aquiliæ, ex deductis apud *Gregor. dec. 528. num. 9.* cum aliis *in Romana incendii, & in Bononien. mercium, & in aliis in sua materia, sub tit. de locato.*

Hinc proinde cùm dictæ culpæ, utpotè satis difficilis ac moraliter impossibilis probationis, convinci non valeant, rationabile, ac subjectæ materiæ adaptatum videtur dictum pactum susceptionis periculi per conductorem, dummodo æstimatio periculi, quod provenire potest à casibus fortuitis, & citra culpam remaneat congruè compensata; Ideoque, ut dictum est, quæstio remanet potiùs facti, quàm juris, ex ipsius facti circumstantiis prudentis Judicis arbitrio decidenda, inspecta qualitate personarum, ac bonorum, & temporum, ex quibus conjiciendum sit, an id in fraudem & pallium usurarum ita conventum sit, necnè.

Potissimè verò in hac specie magnifacienda venit ea circumstantia, quæ in proposito contractus
trini, seu trium contractuum intervenientium in- 7
ter datorem & receptorem pecuniæ ad negotiandum, magnificatur per Morales, pro meo autem sensu, nullius, vel modici momenti, ut habetur in *Firmana, disc. præcedenti*, ob longam differentiam militantem inter contractum, in quo intervenit pecunia de sui natura sterilis, & cujus contrectatio importat mutuum proprium & verum, neque in ea cadit contractus locationis & conductionis. Et animalia, vel alia bona mobilia, in quibus dictus contractus locationis & conductionis cadit, ille verò mutui solùm intrat impropriè & interpretativè ob pacta alterativa contractum corrumpentia. Fortiùs verò ob dictam rationem, subjectæ materiæ congruam, ut scilicet ita conductor, sciens periculum esse suum, magis diligenter invigilet, nedum in custodiendis, & gubernandis animalibus, & abstinendo ab indiscreto usu, indiscretaque exfructatione, sed etiam in curando eorum præservationem à casibus fortuitis.

Unde propterea, ut praxis etiam docet, quando dantur equi, aliaque animalia ad vecturam sine interventu ipsius vecturini, vel ejus famuli, ad dis- 8
cretionem conductoris, præsertim ad longum tempus, vel pro longo itinere, tunc neque incongruum, neque damnabile videtur pactum, per quod conductor suscipiat in se periculum cujuscumque casus, cum obligatione restituendi animal in eodem statu & ejusdem valoris juxtà æstimationem concorditer factam, dummodò pensio consueta ità diminuatur, quòd congruè compensatum remaneat dictum periculum ex judicio peritorum ac usu communi, & dummodò actus verè & sincere ità fiat cum verè itineraturo, seù aliàs animalia ad vecturæ usum habituro, secus autem si talis contractus fiat cum eo, quem domino animalis constet talem usum habiturum non esse, sed illicò venditurum pro habendis pecuniis, & tanquam per speciem stocchi, ut frequens praxis docet,

docet, ideoque totum pendet ex facti qualitate & circumstantiis, atque in hoc sensu capiendus est usus communis, non autem in eo, de quo *d. disc. præcedenti.*

Applicando igitur ad rem, contractus verè ac sincerè initus fuit cum illo, qui dictis curribus & animalibus verè usurus erat pro illo exercitio, in quo ipse erat peritus, ut etiam plurium annorum observantia comprobavit, atque talis est communis usus regionis, tam in isto, quàm in aliis castris & locis adjacentibus, Unde propterea difficultas unicè restringebatur ad circumstantiam
9 congruè compensationis suscepti periculi, ac illius deteriorationis animalium & curruum, quæ ex ipso laborerio & usu naturaliter contingit; Atque retento dicto præsuppositio, quòd ipso locatore dicta animalia cum famulis & operariis ad proprium commodum & respectivè periculum retinente, probabiliter percepturus esset annua scuta 60. pro quolibet curru seù serta, dum sola tertia parte hujusmodi utilitatis contentus fuit, duas reliquas partes dimittendo conductori reportaret iste ultrà lucrum proprii laboris, & industriæ utilitatem scutorum 40. singulis annis pro qualibet serta, itaut spatio quinquennii obtineret scuta 200., excedentia ferè in duplo valorem in sorte principali, quæ erat erat scutorum 128., cum spe, quòd stante ejus diligentia in benè custodiendis & gubernandis animalibus & curribus, eorumque moderato usu, restitutionem bonorum locatorum absque detrimento vel modico facere posset; Et qui contrahendi modus practicari etiam solet in locatione suppellectilium domus, quod scilicèt, ad effectum, ut conductor illis benè utatur, & non abutatur, convenitur quod in se suscipiat casum peremptionis, vel deteriorationis, sub diminutione tamen consuetæ pensionis, dummodò diminutio sit congruè compensativa oneris, atque concurrat dictum alterum primariò necessarium requisitum sinceritatis & bonæ fidei, quod nempè non sit pallium seù color quæsitus, dando bona sub titulo locationis illi; qui verè simpliciter usum habiturus non est, neque conductoris personam gesturus, sed potius emptoris, ut illicò revenderet per speciem stocchi seù civantiæ, &c.

Hinc proinde dicebam non obstare ea quæ ut suprà in contrarium ex parte conductoris deducebantur; Quatenus enim pertinet ad *Constitut. Sixti V.*, ut advertitur *d. disc. præcedenti* ex declaratione
10 ejusdem Pontificis oretenus facta, de qua testantur *Scortia*, *Justinianus* & cæteri collecti per *Leotar. d. q. 31. num. 13. circa finem*, & per *Carleval. de judic. tom. 2. disp. 7. num. 22.*, illa non capit casus, in quibus ex magis communi & recepto Cononistarum & Theologorum sensu actus reputetur licitus, ut firmatur occasione contractus trini, societatis scilicet, & duplicis assecurationis sortis & fructuum, *d. disc. præced.*

Et quoad aliud objectum infectionis hujusmodi contractus super animalibus, dicebam id procede-
11 re, quando animalia dantur rustico vel alteri ad liberum & indeterminatum usum, liberamque dispositionem absque conventione illa conservandi & restituendi statuto tempore, cùm tunc verè & propriè inesse dicatur dictus implicitus contractus emptionis, & venditionis habita fide de pretio sub usuraria accessione ratione dilationis & temporis, & in his terminis loquuntur superius allegati, secus autem ubi dicta circumstantia cessat; Ideoque advertebam conclusionem esse veram in abstracto, sed cessare applicationem in concreto, & ad casum, eodem modo, quo in contractu trino, *de quo disc. præcedenti*, quando dantur pecuniæ vel merces, iidem Morales ac alii etiam Cononistæ & forenses illum substinentes, ut ibi, concorditer admittunt secùs dicendum esse, quando datori pecuniæ innotesceret illum, qui pecuniam vel merces suscipit ad negotiandum, non esse negotiatorem, neque negotiaturum fore, sed accipere ut venderet, ac pretium aliis usibus applicaret; Et ex qua ratione plures idem inferunt in materia cambiorum, quoties ille, qui pecunias recipit ad cambium, verè non est cambiaturus, seù litteras in pecuniis vel plateis non impleturus, licèt hoc contineat æquivocum illorum qui materiam parùm callentes non distinguunt cambium directum ab obliquo, ut in sua materia *sub tit. de Cambiis pluries.*

In proposito item usuræ cadentis in contractu locationis, pluries id mihi disputandum contigit, præsertim coram A. C. in una Neapolitana pro Baptista Rubes cum N. Græco; Cùm etenim dicta mulier locasset dicto Græco quædam suppellectilia sub menstrua pensione, dictusque conductor 12
diù in istius contractus perseverantia obdormitasset, pulsatus deinde ad restituenda ipsa bona cum pensionibus decursis & non solutis, excipiebat de usura, deducendo valorem ipsorum bonorum de tempore consignationis, atque calculando intermedias pensiones, quasi quod ità pecunia in hujusmodi mobilium emptione erogata importaret magnum lucrum ultrà 100. pro 100., Quod etiam vidi oppositum per aliquos conductores supellectilium adversus Hebræos ex auctoritate *Farinac. cons. 162. lib. 2.*; Verùm hujusmodi prætensiones semper rejectæ fuerunt, & meritò, quia ubi cessat mutuum verum vel interpretativum, non intrat usura, ut in dicto casu posito per *Farinacc.*, & contrà per eum scripta decisum fuit per *Rotam decis. 490. par. 2. rec.*; In his etenim bonis mobilibus, quæ usu consumuntur vel atteruntur, & quæ in dies & horas subjacent periculo peremptionis, contractus locationis, & conductionis intrat pro pensione, quæ in uno anno ipsius rei valorem excedat, & tamen non per hoc intrat usura, ut videmus in equis & mulis, qui indies, hebdomadas vel menses dantur ad vecturam, quia si calculatur quantum importat vectura cujuslibet diei, utique conductore diù in animalis conducti usu continuante, fructus seù pensio superat etiam in duplo & triplo valorem ipsius animalis de tempore initi contractus, sed non benè intrat dictus calculandi modus ab eventu, quia poterat ipsum animal perire ipsamet prima die, atque locator pro modico emolumento pensionis unius diei totam sortem amittere. Et ex qua ratione habemus, quòd in vitalitiis non de facili concludi potest læsio, ex iis quæ habentur deducta *in Romana locorum montium de Oricellariis sub tit. de Regalibus disc. 30.*, ac etiam *in Romana seù Albanen. vinea. sub tit. de donationibus*, & alibi.

Tunc autem, ut suprà, in contractu locationis, & conductionis, intrat fœnoris & usuræ suspicio, quando hujusmodi bona mobilia, vel se moventia, peremptioni, vel deteriorationi subjecta, de tempore locationis æstimantur, cum obligatione conductoris finito contractu, restituendi eadem bona in eodem valore, seù statu quo consignata fuerunt, itaut periculum peremptionis, vel dimminutionis sit ipsius conductoris, cùm tunc adesse videatur implicitum sive interpretativum mutuum in ea pecunia, quam importat illorum bono-

rum æstimatio, ità sub hoc pallio initum ad fraudandas usuras, nisi lucri notabilis diminutio ex parte locatoris, ac respectivè notabile lucrum speratum, per conductorem dici valeat congrua merx, seù justum pretium periculi, quod conductor in se suscipit, aliæque facti circumstantiæ concurrant, depravatam fœnerandi intentionem excludentes, juxtà casum, de quo *in hac Tusculana*, unde propterea ut suprà dictum est, quicquid sit de foro interno, in quo apud Deum animus, & propositum distinguunt maleficia, In foro tamen externo hujusmodi sunt quæstiones potius facti quàm juris, uniformem generalem regulam non admittentes, sed juxtà singulorum casuum particulares, ac individuas circumstantias pro prudenti arbitrio decidendæ; Atque ad id, ut insinuatum est, satis confert communis usus, eaque circumstantia, quòd actus fiat publicè & palàm, cum id arguat bonam fidem & sinceram intentionem, ut econversò clandestinitas magnum indicium est depravatæ intentionis fœnerandi, ut advertitur *in Savonen. discurs.* 12.; Multa enim prohibentur clàm & occultè fieri, quæ ubi publicè & palam fiant, bonam fidem arguunt, ac licita reputantur; Ut e. g. habemus in creditore prohibito sub conficto nomine alterius emere pignus ad *text. in l. Et qui sub imagine Cod. de distractione pignorum*, & tamen non prohibetur publicè, & palàm tanquam quilibet tertius licitare, ut in sua materia *sub tit. de credito*; Ac etiam in tutore vel alio administratore prohibito emere bona pupilli, seù alterius sub ejus administratione viventis, & tamen publicè, & palàm id fieri potest, cum similibus; Atque ut suprà magna circumstantia est illa, quòd non differant sagax, & depravatus negotiator, à simplici, & sincero contrahente, quoties modus contrahendi est ex consuetudine uniformis, dum ità cessat circumventio vel suffocatio, quæ videntur usuræ consueta, & quodammodò essentialia requisita. Atquè exindè resultare videntur in hac præsertim usuraria materia tot Juristarum, ac Moralium dissentiones, ac æquivoca, quoniam cum doctrinis, & propositionibus generalibus procedi solet, illas indefinitè cuicumque casui applicando, quod continet errorem manifestum, quia singulorum casuum particulares circumstantiæ totum agunt, istamque materiam regulant.

# ROMANA
## NAUTICI FOENORIS
*PRO*
DOMINICO PIGNATELLO,
*CUM*
PETRO.

*Casus decisus per Cameram pro Dominico.*

De nautico fœnore, seu cambio maritimo, quando & quomodo subsistat, nec-nè, ad materiam & intellectum textus *in cap. naviganti, de usuris*; Et quando dicatur continere societatem, & sic contractum diversum ab illo, de quo *in dicto cap. naviganti.*

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Nauticum fœnus damnatum est de jure canonico.*
3 *Conventio practicata inter exercentes artem, seù negotiationem maritimam, quæ vulgò dicitur* cambium maritimum, *importat potius quamdam societatem, quàm nauticum fœnus.*
4 *Dictæ societati non obstat taxa certa fructuum.*
5 *In rebus dividuis cessatio in parte non facit cessare contractum in totum.*
6 *Societas potest subsistantiari super uno officio, vel super una navi, sed periculum distribui super pluribus personis vel navibus.*
7 *De opinione Moralium super mendosa impressione* cap. naviganti.
8 *Quare in foro externo Moralibus deferendum non sit.*
9 *Reprobatur opinio, de qua num. 7.*
10 *De tempore quo edita fuit Decretalis* in cap. naviganti.
11 *De alio intellectu dictæ Decretalis, ubi non ratione mutui, sed sola ratione periculi, sed rejicitur.*
12 *De ratione differentiæ inter forum internum, & externum.*
13 *An possit remitti offensa, & diligi inimicus quoad Deum, & tamen prosequi vindicta in judicio.*

## DISC. III.

DEdit Petrus quandam summam pecuniariam Paulo piscatoriam artem exercenti super ejus navi piscatoria, vulgò *Tartana* nuncupata, sub illo contractu, qui in locis maritimis, & inter maritimam vitam, ac negotiationem agentes *cambium maritimum* nuncupatur, sub conventione accessionum, seù fructuum ad rationem 30. pro centenario, diviso periculo, tàm super dicta navi, quàm super altera, quæ ad satis breve tempus vi tempestatis periit; Hac autem peremptione non obstante, per aliquos annos fructus integrè soluti fuerunt, pro reliquis verò plurium annorum spatio decursis, ob dicti Pauli principalis debitoris defectum, creditor pulsavit Dominicum, pro dicto Paulo, in solis fructibus, non autem in sorte fidejubentem, atque à judice Riparum mandatum executivum obtinuit, à quo introducta per appellationem causa in Camera, per istam ad favorem Dominici appellantis, pro quo Ego in hoc Tribunali solùm scribebam, prævia magna discussione, congrua potiùs ratione articuli, quàm summæ, prodiit resolutio pro dicti mandati infirmatione. 1

Quæ resolutio mihi, ad solam veritatem reflectenti, ex facti circumstantiis, visa est omnino justa & probabilis, ob clarum inevitabile dilemma: Aut enim iste contractus dicendus est nautici fœnoris, juxta terminos *textus in cap. naviganti de usuris, & in l. 1. & toto tit. Cod. de nautico fœnore*, & tunc dicendus est infectus, & usurarius, juxtà claram, & litteralem dispositionem textus *in d. cap. naviganti*, per quem, correctam esse dispositionem juris civilis *in d. l. 1. & 2. & toto tit. C. de nautico fœnore* concors est Canonistarum, ac etiam legistarum sententia, ex collectis *per Leotar. de usuris q. 3. num. 11.*, & latè *Fagnan. in repet. ejusdem cap.* 2

navi-

*naviganti*, qui hanc materiam tractat, ibique videri possunt concordantes frustrà transcribendi.

Aut juxtà benigniorem opinionem, quam veriorem dicit *Fagnan. ibid. num.* 28. *&* 29., mihi et- 3
iam arridentem, Tùm ratione salvandi contractum à labe usuraria, eumque substinendi, Tùm etiam ratione communis usus, iste dicendus est contractus societatis, in quo super arte, seù industria maritima, unus ponat pecuniam, alter verò navem & operam, qualis propriè erat casus controversiæ, quoniam exercentes hujusmodi artem piscatoriam ut plurimum non habentes modum habendi retes, aliaque instrumenta necessaria, aliosque sumptus præparatorios faciendi necessarios ad futurum piscationis lucrum, quibusdam anni partibus, seù temporibus majus quàm in aliis reportandum, neque invenientes creditam pecuniam ob periculum, cui eorum naves & personæ quotidiè subjacent, alium non habent modum, quàm istum, accipiendi scilicèt pecuniam ad societatem futuri lucri sub periculo sortis, adinstar societatum officii, quamvis corrupto vocabulo iste contractus, vulgò dicatur *cambii maritimi*, quia verè isti termini non intrant, intrantes solùm in pecunia nautica trajectitia, in qua propriè cadit nauticum fœnus, de quo *dicto titulo Codicis*, & in qua pecunia propriè hujusmodi contractum intrare sentiunt plerique, præsertim Morales, de quibus infrà, & apud *Fagnan. in eod. cap. naviganti*, & qui societatis contractus ut infrà licitus est.

Non obstante taxa, seù conventione certæ & determinatæ summæ fructuum, seù accessionum, id enim non adversatur dicto contractui societatis, 4
neque usuram continet, quoties tamen summa sit congrua & verisimilis, quoniam juxta ea, quæ recepta habemus in materia societatis officiorum, ad tollendas lites & controversias inter socios singulis quibusque annis vel temporibus super redditione rationum, ac verificatione certæ quantitatis lucrorum, permittitur ista conventionalis taxa ab initio, quoties ut dixi, est justa & verisimilis, per quamdam speciem transactionis super futuro lucro incerto, quod potest esse magis & minus, juxtà decisionem 70. *Coccini* passim receptam, cum aliis, de quibus *in Firmana & Tusculana discursibus præcedentibus*, in proposito contractus trini, societatis scilicèt, & duplicis assecurationis sortis & fructuum, seù lucri, quoniam tota difficultas est in contractu medio, assecurationis sortis, iste verò tertius cum primo passim admittuntur, juxtà magistrales decisiones *Mellini*, ac etiam aliàs *in Mediolanen. cambiorum coràm Lancellotto* ibidem allegatas.

Retenta verò ista specie contractus, ob peremptionem unius ex duabus navibus, super quibus periculum distributum erat, factus erat lucro medietatis sortis, unde contractus durabat solùm respectu alterius medietatis super altera navi adhuc existente, ex eo quod non refragante partium 5
voluntate, cum agatur de materia dividua, in qua tantam affert utilitatem totum respectu totius, quantam pars respectu partis, cessatio in parte non facit cessare contractum in totum, juxtà plenam, ac magistralem decisionem in specialibus terminis societatis officii coram *Merlino dec.* 69. aliàs *dec.* 454. *par.* 4. *rec. tom.* 2. *cum concor.* & in terminis censuum per *Cenc. de censib. q.* 110. *Merlin. dec.* 822. *Adden. ad dec.* 452. *par.* 4. *rec. tom.* 2. quia sicuti stant benè simul societatem officii contrahi cum officiali super uno officio, distributo periculo super duabus vitis distributivè, pro medietate scilicèt super qualibet, ità non implicat istam societatem contrahi cum nauta, seù piscatore super ejus navi, quæ sit societatis subjectum in ordine ad lucra cum ea facienda, & tamen periculum sortis super pluribus navibus distribui. 6

Et consequenter ex tempore peremptionis dictæ alterius navis, fructus exigi non potuerunt, nisi pro sola medietate, ob alterius medietatis lucrum jam sequutum, ac successivè integri fructus exacti, vel rigorosius agendo, tanquam illiciti & usurarii, jure imputationis ipsam sortem extinxerant, vel saltem absorbebant fructus non solutos alterius medietatis, super quibus erat quæstio.

Quia verò scribentes pro actore in duplici disputatione habita in Camera, conabantur substinere contractum, etiam in terminis nautici fœnoris, non obstante dispositione dicti *textus in cap. naviganti*, & communi traditione Canonistarum ibidem, innixi opinioni plurium Moralium, de quibus apud omnium latius de materia agentem, modernum moralem *Giballinum de usuris lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 3. *num.* 25. ubi ex *Gudellino* & aliis allegatis, firmat dictam Decretalem esse potius mendosam, quasiquod ex errore impressorum omissa esset dictio negativa, ut scilicèt quemadmodum dicitur *usurarius est censendus*, dicere debeat oppositum, quod *usurarius non est censendus*, quam etiam opinionem refert collector *Barbosa ad eamdem decretalem nu.* 2. 7

Ideò super hoc, absque præjudicio reverentiæ debitæ præfato, docto quidem, & ingenioso viro, dicebam, ista præsertim esse motiva, ex quibus, juxtà ea quæ habentur in *Firmana hoc tit. disc.* 8
1. & in *Romana cambiorum sub tit de cambiis discurs. pariter* 1., *& sub tit. de societ. offic. in relatione*, ac alibi, in mea sententia in foro externo, vel nihil, vel parum Theologis, seù Moralibus deferendum videtur, illis tamen plenum locum relinquendo in altero foro interno, ex rationibus in dictis locis deductis, cum innixi soli qualitati intentionis, quæ in foro interno omnia regulat apud Deum judicantem in corde, pleraque assumunt quæ in foro externo, in quo de intrinsecis non judicatur, nullo pacto substentabilia sunt, ut præsertim est istud assumptum, ob quod rectè dici posse videtur, *crimine ab uno &c.*

Siquidem non solùm obstat naturalis discursus, quod Decretales, non unam, sed multas habent, in plerisque diversis locis, diversisque temporibus 9
impressiones, undè si primæ, vel aliquæ istum errorem continebant, aliæ emendatiores & diligentiores illum corrigere potuissent; Ac etiam obstat altera ratio moralis, quod scilicèt ità esset destruere necessariam legum & canonum auctoritatem, si juxtà interpretum opinionem & sensum, hujusmodi mendos admittere deberemus, atque addere, vel delere dictiones, & verba, ex quibus resultet totum oppositum ejus, quod in ipsa lege, seù canone continetur.

Verùm etiam quia hujusmodi modernorum sensus ad evidentiam convincitur de errore, nè modestiæ gratia dicam de indocta temeritate, quoniam dicta Decretalis composita fuit per *Gregorium* 10
*IX.*, de quo tempore erat jam Cardinalis doctissimus Canonista *Innocentius*, prius etiam per alios Prælaturæ gradus in Curia versatissimus, dum fuit ejusdem *Gregorii* successor penè immediatus, cum solo intermedio spatio 17. dierum brevissimi Pontificatus *Celestini IV.*, ideoque satis probabile est, dictam Decretalem de præfati *Innocentii* tunc adeò

docti

docti & versati Cardinalis consilio, & participatione factam esse, ut etiam probabile est, quòd tunc & immediatè post Decretalium compilationem sub eodem *Gregorio* factam, in eodem statu Cardinalitio, ipsum commentaria, quæ habemus, ediderit, cùm Pontificiæ occupationes, attentâ præsertim illorum temporum conditione, ut ex Chronicis in ejus Vita edocemur, absque dubio id non permitterent, & tamen *dictus Innocentius* de tempore adeò proximo, processit cum hac lectura, cum qua etiam processerunt *Hostiens. Cardinalis*, *Goffredus*, *Abb.* & cæteri viri in Curia versatissimi, & qualificati, scribentes circa ea satis proxima tempora, & quando impressionis usus in Orbe adhuc non habebatur, unde ad evidentiam patet hoc assumptum manifestæ fabulæ, ac somnii speciem habere.

Credunt plerique, quorum magna pars est Moralium, de quibus *Giballin. Fagnan. & Leotar. ubi supra*, præfatæ Decretalis dispositionem procedere, ubi conventio lucrorum, seu accessionum se-
11 quatur ratione mutui; secus autem, ubi istud verè gratuitum fiat, accessio autem in conventionem deducatur solùm tanquam merx, seu præmium periculi, quòd mutuator in se assumit amittendi sortem, & tanquam per speciem mercedis assecurationis, quæ data justitia, seu congruitate est sine dubio licita; Verùm dicebam, & id adversari claræ literæ textus, ubi consideratur accessionem ex sola periculi ratione conventam esse, ibi, *pro eo, quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem*, atque ita explicat *gloss.* verb. *periculum*.

Idque non ex cessante veritate dicti assumpti, cui Morales & reliqui innituntur, quòd scilicet compatibiliter cum mutuo gratuito, de lucro conveniri valeat, tanquam super pretio, seu mercede assecurationis, & adinstar, cum id data congrua recompensa, sit absque dubio licitum; Sed ex eo quod in foro externo, quoties actus est simultaneus, seu contemporaneus, id est impracticabile, cùm impossibile sit, justificare hanc intellectualem & imaginariam distinctionem, quoniam aliàs passim usuris fraus fieri posset; atque lex remaneret potiùs in verbis, quàm in rebus, ut in proposito advertitur *in dicta Firmana disc.* 1. Ideoque prudenter Pontifex, ad tollendum istum colorem, seu usurarum pallium, indefinitè hujusmodi contractum damnare voluit, ita exprimendo in verbis, etiamsi ratione periculi tantùm de accessionibus conveniretur.

Bene verum, quòd quando per possibile hæc distinctio, ac respectivè sinceritas intentionis verè justificari posset, ego quoque admitterem dictum intellectum, sed punctus est in impracticabilitate, & consequenter rectè intrat, id quod *in dicta Firmana* dictum est, super magna differentia inter u-
12 num forum & alterum, quoniam in interno multa discurs ivè, ac idealiter per quamdam metaphysicam possibilitatem supponuntur, seu figurantur, quæ in foro externo, in quo procedendum est cum actis & probatis, sunt impracticabilia; Adinstar eorum, quæ apud Theologos & Morales, de quibus *Rovit. super prag.* 7, *seu* 8. *de compositionib.* habemus, quòd possit pars offensa satisfacere Evangelico præcepto remittendi offensam, & diligendi inimicum, & tamen quòd denegando remissionem, possit prosequi vindictam, seu delinquentis punitionem, non ex proprio odio & vindicta, sed ex zelo justitiæ, & ut delinquentes puniantur, quoniam id discurri quidem potest idealiter, seu intellectualiter, sed non videtur, quomodo reduci possit ad praxim, cum similibus; Et consequenter firmum remanet, hujusmodi contractus usum & frequentiam, non ad dictum titulum nautici fœnoris, vel assecurationis referendum esse, sed ad alterum societatis, ut suprà, atque per hanc rationem seu viam esse substentabilem, non autem per primam.

# ROMANA
## LOCATIONIS VENÆ FERRI
*PRO*
## PRINCIPE LUDOVISIO
*CUM*
## RINUCCINIS.

*Casus variè decisus per Rotam, demum concordatus.*

An, & quando mixtura mutui veri, vel interpretativi, reddat usurarium contractum locationis & conductionis, sive emptionis & venditionis, vel similem, &c. Et quomodo in dictis contractibus locationis & conductionis, vel emptionis & venditionis cadat usura.

Et an mutuum necessarium, quia nempe promittat quis & se obliget certam summam mutuare, vel ab aliis mutuari facere, reddat licitas accessiones, vel aliud lucrum, & excuset ab usura.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Quòd mixtura mutui reddat usurarium contractum locationis & conductionis, vel emptionis & venditionis, etiam justitia pretii, seu pensionis accedente.*
3 *Contrarium verius, ubi contractus est justus, & de ratione.*
4 *Sine mutuo vero, vel interpretativo, non datur usura.*
5 *An & quando in cambio detur mutuum, & successivè usura, remissivè.*
6 *An propter obligationem mutuandi liceat percipere lucrum & accessiones, & num.* 8.
7 *In usuris attenditur rei substantia, non autem formula verborum.*
8 *Fidejussor, vel assecurator potest recipere meredem, & ita procedit, quod dicitur num.* 6.
9 *De dictæ mercedis taxa & privilegiis.*
10 *An liceat cum pecunia anticipatè soluta conducere operarios cum obligatione debito tempore operas præstandi.*
11 *Et an liceat dare pecuniam pro anticipata venditione fructuum recolligendorum.*
12 *Utilitas mutuantis absque damno mutuatarii, vel è contra, non causat usuram.*
13 *Quando adesse possit usura in casibus de quibus num.* 10, *&* 11.

### DISC. IV.

IN Nito contractu locationis & conductionis, seu appaltus venæ ferreæ Insulæ Iluæ ad de-
1 cennium, inter Nicolaum Ludovisium, modernum Plumbini Principem, & fratres de Rinuccinis, cum diversis pactis & capitulis, illo præsertim, quòd dicti de Rinuccinis tenerentur dare, seu, ut vulgò inter negotiatores dicitur, *præ-*

*præstare*, aut *præstari* facere ab aliis sub cambiis dicto Principi scu. 175. m. Atque in quarto anno præfati appaltus, vel de facto, vel concorditer ille dissolutus esset, pluribus exinde exortis controversiis, introductaque causa in Rota, juxta seriem magis distinctè enarratam in hac eadem causa, *sub tit. de Regalibus* ad materiam mineralium *disc.* 117. plures in hujusmodi controversiæ disputationibus incidêrunt articuli, istam præsertim usurariam materiam concernentes; Potissimè verò ille, An contractus locationis & conductionis habens admixtum mutuum, Vel econverso contractus mutui veri, vel interpretativi habens admixtum alium contractum locationis & conductionis, seu emptionis & venditionis, vel similem, redoleat usuram, nec-nè.

In quo articulo, quamvis varii varia dixerint, plerisque, quorum antesignanus est *Geminian. cons.* 2 15. adeò tenaciter credentibus mutuum nullam alterius contractus mixturam habere posse, quòd etiamsi locatio & conductio, vel respectivè emptio & venditio pro justo pretio fieret, absque aliqua mutuatarii læsione, vel præjudicio, adhuc tamen intret usuraria infectio, quasi quòd illa necessitas, qua mutuatarius ratione mutui premitur ad vendendum, vel locandum mutuatori, sive econverso ad emendum, vel conducendum ab illo, dicatur mutui pretium, ideoque adimat illam gratuitam qualitatem, quæ in mutuo desideratur, ex divino oraculo, *mutuum dantes, nihil inde sperantes*, ut *per Geminian. ubi sup. & alios apud Cravett. cons.* 145. *nu.* 10. *add. ad dec.* 119. *post* 1. *vol. cons. Farin.* cum aliis apud *Leotar. de usur. q.* 16. *nu.* 12, & 13.

Nihilominus magis communis & recepta est 3 contraria opinio, quæ Antesignanum habet *Abbat. cons.* 16. ut scilicet id pendeat à justitia, rel respectivè injustitia alterius contractus cum mutuo admixti; Si enim talis contractus pro justo pretio, & ad limites justitiæ commutativæ initus esset, ita ut mutuator in aliquo locupletatus, cum mutuatarii damno & jactura, non remaneret, tunc nulla intrat usuraria infectio, consistens in lucro mutuantis, & respectivè damno mutuatarii; unde hoc ultimo præsertim cessante, nulla supperit ratio, cur mutuator, qui gratum & benevolum officium mutuatario præstat, deterioris conditionis esse debeat quocumque altero extraneo, ut firmant *Covar. lib.* 3. *var. cap.* 7. *nu.* 5. *Rubeus cons.* 20. *num.* 3. *& seqq. Mantic. de tac. lib.* 8. *tit.* 18. *num.* 19. *Menoch. cons.* 109. *Scribentes apud Farinac. cons.* 191. *lib.* 2. *num.* 16. 24. *& 27. cum seqq.* latè *Mastrill dec.* 106. *num* 7. *& seqq. Castill. dec.* 143. *num.* 1, *& 2. Mellin. dec.* 88. aliàs *decis.* 119. *post* 1. *vol. consil. Farin.* atque his & aliis allegatis habetur etiam firmatum *dicto disc.* 117 *sub tit. de Regalibus*, quoniam theorica est verissima, quæ admittitur in omnibus decisionibus in causa hinc-inde editis, sub diebus 23. *Martii*, 1639. 2. *Maji*, 1659. 20. *Februarii*, *& 26. Novembris*, 1660. *coram utroque Verospio*, quarum tres moderniores sunt impressæ *post colluctationes Bondeni, decis.* 63. 71. *& 82. & tertia, & quarta sunt repetitæ decis.* 44, *& 49. post Zuff. de legitim. proces.* & admittebatur quoque per scribentes hinc inde.

Unde propterea quæstio erat magis facti, & applicationis quàm juris, ideoque scribentes pro conductoribus, qui erant etiam mutuatores, quibus Rota ultimo loco adhæsit, pro substinendo contractu potissimum, ac totum fundamentum constituebant in cessante applicatione dictæ theoricæ, seu distinctionis ad casum; Tum quia dicta quæstio procedit cum præsuppositio mixturæ mutui cum alio contractu locationis, & conductionis, vel emptionis, & venditionis respectivè, quod mutuum verum, vel interpretativum, utpote essentiale re- 4 quisitum usuræ, & sine quo illa non datur ex copiosè collectis *in* 2. *decis.* 2. *Maji*, 1659. *decis.* 63. *post Bondenum, num.* 13. dicti scribentes mordicùs negabant, eò quia dicta summa pecuniaria scutorum 175, m. in conventionem deducta erat sub titulo seu contractu cambii, omninò diverso ab illo mutui.

Tum etiam, quia negabant alterum requisitum injustitiæ pretii, quod ex hac parte locatoris injustum, atque intuitu mutui diminutum prætendebatur, & super quo major, ac tota inspectio fuit, an scilicet pretium venæ esset justum, nec-nè, quod cùm penderet à subjecta materia, seu peculiari natura hujus fodinæ, & materiæ mineralis, idcircò de hoc tanquam de puncto principali causæ, actum fuit in propria sede, seu materia mineralium, *sub dicto tit. de Regalibus*, *dicto disc.* 117. Quoverò ad 5 dictum alterum punctum, an scilicet promissio dandi, vel dari faciendi pecuniam sub cambiis, contineret mutuum verum, vel interpretativum, de illo in hac eadem causa habetur actum in propria materia, *sub tit. de cambiis*, *disc.* 24. ubi, ac etiam *in Romana cambiorum, de Valentibus*, *disc.* 1. & in aliis habetur, in contractu cambii obliqui, juxta modum, quo frequentiùs fieri solet, etiam mutuum expressum & verum contineri. Quinimò & in cambio directo adesse posse mutuum implicitum, seu interpretativum, quando scilicet pretium aggi taxetur inter partes, & ex conventione, in qua ratione longioris temporis pretium sit alteratum, ut ibi.

Verùm, quia scribentes pro conductoribus, quibus etiam aliqui ex Judicibus adhærebant, ultrò progrediebantur pro usuraria qualitate excusan- 6 da, etiam ubi mutuum adesset, atque concurreret injustitia pretii, ratione scilicet obligationis, ad quam iidem conductores se adstrinxerant, mutuandi, vel mutuari faciendi adeo magnam pecuniarum summam, quasiquod licitè paciscivaleant de aliquo lucro, non tanquam præmio mutui, sed tanquam pretio seu mercede recompensativa dicti oneris, ac etiam damni vel incommodi, quod ex hujusmodi obligatione resultare potest.

Hinc proinde scribens pro locatore dicebam, quòd istud clarum erat æquivocum in applicatione hujusmodi propositionis, alioquin in suis casibus veræ, sed in hac facti specie omninò incongruæ. Procedit enim, non in ipso mutuatore, qui utrumque contractum proprio nomine, & ad propriam utilitatem gerat, quoniam tunc in foro externo, in quo non admittuntur illæ instantaneæ, & metaphysicæ distinctiones, seu operationes intellectus, quæ admittuntur in foro interno, juxta deducta discursibus præcedentibus, esset ita reducere usuram ad meram formalitatem verborum, quæ etiam 7 de ipso jure civili in hac usuraria materia omnino damnata est, *ad text. in l. finali, Cod. de usuris*, quem in suis terminis anathocismi, seu conversionis usurarum in sortem ad effectum obtinendi usurarum usuras, cæteris deductis plenè, & magistraliter exornat Rota apud *Merlin. decis.* 409. aliàs 30 1. *par.* 5. *rec.*

Dicta enim propositio, quoties tamen præmium sit ad limites justitiæ commutativæ oneri proportionatum, nunquam recipienda est in ipso mutuatore, sed in eo, qui citra fraudem & collusionem, sit mutuatarii fidejussor, vel expromissor, seu assecurator; unde causa est, quòd mutuatorem inveniat, 8 eique pecunia credatur, aliàs non credenda ob fidejus-

fidejussoris vel assecuratoris fidem & idoneitatem, quam creditor potius sequi dicitur. Licèt enim non desint nimium rigorosi censores, negantes etiam in fidejussoribus, vel sub propria fide & obligatione approbatoribus aliquod lucrum, quasiquod istud officium gratuitò, & ex charitate impartiri debeat; Nihilominùs magis communis, & recepta est in contrarium, cum dicta moderatione præmii justi & adæquati, ut per *Mantic. de tacit. lib. 6, tit. 6. num. 6. Surd. cons. 306. Apont. cons. 19. lib. 2. Rota apud Gregor. decis. 76. & decis. 161. ibique adden., & decis. 679. par. 1. diversi. Leotar. de usuris quæst. 23. num. 31. Duard. de censibus §. 3. quæst. 13. nu. 20. & 21.*, & cæteri communiter.

Quod docet quotidiana praxis in campsoribus, aliisque idoneis negotiatoribus facientibus cedulas bancarias pro ementibus castra & bona à Congregatione Baronum, sivè pro Titularibus, & provisis de Episcopatibus & beneficiis, præsertim ultrà montes, ac etiam moderniori tempore frequentius in Italia, pro assecuratione pensionariorum, ad determinatum vel indeterminatum tempus, quoniam hujusmodi cedulistis datur provisio, quæ licèt juxtà communem usum regulariter sit ad
9 rationem duorum pro centenario, attamen potest esse plus & minus juxtà majorem vel minorem probabilitatem periculi cui cedulista se exponit; Atque isto casu quemadmodum debita recompensa, seù mercede conveniri potest in pecunia, ità non implicat eam obtineri occasione locationis, & conductionis, seù alterius contractus, cum aliqua justi pretii alteratione, dummodò alteratio sit dictæ mercedi proportionata, secùs si incongrua, juxtà distinctionem, quæ in his specialibus terminis affictus casalis facti per fidejussorem correspectivè ad fidejussionem factam, vel faciendam habetur per Rotam apud *Gregor. dicta decis. 161. & dec. 76.* Atque de dicta mercede cedulistæ, ejusque varia taxa, seù conventione, juxtà majorem vel minorem periculi probabilitatem habetur *in dicta Romana cambiorum de Valentibus sub tit. de cambiis, disc. 2.* ubi de ejusdem mercedis, seu provisionis potioritate & privilegio.

Ex dicta verò distinctione, juxta quam, mutui & alterius contractus mixtura regulanda est, resultat
10 decisio quæstionis, in qua plerique se involvisse videntur, circa eas conventiones, quæ tam in Italia, quàm extra sunt nimium in usu, quod scilicet anticipatè, præsertim hyberno tempore rusticis, & laboratoribus dantur pecuniæ, seu ejus loco frumentum, aliaque victualia, sub obligatione præstandi operas in secandis segetibus, seu aliàs in propriis agris & fundis colendis; Plerisque rigorosè opinantibus id prohibitum, ac illicitum esse, quasi quod etiam in casu conventionis pro justo pretio, seu justa mercede, adhuc illa coarctatio libertatis ex mutuo resultans, usuram redoleat, ut habetur apud *Molin. de contract. quæst. 309, & 310. Fachin. lib. 2. controv. cap. 54.* & alios apud *Leotar. quæst. 16. num. 13, & 14.* Verùm in contrarium est verior, & magis communis, juxta auctoritates superiùs allegatas, & hujus causæ decisiones, de quibus pariter supra, quoniam data justitia, & sinceritate, itaut mutuum, seu anticipata solutio non sit causa diminutionis solitæ mercedis, & prout currit cum eis, qui de tempore laborerii, & operarum eam recipiunt, justum & rationabile non est, ut qui istud charitativum officium impendit, anticipatè solvendi, ac penurioso tempore subveniendi, deterioris conditionis esse debeat, quocumque tertio tale officium non impendente, ut apud *eumdem Leotar. dicta quæst. 16. num. 24. & sequent.* licèt rustici in hoc sint ingrati.

Quod cum eadem distinctione procedere, ac recipiendum esse, semper credidi & consului in mixtura mutui cum altero contractu emptionis, & 11
venditionis, quia nempe rusticis, seu facientibus artem agrariam, aut habentibus vineas & oliveta, dentur anticipatè, præsertim in penurioso tempore pecuniæ pro frumento, vino, vel oleo recolligendo, ipsi mutuatori, seu anticipatè solventi vendendo, quoniam nisi dicta anticipata solutio caueret justi pretii diminutionem, ac mutuatarii damnum, nulla urget ratio, quæ id prohibeat, vel illicitum reddat; Quinimò potiùs in contrarium urgent, nedum ratio communis usus, qui in proposito attendendus est tanquam interpretativus, non autem canonizativus actus aliàs illiciti, & usurarii ex deductis *in Firmana disc. 1.* Sed etiam altera potentior ratio charitatis exercendæ cum ipsis rusticis & operariis, vel etiam artem agrariam exercentibus, seu vineas & oliveta habentibus, pro quorum necessaria cultura hoc subsidio indigent; Licèt enim ex hu- 12
jusmodi conventione in mutuatore resultet utilitas, quòd reddatur tutus de hujusmodi victualium emptione, ac prælatione supra alios, nihilominus hæc accessoria seu accidentalis utilitas, quæ mutuatori resultat, non habetur in consideratione, quoties ea nullum damnum causat mutuatario, nisi circa restrictionem dictæ libertatis, quæ non videtur considerabilis, vel rectè compensata est cum majori utilitate, quæ reportatur ex dicto præventivo subsidio tempore penurioso, sicuti econversò, si mutuatarius ex mutuo magnam utilitatem reporter, non exinde mutuator, cessante ejus interesse accessionum justificativo, istas recipere potest, quoniam attenditur interesse mutuantis, non mutuatarii, ut sæpiùs *hoc eod. tit.*

Usuræ autem suspicio seu periculum in hujusmodi casibus adesse potest, ac frequenter solet, in casu quo merx operarum, seu rerum emendarum pretium de tempore hujusmodi anticipatæ solutionis taxetur, juxta casum, de quo plenè agit *Mastrill. dicta dec. 106.* quæ videtur in materia magistralis, in eò tantùm apud nos, juxta Curiæ opiniones, non recipienda, quod mutuatori, vel anticipato solutori decernantur pro pecunia soluta interusuria, & tunc resolutio pendere videtur à terminis *text. in cap. in Civitate, & cap. finali de usuris*, an scilicet taxa, tanquam per speciem cujusdam transactionis super incerto futuro pretio majori, vel minori sit justa, & verisimilis, itaut ad utriusque æquale commodum, vel incommodum se habere possit, nec ne; Quæ autem in ista causa dicebantur de usuraria infectione, procedebant attentis terminis juris, ac loquendo, quod dari potest circa depravatam intentionem fœnerandi, præsertim in Viris adeo nobilibus non præsumendam.

# ROMANA
## CESSIONIS USURARUM,
*PRO*
HIERONYMO CLEMENTINO,
*CUM*
FRANCISCO SENSATO.

*Casus*

## *Casus disputatus coram A.C. & resolutus pro Hieronymo.*

An Christianus cessionarius Judæi exigere possit usuras Judaicas, quæ per ipsum Judæum cedentem à debitore invito, etiam in judicio exigi possent; Et an usuræ Judæorum excedere possint duplum sortis.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Debitor cessus liberatur solvendo cessionario, id quod ipse solvit.*
3 *Declaratur, quando id non procedat, sed teneatur ad totum.*
4 *An usuræ excedere possint sortem.*
5 *De modo judicandi neotherico, vel pragmatico.*
6 *Usuræ sunt illicitæ, & damnatæ etiam in Judæis.*
7 *De dicto Deuteronomii*, Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno.
8 *Quod de facto exigant ex permissione Pontificis.*
9 *De ratione, ob quam id toleratur.*
10 *Judæi conversi ad fidem, non possunt exigere usuras inexactas, & exactas debent restituere.*
11 *Christianus cessionarius Judæi non potest exigere usuras.*
12 *Fautores, consultores, & cooperatores usurarum peccant.*
13 *Donatarius vel cessionarius usurarii non potest usuras exigere, vel retinere.*
14 *De ratione, ob quam Christianus in usuris Judaicis non debet se ingerere.*
15 *De actione negotiorum gestorum, vel de in rem verso, quando locum habeat.*
16 *Quando intrent dictæ actiones, nec-nè.*
17 *Ad materiam* text. in l. incivile, Cod. de furt. *Et quando domino liceat vendicare rem suam à tertio, non refuso pretio.*

### DISC. V.

CUM Hieronymus ob mutuum scutorum mille sub usuris ad solitam rationem 18. pro centenario esset debitor bancherii Hebræi, ultra dictam sortem, in aliis scut. 3. m. circiter ex causa usurarum, Franciscus ab ejusdem bancherii defuncti hæredibus, mediante solutione scut. 1800. hujusmodi crediti cessionem in ampla forma reportavit, ejusque vigore dictum Hieronymum in processu executivo in vim obligationis cameralis pulsavit coram A.C. coram quo ipsius rei conventi defensores excipiebant solùm de beneficio debitori cesso adversus cessionarium competente ex dispositione *textus in l. per diversas, & l. ab Anastasio, Cod. mandati*, ut scilicet debitor à debito quamvis majori
2 liberationem reportet, offerendo cessionario summam per ipsum solutam cedenti pro cessione reportanda, cum aliqua majori recompensa, ex DD. communi & probabili sensu præstanda, in compensationem periculi, & incommodi, cui cessionarius ita se submisit, *Giurb. decis. 117. Mangil. de evict. quæst. 79. num. 19.* latè *Rot. decis. 44. num. 9. p. 11. rec. Capyc. Latr. consult. 144. num 32.* ubi quod valutatur in quinta parte; Cùmque Judex in hujusmodi exceptione admittenda difficultatem haberet, ex eo quòd prædictarum legum dispositio, utpote emanata in odium redemptorum litium, locum habeat, ubi agitur de juribus litigiosis, & incertis, non autem de certis & liquidis, *Giurba dicta dec. 117. Apont. cons. 77. lib. 1. Rot. decis. 274. par.* 3
*3. rec. decis. 126. post Cenc. de cens. decis. 147. num. 32. par. 11. rec.* & in aliis, ac habetur frequenter in sua materia *sub tit. de credito*, idcircò super hoc puncto, atque ad hujusmodi difficultatem superandam, ex parte rei conventi, requisitus fui.

Quamvis autem, his terminis retentis, ego probabiliùs dicerem, etiam cum sensu veritatis, præfatæ difficultati locum non esse, sed exceptionem admitti debere, quamvis dicta conclusio, seu præfatarum legum limitatio regulariter vera sit, ex eo fundamento, quòd sub quæstione est inter DD. præsertim modernos, an hujusmodi Hebræorum usuræ ipsam sortem excedere possint; Quoniam 4
*Surd. cons. 302. num. 1. cum seqnen. & per tot.* affirmativam favore Hebræi creditoris plenè, ac doctè de more substinet; Contrariam verò sententiam substinent *Facchin. lib. 10. controv. cap. 65. Roderic. de annuis redditibus, & cæteri plenè deducti per Manente, cons. 148. lib. 2.* ubi ex professo confutat *dictum cons. Surd.* idemque substinet *Vermigliol.* insignis hujus Curiæ Advocatus, *cons. criminal. 302.* Unde propterea dicebam, quòd quidquid esset de unius vel alterius opinionis veritate, cui integrum locum relinquere profitebar, dum causæ necessitas non exigebat, inhærendo nimium commendabili Curiæ stylo, non evagandi in superfluis, ac extra causæ necessitatem, dum occasio non dedit id particulariter, ac formiter disputare; Attamen ex præmissis negari non poterat, dictum usurarum excessum ultra sortem esse dubium, dum major auctoritatum calculus negativæ opinioni assistere videtur, ideoque non eramus in casu limitationis, sed potiùs regulæ.

Verùm, quia hoc motivo retento, oportebat solvere scuta bis mille, nempe mille pro sorte, & alia mille pro usuris, in quibus ad ratam sortis nulla cadebat controversia, potissimè quia excessus scut. 200. ultra summam à cessionario solutam, retento etiam rigore regulæ, adhuc congrua recompensa videbatur, juxta supradictæ regulæ rationabilem modificationem; Hinc proinde ingenium mrgis acuendo, in mentem venit usurarum solutionem in totum evitare, atque liberationem à debito, cum sola solutione sortis obtinere; Atque talis fuit 5
eventus causæ existius bono fato, quòd illa tractaretur coram Judice ingenioso, neotherico magis, quàm pragmatico, per terminos & principia juris, ut fieri ab omnibus deberet, magis procedente. Quod absque dubio sperari non potuisset, si casus dedisset causam tractari coram Judice merè pragmatico, ob defectum specialium, seu individualium auctoritatum, quæ juxta frequentiorem modernum abusum attendi solùm solent, non curatò, an sint bene vel malè fundatæ, & an congruè applicentur ad casum, nec-nè, qui abusus cum meo intolerabili stomacho adeò inolevit, ut frequenter practicaverim, Doctorum etiam levis armaturæ dicta, quamvis incidentia, malèque fundata, nedum in verbis, sed etiam per argumentum à contrario sensu, vel per subintellectum attendi, quo nil absurdius.

Dicebam igitur, etiam cum sensu veritatis, quam Judex ut supra admisit, quòd licèt ipse Hebræus cedens, dictas usuras exigere posset, nullatenus tamen id permittendum est Christiano cessionario; ideoque iste erat unus ex casibus, in quibus ob immutationem qualitatis personæ, exceptiones, quæ non obstarent cedenti, obstant cessiona-

sionario; Certum siquidem est, usuras utpotè jure
6 divino & naturali damnatas, etiam in Judæis illicitas esse, ut antiquioribus plenè collectis habetur apud *Marquard. de Judæis cap.* 11. *num.* 3. *Farinacc. in fragment.* verbo *Judæi numer.* 667. *& seqq. Thesaur. decis.* 57. Ubi occasione disputandi an Princeps sæcularis, inconsulto Romano Pontifice usuras Hebræis permittere possit, satis eruditè & elaboratè, tanquam super problemate à pluribus doctis viris disputato coram Duce Sabaudiæ, de hoc agit, cum aliis per *Mauente cons.* 148. *post decisiones, Giballin. de usuris lib. primo cap.* 7. *art.* 8. *conclus.* 3. *Leotar. de usuris quæst.* 100. *numer.* 32. & cæteri communiter, ac etiam magistraliter *Rota apud Merlin. decis.* 409. aliàs *dec.* 301. *par.* 5. *rec. ex*
7 *num.* 31. *ad finem*, ubi satis benè expenduntur illa Deuteronomii verba cap. 23. *Non fœneraberis fratri tuo sed alieno*, an scilicet illud verbum, *sed alieno*, ob quod Judæi credunt cum gentibus licitè usuras exercere posse, derivet ex textu ipsius Moysis, vel potius sit additio *Collegii Ginandrin.* ut probabilius in dicta decisione eruditè probatur.

8 Et quamvis de facto, etiam in Urbe, ex Summi Pontificis permissione, sub certis taxa & modis Judæi hujusmodi usuras exerceant, atque à Christianis etiam invitis exigant, quod ex Apostolica etiam permissione sub *Sixto V.* servari in Ducatu Sabaudiæ testatur *Thesaur. dict. decis.* 57. ubi in fine registrat ejusdem Pontificis litteras, & habetur
9 particularitèr actum *disc. sequenti*, Nihilominùs hujusmodi tolerantia seù non prohibitio provenit ex eo, quòd cùm hujusmodi personæ sint extrà græmium Ecclesiæ, eorumque salus ex defectu fidei desperata sit, idcircò Ecclesia sollicita non est de eorum salute, cujus tanquam in casu desperato, donec ad fidem convertantur nullam curam habet, ut advertunt *Giballin. & cæteri suprà allegati Ricciul. de jure personarum extrà græmium Ecclesiæ cap.* 19. *nu.* 5. *Vermigliol. cons.* 300. & communiter.

Hinc proindè sequitur, quod si Judæus ad Christianam fidem convertatur, ex tunc usuras inexactas
10 exigere prohibetur; Quinimò de stricto jure, etiam exactas, quatenus ejus vires suppetant, restituere tenetur debitori certo, etsi debitores sunt incerti, debet restituere Ecclesiæ universali, & ad dispositionem Papæ, qui tamen eas aliquandò solet eisdem in toto vel in parte condonare, nè ex isto motivo à fide avertantur, *Azor. instit. moral. par. prima lib.* 8. *cap.* 22. *de Judæis vers. decimo septimo quæritur*; Unde prodiit apud vulgus antiqua traditio, fabulæ speciem habens, quod ideò Judæi ad fidem non convertantur, quia nolunt bonis expoliari, id facturi, si bonorum retentio eis permitteretur, quasi quod eis fiat spolium, quod est fabulosum, quamvis de rigore juris id fieri posset & deberet.

Si ergo ipsimet Judæi directi creditores & cedentes, in quibus in statu judaismi jam radicatum est jus
11 seù actio hujusmodi usurarum, postquam effecti sunt Christiani, illas exigere prohibentur, quinimò de rigore juris, ex dicta causa temperato & non observato etiam exactas restituere; Multò magis dicendum est quod Christiano in statu fidei voluntariè hanc illicitam & peccaminosam acquisitionem facienti id permittendum non sit.

Considerabam præterea in hac usuraria materia, non solùm peccare committentes & exigentes usu-
12 ram, sed etiam mediatores, cooperatores, consultores, & aliàs quomodolibèt concurrentes, ut in specie usurarum judaicarum, *Azor. dicto lib.* 8 *par. prima cap.* 22. *vers. in hac quæstione Mauente dicto cons.* 148. qui alios refert, & generaliter Morales ac cæteri communiter, unde propterea in disputationibus habitis in casu de quo *disc. sequenti*, Mihi Hebræorum Universitatis Advocato, per aliquos Morales objiciebatur, quod in peccato essem, Judæorum partes tuendo, licèt non benè diceretur ex rationibus, de quibus ibi.

Prout verius est, ac magis communiter receptum, usurarii donatarium vel successorem, seù aliàs cessionarium non posse tuta conscientia usuras exigere vel exactas retinere, etiamsi si titulo oneroso acqui- 13
sierit, sciendo usurariam qualitatem, quoniam est confovere peccatum, atque scienter accipere à non domino rem alienam, adinstar acquirentis à fure scienter bona furata. *Less. de justit. & jur lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 24. *Lugo de just. & jur. tit. de mutuis & usuris disput.* 25. *sect.* 11. *num.* 213. *&* 226.

Alia etiam ratione ponderata, quod ità de facili, sub nomine & pallio Judæorum, ipsi Christiani callidi & depravati fœneratores hujusmodi judaicas ac adeò excessivas usuras exercere possent, 14
fingendo scilicèt mutuum à bancherio Judæo fieri, atque longo tempore usuras decurrere, deindeque hujusmodi cessionem effingere, ut ità directè eas exigere valeant, cum potentiori brachio, quàm sit illud Judæorum, undè ex pluribus dicebam hanc videri genuinam veritatem.

Excitato motivo, illicò apud judicem plausum habente, actor plurium Advocatorum primi nominis consilium desuper in congressu, juxtà stylum, petiit, sed concluſum fuit, motivum esse solidum, & inevitabile, solumque *Ronconius* in parte tamen doctrinali tantum verè doctissimus, & magnus Advocatus, ad effectum recuperandi saltem id quod prohujusmodi cessione obtinenda solutum fuerat, quodque ab ipso reo convento ab initio offerebatur, immò contendebatur recipi debere, ut suprà; Excitavit motivum actionis negotiorum gestorum, sivè alterius de utili in rem verso, quasi quod actor nimium utile negotium pro reo gesserit, illum ità liberando à longè majori debito scutorum 4000. & ultrà cum sola summa scut. 1800. juxtà 15
terminos *textus in* §. *igitur secundo Instit. de obligat. quæ ex contrahuntur*, ubi *Aretin. & cæteri*, omniumque latius modernus *Harprect.* Et de qua actione negotiorum gestorum, vel de in rem verso habetur pluriès actum *sub tit. de credito*, præsertim *in Romana pecuniaria de Vincentinis*, & admittunt in suo casu *DD.* de quibus infrà.

Facilis tamen solutionis fuit objectum, dicebam etenim, etiam cum sensu veritatis, motivum in ordine ad actionem negotiorum gestorum rectè suffragari posse, quandò actor sincero animo, & ex 16
motivo charitatis seù dilectionis id egisset in gratiam debitoris, ut ejus utile negotium gereret, eumque à graviori onere sublevaret; Secùs autem dum negotium gessit, principaliter ad propriam utilitatem, & locupletationem, in odium & gravamen debitoris, cui ità transfuso credito in personam potentiorem, adempta remanebat spes obtinendi ab ipso Hebræo eamdem ac majorem condonationem, quàm ipse voluntarius redemptor obtinuerat, quo casu tanquam ex cessante ratione cui prædicta actio innixa est, illa non intrat ex communi sensu eorumdem DD. de quibus suprà, ac aliorum apud eos.

Ad quod probandum deducebam ea, quæ in proximis terminis habentur *apud Spad. cons.* 149. *nu.* 17
5. *& seqq. lib.* 1. ubi de recuperante seù redimente rem alienam ab hostibus vel latronibus, an scilicèt ipsius rei domino, pretio etiam non soluto

detur

detur illius vendicatio, juxta terminos textus *in l. incivile, Cod. de furtis, cum concord. per Farinacc. qu. 177. num. 30. cum seqq.* & habetur *in Ianuen. vena sub tit. de feudis, disc. 58. & in Romana, seu Civitatis vetulæ mercium, sub tit. de Regalibus ad materiam portus, disc. 129.* Distinguitur enim, & bene, quòd aut ille tertius, penes quem hujusmodi bona reperiuntur, illa à latronibus seu aliis redemit pro inferiori pretio, ex motivo charitatis, & bono animo, ut domini utile negotium gereret, eique restitueret; ita impediendo, ne ad alienas manus irrecuperabiliter pertransiret, ipso domino absente, ac non valente tunc recuperare, & tali casu concedenda non sit vendicatio, nisi restituto eo, quod ipse redemptor erogavit, ne pro charitatis & benevolentiæ officio impenso, damnum & jacturam de proprio sentiat, ita suadentibus principiis, nedum juris scripti, sed etiam naturalis; Secus autem, si hujusmodi circumstantia cesset, quoniam cessante bona fide, etiam in casu, quo juxta meum sensum dispositio dicti textus *in l. incivile*, limitanda veniat ratione libertatis commercii in portubus ac publicis emporiis, adhuc admittebam locis supra allegatis, præsertim *sub tit. de Regalibus, disc. 129.* dictam limitationem non intrare; Qui termini videbantur ad rem adaptabiles, & fortius, cùm non ageretur ad effectum agendi, & vindicandi, sed ad effectum excipiendi, dum juxta vulgaria recepta principia, longè facilius intrat exceptio, quàm actio; Unde propterea actor contentus receptione solius sortis, agnitâ veritate acquievit; Alia verò actio de in rem verso nullatenus intrabat, cùm illa fundetur in æquitate locupletationis de alieno, ex deductis *apud Otthob. decis. 40. cum aliis in d. Romana pecuniaria de Vincentinis, sub tit. de credito*, ubi de hac materia satis.

# ROMANA USURARUM JUDAICARUM, PRO UNIVERSITATE HEBRÆORUM.

*Casus disputatus in Congregatione particulari, deputata cum exitu, de quo infrà.*

An Princeps sæcularis, vel etiam Summus Pontifex, possit usuras Hebræis permittere, vel teneatur prohibere; Et quatenus dicta permissio fieri valeat, An illarum reductioni seu moderationi locus esse debeat, nec-nè; Et generaliter de ista materia usurarum Judaicarum, earumque reductionibus de præterito.

## *SUMMARIUM.*


1 *Antiquitùs dabantur usuræ cum solo spatio unius anni sortem adæquantes, & sic ad 100. pro centum.*
2 *Error aliquorum circa usuras centesimas, quæ in jure habentur.*
3 *Prima moderatio usurarum Judaicarum ad 30. pro centenario.*
4 *De aliis moderationibus primò ad 24, & secundò ad 18. pro centenario.*
5 *Casus controversiæ.*
6 *De moderatione usurarum in Statu Sabaudiæ.*
7 *Damnantur volentes etiam permissionem usurarum Iudaicarum fieri non posse.*
8 *An, & quid Pontifex super usuris statuere possit.*
9 *Ponderatio ad comprobationem eorum, de quibus num 7.*
10 *Usura etiam in Hebræis & infidelibus illicita.*
11 *De ratione, ob quam in istis illa toleratur.*
12 *Referuntur agentes de moderatione usurarum.*
13 *De privilegio Hebræorum mutuandi super pignoribus, non curando, an oppignorantes sint Domini.*
14 *De damnis resultantibus ex usu usurarum Iudaicarum.*
15 *De axiomate, quòd ex duobus malis minus eligendum est.*
16 *De rationibus, ob quas oportet tolerare Hebræos.*
17 *Qui vult populum in loco, debet ei suppeditare necessaria ad victum.*
18 *Hebræi possunt exercere artem sutoriam in vestibus novis.*
19 *Quòd reductio fieri deberet.*
20 *Resolutio, ejusq; rationes.*


## DISC. VI.

VIventibus in Urbe Hebræis, atque usuras exercentibus absque aliqua taxa seu moderatione, prout à suffocatis debitoribus extorquere poterant, quod juxta retroactorum sæculorum, & temporum conditionem gravissimum onus importabat, adeo ut *Cotta in suis memorabilibus relatus per Surd. cons. 302. num. 10. in fine* dicat, talem fuisse temporum conditionem, quòd vix reperiretur mutuator, qui pecunias daret sub usuris, unius anni spatio ipsam sortem principalem adæquantibus, & sic ad rationem 100. pro 100. quam usurarum speciem in jure communi cognitam esse, credit idem alioquin doctissimus *I. C. Surdus*, sequendo *Azzonis, Accursii*, & aliorum antiquiorum leguleicam simplicitatem, quòd usuræ centesimæ, de quibus Jus commune loquitur, hanc usurarum speciem ad rationem 100. pro 100. importarent; unde meritò in specie reprehenditur à *Manent. cons. 148. & à Leotar. de usuris, qu. 4. num. 42. in fine.* 1 2

Hanc licentiam moderari cœperunt, priùs *Leo X.* deinde verò *Paulus III.* præscribentes taxam scutorum 30. pro centenario & anno, de qua testantur *Ferrett. cons. 37. in fine, & Berous cons. 206. num. 3. lib. 3.* quæ summa exorbitans videri non debet, dum moderniori tempore, usque ad moderationem *Sixti V.* in Sabaudia, aliisque Pedamontanis, seu Lombardiæ partibus, continuarunt usque ad summam *scut. 33.* ita ut triennio sortem æquarent, ut patet ex *Surd. d. cons. 302. & Thesaur. dec. 57.* 3

Sub *Pio* autem *IV.* dictæ usuræ reductæ fuerunt ad 24. pro centenario, ut patet ex ejus *Constit. 139.* juxta ordinem Bullarii veteris impressi sub *Sixto V.* Et quamvis *Pius V.* successor, renovando omnia rigorosè statuta contra Hebræos per *Paulum IV.* in ejus *Constit. 3.* juxta Bullar. novum, revocasset multas moderationes concessas per *Pium IV.* ut patet ex ejusdem *Pii V. Constit. 6.* juxta novum Bullarium; Nihil tamen super dicta taxa usurarum innovavit; unde in ea continuatum fuit usque ad annum 1577. sub *Gregorio XIII.* quando reductæ fuerunt ad 18. pro centenario, ut patet ex ejus *Constit. 43.* juxta d. ordinem Bullarii veteris 4

veteris *Sixti V.* ubi continentur capitula inita cum Cardinali Camerario super modo recipiendi & distrahendi pignora, ac super aliis ipsos Hebræos concernentibus, & de quibus capitulis pluries mentionem facit *Vermigliol. cons.* 300. *cum duobus seqq.* atque ità continuatum fuit usque ad hæc tempora, & de facto continuatur.

Et quamvis usque à temporibus *Clementis VIII.* qui multa statuit contrà Hebræos, ut patet ex ejus *Constit.* 19. ac etiam curavit sublevare Communitates, reducendo, seù, ut vulgò dicitur, sbassando census, motivatum fuerit hujusmodi usuras reduci debere ad minorem rationem; Idemque initio cujuslibet Pontificatus omnium successorum pariter tentatum sit, nihilominus ad alteram innovationem deventum non est; Cùm autem initio Pontificatus Sanctissimi *Clementis IX.* Regnantis deputata esset plurium Cardinalium & 5 Prælatorum Congregatio pro levamine Communitatum Status Ecclesiastici, in ista satis acriter per aliquos zelatores prius institum fuit pro moderatione, postmodùm verò acrius cum multis Theologorum votis & responsis pro omnimoda prohibitione, quodq; totaliter deleretur usus bancheriorũ.

Quia verò ferè ab initio susceptæ Advocationis casus dedit, quod sub clientela haberem Universitatem Hebræorum, cum qua, utpotè meam operam conducente, atque in illa fiduciam habente, pariformitèr ac cum aliis debitam charitatem, atque hujus muneris integritatem obligatam censui, Idcircò stantibus his motivis, ab eadem Universitate requisitus fui, ut præfatis votis ac responsis satisfacerem; Verum quamvis fortè ingenii vires non defuissent, etiam cum Theologorum & Moralium auctoritatibus & terminis quoad ea, quæ conscientiam, seù forum internum concernunt respondendi, Attamen volui quoad hæc abstinere, meam retinendo consuetudinem non immittendi falcem in messem alienam, retentaque propositione pluriès hoc tit. & alibi insinuata, quod quilibet ejus personæ gerendæ in scena incumbere debet, neque se ingerere in iis, quæ alteri personæ demandata sunt, atque ut ille cui contigit agere partes Marthæ, relinquat suas partes Magdalenæ, & è contra; Proindèque quoad ea, quæ in dictis votis & responsis dicebantur super obligatione conscientiæ Summi Pontificis, suæque potestatis defectu non permittendi has usuras, eidem Universitati consului, quòd alios adiret Theologos & Morales, qui desuper consulti, satis doctè & convincentèr responderunt.

Prout ipsa Congregatio, satis maturè examinata & discussa materia, parvifecit motivum, in quo principaliter dicti scribentes insistebant, super defectu scilicèt potestatis Pontificis id tolerandi, ejusque obligatione in conscientia totaliter prohibendi, stante adeò antiquo & continuato usu sub tot Summis Pontificibus zelantissimis contra Hebræos, ut præsertim fuerunt *Paulus IV. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII.* ac etiam *Paulus V.* ut ex eorum Constitutionibus in utroque antiquo & moderno Bullario impressis patet, qui tamen id nedùm tolerarunt in isto eorum temporali Principatu, sed etiam ex persona Pontificis assensum præstiterunt, ut alii Italiæ, aliarumque Catholici 6 Orbis partium Principes vel Respublicæ tolerarent, cum certa taxa seù reductione, ut præsertim patet ex dictis litteris *Sixti V.* Duci Sabaudiæ directis, registratis *apud Thesaur. d. decis.* 57. ex quibus patet, quòd facta prima moderatione per Pontificem ad rationem 15. pro centenario, cum experientia dedisset eam ad praxim reduci nõ posse, ampliatà fuit ad eamdem taxam Urbis 18. pro centenario.

Ex hac enim tàm diuturna observantia, totque Summorum Pontificum gestis seù provisionibus, inferebam scribens in ista causa, speciem nimiæ 7 temeritatis videri redarguere tot Summos Pontifices, ipsamque Ecclesiam in universum, quod spatio tot sæculorum id toleraverint, atque publicè, etiam cum dictis taxis Apostolica auctoritate firmatis practicari permiserint; Licèt enim non controverterem super ipsa usura in genere ejusque substantia, utpotè de jure divino prohibita, Summum Pontificem dispensare non posse, neque il- 8 lam generalitèr & indefinitè canonizare, ac licitam reddere; Nihilominus, quia eidem Pontifici facultas competit ipsum jus divinum declarandi, seù interpretandi, & consequentèr judicandi, quandò citrà præfati juris violationem, id non per viam dispositionis, sed per viam tolerationis permitti possit & debeat, dum ex sensu omnium, tàm Canonistarum, quàm antiquorum Theologorum, de quibus præsertim apud *Thesaur. d. dec.* 57. ad ipsum tantùm de hoc inspicere, ac judicare pertinet, Theologis autem, & Canonistis insinuantibus, tanquam in arte peritis, ejusdemque Pontificis consultoribus rationes & motiva, ex quibus ipse suum judicium desuper sit regulaturus, non autem quod eis ob aliquas scribentium opiniones ità deferendum sit, quod hujusmodi opiniones canonizando, ità declaretur tot Summos Pontifices, totamque Ecclesiam tandiù in errore stetisse.

Ponderando potissimè, quod à dictis præsertim temporibus *Leonis X.* ex quibus super hujusmodi usuris, Pontificias provisiones habemus, quamvis non desint volentes etiam à *Martino V.* & *Eugenio IV.* desuper statutum esse, ut post *Castrens.* re- 9 fert *Quett. cons.* 54. *sub num.* 12. duo inita fuerunt Concilia generalia, Lateranense scilicèt sub *Leone X.* & Tridentinum initiatum sub *Paulo III.* & terminatum sub *Pio IV.* in quibus de reformandis, vel tollendis omnibus abusibus, qui in Ecclesia irrepsissent, vigilantissimè, ac diligentèr actum fuit, & tamen nulla facta est provisio super re adeò publicè & palam practicata, ut sine dubio sequùtum esset, si continerer illum abusum, seù errorem, quem isti scribentes substinere satagebant.

Secluso autem hoc motivo, verè nullam subsistentiam habente in ordine ad potestatem ipsius Pontificis, suæque conscientiæ obligationem; In reliquis, omninò incongruas dicebam videri in hac materia; tàm partes Theologorum, quàm illas Canonistarum; Siquidem tanquam indubitatum admittebam usuras etiam in Hebræis & infidelibus 10 damnatas & illicitas esse, ut longè anteà quàm hæc agerentur, egomet probavi occasione substinendi, quòd Christianus cessionarius Hebræi tales usuras exigere non posset ex deductis *disc. præcedèti.*

Hujusmodi verò tolerantia provenit ob desperatam salutem istarum personarum existentium extrà græmium Ecclesiæ, quæ proindè usquequò ad idem græmium redeant, de illarum salute sollicita non est, neque aliquam curam habet; Quo posito non videbatur, ad quid deservirent partes hujusmodi medicorum spiritualium cum illis, qui in hac materia fori interni cadaverum jure habendi sunt; Et consequenter inspectio reduci potius videbatur ad terminos polyticos, seù prudentiales, super ipsius Principatus, seù Reipublicæ regimine, & nè permitteretur proprios subditos ab hujusmodi fœneratoribus excoriari, ex eadem ratione, ob quam antiqua Romana Respublica plures

pro-

provisiones desuper edidit, ac etiam successivè alii Principes statuerunt, ex iis quæ habentur *apud Ann. Robert. lib. 4. rerum judicatarum cap. 18. Larrea alleg. 23. nu. 35. & 36 Cloch. de ærario lib. 1. cap. 62. nu. 35. & seq. Gibalin. de usuris lib. 1. cap. 5.*

12

Discurrendo igitur materiam in hujusmodi terminis prudentialibus, vel scilicèt super omnimoda prohibitione, vel super moderatione, seù reductione, ad quam potissimè ex ejusdem Congregationis judicio tota inspectio restricta fuit; Plura hinc indè urgebant; Primò siquidem pro omnimoda prohibitione urgere videbatur magnum inconveniens, quod inducit usus hujusmodi bancheriorum, ob privilegium mutuandi super pignoribus absque necessitate indagandi, an bona oppignorata essent ipsorum oppignorantium necnè, jux-

13 tà ea, quæ habentur *disc. sequenti*, ubi de hujusmodi privilegii rationibus, ac declarationibus; Ità enim sequitur latum aditum, promptamque occasionem præberi furandi vasa argentea, & aurea, vestes,

14 aliaque mobilia, ob promptam, & facilem occasionemoppignoratione mediante retrahendi pecuniam, ac fugiendi, vel furtum occultandi.

Secundò ob damna, quæ Reipublicæ inferuntur per Christianorum excoriationem, cum usuris adeò gravibus, præsertim verò filiorum familias, seù aliàs inexpertorum juvenum, qui aliàs non dissiparent, nisi hanc promptam haberent occasionem.

Tertiò, quia in omnium præsertim Moralium sensu dicta tolerantia locum habere debet ex motivo utilitatis Reipublicæ, ut scilicèt egentibus ità in eorum necessitatibus consultum esse possit, Ideoque iidem scribentes monent Principes, ut in eorum ditionibus & dominiis curent introducere Montes Pietatis principalitèr erigi solitos pro gratuita pecuniarum mutuatione super pignoribus. Et consequentèr cum in Urbe ditissimus adsit Mons Pietatis magno pecuniæ numeratæ peculio semper provisus, cessabat unica præfatæ tolerantiæ ratio, dùm ità remaner indigentibus consultum.

Econversò dicebam ego, quòd cùm in humanis rebus dari non valeat omnimoda perfectio boni, absque alicujus mali, vel inconvenientis mixtura, idcircò tam legis scriptæ, quàm prudentiæ regulæ exigunt attendendam esse boni præponde-

15 rantiam, seù eligendum minus malum ex plenè collectis per *Barbos. axiomat. 141. nu. 6. & seqq.* inter ejus tractatus varios, ubi disputat ad partes istam quæstionem, an eligi, vel consuli possit minus malum, ut majus evitetur, etiam ubi utrumque est peccaminosum, & quo casu ratione peccati intrat difficultas ob aliud axioma, quòd non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona ex deductis *eodem axiom. 141. numer. 3.* undè quando ista peccati ratio cessat, atque non urget materia læsionis conscientiæ, sed solùm agitur in terminis humanæ prudentiæ pro meliori Reipublicæ regimine, dictum primum axioma rectè procedere videtur.

Plura ergò majora, & præponderantia Reipublicæ beneficia resultant ex hujusmodi Hebræorum tolerantia, etiam cum dicto banchorum usu mutuandi super pignoribus sub usuris, ultrà principalem, ac majorem utilitatem spiritualem, quod ità speretur, ac in dies obtineatur eorum conversio

16 ad fidem, Primò nempè generalitèr, ob utilitatem tàm Reipublicæ & Principatus in genere, quàm ipsius Civitatis & Curiæ in specie, habendi hunc servilem & industrem populum, quasi tot industres & peritos servos ad christianorum commoditatem laborantes, undè triplex resultat utilitas, Una commoditatis & servitii, Altera majoris consumptionis victualium, aliarumque rerum per hunc populum, quo diminuto, seù istud domicilium deserente, hæc minor consumptio adesset, Et tertio in idem, majoris redditus vectigalium, aliorumque juriùm Regalium super victualibus, aliisq; rebus humano usui deservientibus; Si ergò expediens, ac utile est istum populum, quasi tot industres servos ad propriam comoditatem & utilitatem retinere, utique illi dare, seù permittere oportet modum, quo mediante vivere valeat; Ad instar eorum, quæ tradunt feudistæ de Barone, seù domino, ut teneatur pati in vasallis & sui loci incolis usũ pascendi, aquandi, & lignãdi &c. nè inermem vitã ducant, 17 ut habetur in *Sabinen. status Montis libretti sub tit. de feudis disc. 65.* Cùm igitur per *Paulum IV. d. constit. 3.* in viridi observantia existente, sit eis prohibitum possidere bona stabilia, necnon se ingerere in industriis cõcernentibus triticum, vinum, omniaq; alia humanum victum concernentia, oportet eis permittere aliam industriam, seù modum vivendi, ut benè ponderat *Rota in Romana artis sutoriæ 20. Martii 1620. coràm Sacrato impress. dec 194 par. 4.* 18 *rec. tom. 2.* edita occasione prætensionis, quæ habebatur per sutores, nè Hebræi vestes novas conficere possent, seù merces lanæ & serici cõtractare, quasi quod solùm permittenda esset illa ars circà vestes veteres usuales, quæ vulgò *cenciaria* dicitur.

Et licèt replicaretur, quòd rectè vivere possunt cum dicta arte sutoria, aliisque industriis, in quibus propriè eorum peritia consistit, nihilominus expertus ea, quæ circà hebræorum cum sola arte viventium habentur *in Romana collecta, seù datii hebræorum sub tit. de Regalibus ad materiam vectigalium disc. 101. cum seqq.* Dicebam cum fundamento veritatis, impracticabilem esse hujus populi & universitatis substentationem cum hoc solo exercitio, dùm de facto eadem Universitas ex retroactis calamitatibus belli divini & humani, atque ob alia accidentia, necnon ob præcisãm necessitatem subveniendi ejusdem populi pauperibus, qui Christianorum eleemosynas & subventiones non habent, gravata est annua summa scutorum circitèr 25. m. retrahenda ex ipsorum hebræorum datiis & collectis, quæ per solos bancherios verè & de facto ferè in totum supportantur, ut *in dictis disc. 101. & seqq. sub tit. de Regalibus.*

Secundò in idem, quia cum ob dictas calamitates, aliaque accidentia, dicta Universitas de facto gravata sit ære alieno contracto cum Christianis cum beneplacito Apostolico in summa scutorum circiter 300. m. pro quorum fructibus dictum annuum onus in adeò gravi summa supportatur, quòd debitum pro majori parte conversum est in loca montium ob aggregationem ad quosdam montes eidem Universitati per Pontifices concessam; si dicta prohibitio sequeretur, itaùt omnes cogendi essent victum cum arte sutoria & diurna industria personali quærere, absque dubio Universitas redderetur impotens ad prædictũ onus, quod redundaret in supplantationem Civitatis & Republicæ, ob amissionem dictæ ingentis summæ, quæ sub publica Principis fide dictæ Universitati credita est.

Tertiò magis in specie, circà ipsam individuam bancheriorum permissionem; Dicebam magnam exindè Civitati & Curiæ resultare commoditatem, non obstante illa, quæ primo aspectu longè major videtur Montis Pietatis, nedùm respectu plebis, ac populi minuti, qui ubi non habet pignora aurea, argenta, ærea, vel linea, tineis & deteriorationi non subjecta, sed habet bona lanæ, seù alterius

materiæ ità subjectæ, undè major cura & diligentia exigitur, non levem patitur difficultatem, vel incommoditatem ejus indigentiis promptè subveniendi mediante Monte Pietatis, ob inferiorum ministrorum asperitates & difficultates circà hanc bonorum speciem recipiendam; Sed fortiùs in ordine ad populum majorem, etiam Magnatum & primi ordinis, necnon nobilium & mercatorum, undè reverà, ut egomet circà mitia Curiæ expertus sum, quoad personas idoneas & punctuales, est commoditas incomparabilis, ac pretio inæstimabilis; Contingente siquidem ex aliquo accidenti, vel inopinato casu aliqua gravi indigentia, quam detegi non expedit, pro decore, ac existimatione conservandis, ita de facili occurri potest mediante oppignoratione gemmarum, seù bonorum aureorum, & argenteorum, aliarumque rerum pretiosarum sub nomine fiduciarii famuli faciendorum, ut habetur *disc. sequenti*; Hoc autem, ubi agitur de gravi summa, ob difficultates quæ desuper habentur, fortius verò ob magnam publicitatem exindè resultantem, in Monte Pietatis non est practicabile

Potissimè verò dicta commoditas maxima est, ac pretio inæstimabilis pro mercatoribus & negotiantibus, quorum præcipuum, ac majus peculium consistit in existimatione, cujus amissio, vel diminutio resultans à deficiente prompto implemento tractarum causare solet eorum decoctionem, ac immutationem status, itaut quandoque satis intersit in una hebdomada habere absque publicitate promptam pecuniam, etiam cum usuris sorti æquivalentibus, juxtà antiquum morem, de quo suprà, quoniam ob brevitatem temporis, in quo restitutio sequitur, usuræ quamvis graves, magnum comparativè commodum & utilitatem causant, Atque ego de facto scio plures negotiatores, deindè ditissimos effectos, ità in quibusdam urgentiis, negotium, ac existimationem substentasse, quodque aliàs decoctionem, ac omnimodam status immutationem cum maximo damno creditorum, & correspondalium, ipsiusque Reipublicæ gravi præjudicio pati oportuisset; Ideoquè facta comparatione hinc indè commodi & respectivè incommodi Reipublicæ resultantis, longè majus, ac præponderans videtur commodum.

Considerando potissimè, quod excepto isto ultimo casu negotiantium, ac Magnatum & nobilium, quorum principaliter interest necessitatibus absque publicitate occurrere, respectu reliqui populi, in quo ista convenientiæ ratio non urgeat, dum commoditatem habet recurrendi ad Montem Pietatis, propriæ stultitiæ & fatuitati imputare debet, cur hanc viam eligat; Et ex his, aliisque considerationibus, dicta Congregatio, quasi concordibus votis, rejecit dictas instantias omnimodæ prohibitionis.

Difficultas major fuit circà reductionem ad minorem moderatam summam, cujus reductionis respectu, egomet dabam manus victas, atque fatebar
19 argumentum non habere responsionem, nisi urgerent prudentiales rationes, ob quas, stantibus dictis magnis hujus Universitatis oneribus absque aliquo fundo, non expediebat circà eam aliquid innovare, nè exinde dictorum christianorum creditorum, atque ipsius Reipublicæ supplantatio resultaret, dum ipsamet facti series, de qua suprà, ad evidentiam probat, usurarum taxam, seù quantitatem juxtà temporum conditionem regulatam esse; Antiquioribus enim temporibus Romanæ Reipublicæ usuræ erant majores, deindè verò moderatæ, itaut graviores essent centesimæ hoc est ad 12. pro centenario, ut eruditè probant *Ann. Robert. Larre. Giballin. & cæteri de quibus supra num.* 12. Media verò tempora etiam minorem taxam postularunt, 20
ut videmus in constitutione Federici Imperatoris, edita pro utriusque Siciliæ Regnis, incipiente *Usurariorum*, per quam indefinitè Christianis usuræ prohibentur, Hebræis verò permittuntur cum taxa non excedente 10. pro centenario; Et successivè deteriorata temporum conditione receperunt adeò magnum incrementum, quod ut suprà initio dictum est, ascenderunt ad 100. pro 100. seù aliàs erant arbitrariæ; Postmodum verò taxa statuta fuit, ut suprà in scutis 30. pro centenario, successivè redacta ad 24. ac demum, ità temporum conditione exigente ad 18. Undè cum facta peræquatione fructuum locorum montium & censuum dicti ultimi temporis cum hodierno, satis notabilis esset diminutio, fortè ultrà dimidium, utique attenta debita proportione, dicta reductio remanebat inevitabilis.

Ex dictis tamen prudentialibus motivis, omnibus benè & maturè perpensis, major pars sensa- 21
tissimè credidit, tunc desuper provisionis necessitatem pro populi levamine imminere, quando alium populus non haberet modum ejus indigentiis occurrendi, quia nempè omnes Civitatis fœneratores eumdem asperum & gravem usurarum modum tenerent, itaut populus de necessitate suffocatus remaneret, graves usuras supportandi; Et ex qua ratione per antiquam Rempublicam Romanam, aliosque Principes successivis temporibus super usurarum moderatione desuper provisum est.

Hæc autem ratio in præsenti cessat ob dictam commoditatem mutui gratuiti à Monte Pietatis, ac etiam ob occasiones habendi à Christianis pecunias ad cambium, vel censum sub nimium moderato fructu quatuor, vel quinque pro centenario, undè propterea ista Hebræorum via deservit solùm, vel negotiatoribus & populo majori ex clandestinitate maximam utilitatem reportantibus ut suprà, vel fatuis & stultis, quibus non de facili provideri potest, nè sivè uno, sive altero modo suum projiciant; Proindèque prudentissimè concluſum fuit, supersedendum esse per aliquod tempus in desuper aliquid determinando; atque interim providendum esse, quòd inferiores ministri Montis Pietatis, melius eorum partes impleant, atque à difficultatibus & asperitatibus cum populo minuto abstineat, quoniam ità, ex ipsa naturali operatione resultabit provisio, dum ut dictum est, apertæ stultitiæ species est, ut qui promptum habet modum gratuiti mutui, illud sub adeò gravibus usuris suscipere velit, & sic non urget necessitas, à qua pendet suffocatio, cujus ratione Principis provisio necessaria est.

# ROMANA
## PIGNORUM
*PRO*
## VENTURA ET ANGELO DE
SERMONETA BANCHERIIS
HEBRÆIS,
*CUM*
## MARCHIONE RAIMUNDO.

*Casus*

## *Casus disputatus in variis Tribunalibus, & resolutus pro bancheriis.*

An, & quando usuræ Hebræorum exigi possint ultrà terminum 18, seu respectivè 21, mensium, intrà quorum spatium per capitula statutum est, pignora vendi debere, ac usuras ampliùs non currere.

Et an bonis alienis per non dominum oppignoratis, possit dominus ea vindicare à bancherio Hebræo, non restituta pecunia, pro qua oppignorata sunt, cum usuris.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Puncti causa.*
3 *Datur distinctio super actionibus, quæ competunt contra Hebræum, penes quem reperitur res aliena oppignorata.*
4 *De jure dominus vindicat rem non restituta pecunia, & num. 6.*
5 *Fallit in Urbe ex privilegio concesso Hebræis, sed quomodo intelligendum sit cum bona, vel mala fide.*
6 *Ampliatur conclusio, de qua num. 4.*
7 *Declaratur dictum privilegium, & in quibus casibus non procedat constituta regula in contrarium.*
8 *An dictum privilegium, de quo num. 5. sit rationabile, nec-ne.*
9 *An excusetur credens famulo, vel ministro, cujus opera quis uti solitus erat.*
10 *Restrictio temporis cursus usurarum cessat accedente consensu debitoris.*
11 *Lis injusta non causat vitium litigiosi.*
12 *Impediens habetur pro consentiente, & ideo currunt usuræ favore Hebræi ab ipso debitore impediti vendere pignus.*

### DISC. VII.

1 IN eo plurium annorum interstitio, in quo Marchio Marcellus Raimundus, ob aliquas imputationes coactus fuit ab Urbe, & Statu Ecclesiastico exulare, etiam sub banno capitali, de quo, ejusque effectibus habetur actum *in Romana cambiorum, sub tit. de cambiis, disc.* 2. ejusdem Marchionis matre Urbis domicilium continuante, quidam famulus præfecti domus munus exercere solitus, diversis vicibus plura suppellectilia pretiosa penès illos de Sermoneta bancherios Hebræos oppignoravit, ac etiam expignoravit, juxta contingentiam affluentiæ, vel penuriæ pecuniarum; Cùmque de tempore, quo dictus Marchio in gratiam restitutus fuit, pleraque bona ita oppignorata reperirentur, præfatus autem famulus fugam arripuisset; Hinc idem Marchio, cum præsuppositio, quòd bona prædicta sibi furata essent, dictos bancherios, vel de furto, vel de contractatione rei furtivæ criminaliter querelavit, sed concessa absolutoria ab actione criminali, cum reservatione querelanti agendi civiliter, per plures instantias in Tribunali Vicarii dictus Marchio causam prosecutus est, in omnibus autem succubuit per tres conformes, quibus non acquiescendo, recursum quoque habuit ad Signaturam gratiæ pro nova causæ commissione, sed petitio rejecta fuit, unde ita invitus acquievit.

In disputationibus habitis, tam in Signatura gratiæ, quàm præcedenter in ultima instantia, in quibus solùm ego scripsi, duo erant puncti, sive inspectiones, Primò scilicet, cùm in facto non controverteretur, bona controversia esse actoris, & oppignorata per non dominum, An adversus dictos bancherios domino competeret vindicativo, non restituta pecunia cum usuris. Et secundò, quatenus dicta restitutio facienda esset, An in eo intermedio tempore diuturnæ litis, quod lapsum erat post lapsum 18, mensium, quando ad formam capitulorum, pignora vendi debent, ac cessare usuræ, istarum cursus, stante dicta lite impeditus esset, nec-nè. 2

Quatenus pertinet ad primum, scribentes pro actore, omnia desumendo ex deductis pro ratione dubitandi apud *Vermigliol. cons.* 275. *num.* 1. *cum tribus seqq.* adhibebant distinctionem ibi deductam, 3 quòd, Aut bancherius, qui rem furtivam in pignus accepit, erat hujusmodi qualitatis conscius, & tenetur etiam criminaliter actione furtiva, nec-non ad restitutionem rei ablatæ absque spe recuperationis pretii, *ad text. in l. servus cujusdam, ff. de condit. indebiti, & in l. quoniam. ff. de condit. furtiva*; Aut ignoravit, & cessante actione pœnali pari debet vindicationem pretio non restituto, juxta *text. in l. incivilem, C. de furtis*, per quem *text.* in specialibus terminis Hebræorum, ita firmant *Bald. Joannes de Anania, & cateri, de quibus apud Menoch. lib.* 5. *præsumpt.* 29. *num.* 11. *Guazzin. defens.* 17. *num.* 28. *Vermigliol. dicto cons.* 275. *num.* 3, & 4. 4

Et quamvis hæc juris dispositio cesset in Urbe ex capitulis Hebræorum, prius *sub Pio IV.* & deindè sub *Gregorio XIII.* initis, & registratis *in Constitutione* 139. *Pii IV.* & *Constit.* 43. *Gregorii XIII.* in Bullario veteri *Sixti V.* & quæ capitula in hoc speciali proposito habentur etiam registrata per *Rot. decis.* 498. *p.* 4. & *apud Vermigliol. dicto cons.* 275. *post num.* 4. Replicabant tamen illa procedere, quoties bancherius ignoranter, ac bona fide id egisset, secus autem, si esset conscius, ut patet ex eorumdem capitulorum contextu, atque de jure ita hoc privilegium intelligi debere, *ex Anania cons.* 70. *& aliis habetur apud Menoch. dicta præsumpt* 29. *num.* 36. *Guazzin d. defens.* 17. *num.* 28. *Farinac. q.* 177. *nu.* 25. *Vermigliol. d cons.* 275. *nu.* 6. 5

Scientia verò, quòd hæc bona non essent ipsius oppignorantis, sed præfati Marchionis, vel ejus Matris, in facto bene justificari videbatur, Tum ex qualitate bonorum, quæ omninò incongrua erant conditioni, seu qualitati personæ oppignorantis; Tum etiam, quia plura dabantur vehementia adminicula, quinimo & species probationis, quòd dicti bancherii scirent bona prædicta esse Marchionis, vel ejus matris; Ideoque inferebant, quòd cessante dicto privilegio, de plano intrabat regula desumpta ex dicto *textu in l. incivilem*, ut etiam ab emptore, vel alio possessore bonæ fidei, dominus rem suam, nullo restituto pretio, vindicare valeat, quam DD. ampliant, etiamsi in nundinis, vel aliis publicis emporiis ille possessor acquisierit, ex iis, quæ super hac regula cum ejus declarationibus habentur *in Romana, seu Civitatis Vetulæ mercium, sub tit. de Regalibus, disc.* 129. nisi possessor id bono animo egerit, ut ad commodum domini bona furata recuperaret, ex deductis suprà *discursu* 5. Multò igitur magis, dum cessabat bona fides ob scientiam, quòd hæc bona essent aliena. 6

His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis, contrarium probabiliùs dicebam, ut etiam in omnibus instantiis judicatum fuit, Et quidem super hoc puncto cum modica difficultate,

quæ major, ac fortè solùm fuit super alio puncto, de quo infrà, quoniam capitula prædicta non desiderant in bancherio ignorantiam, quod res esset aliena, neque bonam fidem, seù justam credulitatem, quod esset propria ipsius oppignorantis,
7 sed solùm duos casus excipiunt, Unum scilicèt, quandò vasa aurea, vel argentea, seù alia suppellectilia pretiosa impressa haberent stigmata seù insignia Cardinalium, vel Magnatum; Et secundò ubi esset conscius qualitatis furtivæ, seù aliàs fraudis particeps, quibus casibus exceptis, regula generalis sibi assistit, ex vulgari & recepto juris axiomate, de quo generaliter *Barbosa axiom.* 85. *num.* 4, *&* 5. *Rota decis.* 24. *numer.* 1. *&* 2. *par.* 6. *rec.* & in his terminis specialibus *dicta decis.* 498. *numer.* 1. *in fine par.* 4. *rec.* quòd exceptio firmat regulam generalem in contrarium.

Atque in casu, de quo agit *Vermigliol. dicto cons.* 275. ut patet *ex numer.* 8, *&* 9. aderat explicita scientia bancherii probata per ejus confessionem, quod scilicèt oppignorator dixerit se esse famulum cujusdam Prælati, de cujus mandato quædam argenta ipsius domini pro ejus indigentiis oppignorabat, quamvis in eo casu principalis disputatio esset pro excusatione pœnæ in criminalibus, non autem ad effectum civilem, de quo in præsenti.

Et quidem, cessante scientia qualitatis furtivæ, seù participatione fraudis ut suprà, dicebam dicta capitula esse rationi congrua, & commercio
8 magis adaptata pro majori commoditate populi primarii ac nobilis magis, quàm infimi & minuti, quoniam ut advertitur *disc. præcedenti*, hanc magis damnosam & usurariam viam potius, quàm alteram non damnosam Montis Pietatis eligere solent Magnates, seù Prælati ac viri nobiles & qualificati, ac etiam probati mercatores, ex principali motivo tenendi rem occultam, nè eorum existimationi præjudicium aliàs resultaret; Ideòque hujusmodi actus de sui natura explicandi sunt, non per ipsos dominos, sed per famulos, seù alios fiduciarios, neque aliàs materia esset practicabilis, ut *in* specie advertitur per *Cyriac. controv.* 178. *num.* 10. & admittunt *Menoch. dicta præsumpt.* 29. *num.* 35. *&* *Farinacc. dicta quæst.* 177. *nu.* 33. *&* *sequen.* ubi de hujusmodi privilegii rationabilitate, stante præsertim communi usu dirimente omnem difficultatem, Quæ clarius in præsenti cessabat, stante quodam decreto generali desuper edito *de anno* 1642. per Cardinalem Camerarium Hebræorum judicem competentem, & in his materiis peculiarem.

Et quamvis id causaret inconveniens, de quo *dicto disc. præcedenti*, quod scilicèt ità latior aditus concedatur famulis, vel filiisfamilias, aut aliis bona dominis vel parentibus subtrahendi, atque generaliter faciliora reddantur furta; Nihilominus, ut ibidèm advertitur, attendere oportet præponderantiam majoris commoditatis, & utilitatis exindè Reipublicæ, ac publico commercio resultantis, Ac etiam quia, ut dicebam scribendo in præsenti causa disputata longè prius quàm motivarentur ea, de quibus *dict. disc. præcedenti*, ista ratio considerabilis videtur apud Superiores ad effectum præscribendi modum, quo huiusmodi fraudibus occurri posset, non autem impediendi, quominus bancherii hebræi dicto privilegio à communi usu ita interpretato, & corroborato, uti valeant, donec corrigatur, seù aliàs moderetur.

Ultrà verò præmissa generalia in quocumque casu procedentia, In isto speciali, seù individuo, casu, omnis difficultas penitùs cessare videbatur, ex illa facti circumstantia, quòd hic oppignorator longævum, ac fiduciarium famulatum, in hac domo præstiterat, atque longo temporis intervallo, pluribus ac reiteratis vicibus, eadem vel similia bona oppignoraverat, ac expignoraverat juxtà temporum contingentias, ac pecuniarum indigentiam, vel respectivè affluentiam, Undèpropterea de plano intrabat mandatum præsumptum, rectèque applicari dicebam doctrinam *Burt. in* 9
*l. eum qui* §. *finali ff. commodati*, quam cæteri sequuntur, de quibus *Angel. cons.* 370. *Guid. Pap. dec.* 173. *Giurb. dec.* 79. *Rot. decis.* 566. *p.* 2. *rec.* super excusatione credentis famulo vel ministro, cujus opera dominus uti solebat, ejusque fidem probavit, de qua conclusione, seù materia, cum suis declarationibus, habetur præsertim particulariter actum *in una Romana pecuniaria, seù ordinis sub tit. de credito pro Petro Riccardo*, ac etiam *in Romana pro Monte Pietatis cum Collegio Orphanorum eodem titulo*, occasione disputandi, an solvens cum ordinibus falsis liberationem obtineat, seù actionem acquirat necnè.

Major igitur, ac penè totà disputatio fuit super altero puncto cursus usurarum, stante expressa dispositione dictorum capitulorum, quod bancherii, aliique Hebræi super pignoribus mutuantes teneantur quatuor anni temporibus facere venditiones generales pignorum excedentium 18. 10
menses, undè propterea usus inolevit, quòd cessante expressa conventione, seù consensu ipsius debitoris, ut in eisdem capitulis expresèe excipitur, usuræ peti solùm possunt pro mensibus 21. stante quod post 18. menses expectare oportet primam venditionem generalem, singulo quoque trimestre, ità faciendam, & de quorum capitulorum intelligentia, & quandò concurrere dicatur dictus debitoris consensus, qui eorum dispositionem cessare faciat, habentur aliqua apud *Vermigliol. cons.* 301. *cum. sequen.*

Difficultas autem versabatur in eo, quòd in hac facti specie, nedum cessabat ipsius debitoris consen- 11
sus, sed potius, juxtà præmissam facti seriem, aderat expressus dissensus, ideòque punctus erat, an ex eo quod ipsemet pignorum dominus cum præfata diuturna lite, ac etiam cum specialibus, ac pœnalibus inhibitionibus impedimentum præstiterat, nè ad pignorum venditionem procederetur, iste casus æquipolleret præfato alteri exceptuato ratione consensus.

Et in hoc, scribentes pro actore reassumendo collecta per *Farinacc. in fragmentis par.* 2. verbo *lis num.* 263. cum longa allegationum congerie fundamentum constituebant in propositione ibi firmata, quod lis injusta non causat vitium litigiosi, Et hoc stante inferebant, quod bancherius licitè potuisset ad hujusmodi pignorum venditionem procedere; Verùm cum eodem sensu veritatis, prorsùs improbabilem hujusmodi prætensionem dicebam, dictæque conclusionis applicationem omninò incongruam esse, illa siquidem rectè procedit ad effectum evitandi pœnas, aliosque præjudiciales effectus resultantes ex dispositione texus *in l. finali Cod. de litigiosis*, quatenùs ad alienationem rei in litem deductæ procederetur, non tamen exindè inferri potest, quod ille, contrà quem injusta lis mota, & substentata fuit, teneatur vendere bona controversa, atque ità cum dicto injusto collitigante se exponere majoribus molestiis ob attentata, & spretus inhibitionum, nam esset ità punire innocentem, ac præmiare delinquentem, qui ex injusta lite commodum & utili-

tatem

tatem reportaret; Ideoque observabam intrare ea,
12 quæ habemus in jure, ut impedito non currat tempus *ad text. in l. quibus diebus, ff. de condit. & demonstr. l.1. in fine, Cod. de annali except. cap. imputari de regul. jur. in 6.* cum concordan. *per Buratt. decis. 519. num.1. Rota decis.19. num.9. par.7. rec.* & frequenter; Et de tempore adjecto pacto de retrovendendo, seu alteri retractui non currente durante lite per alteram partem intentata, *Greg. dec. 415. num.1. & sequen. Buratt. decis.937. num.12.* Illa etiam propositione in idem tendente, quod nunquam opponit de mora, vel non implemento ille, qui sive justè, sive injustè præstat impedimentum, ne implementum sequeretur *ad text. in l. cum ipse, ff. de excusat. tutor.* ubi *Bart. Bald. & cæteri, de quibus Adden. ad Vestr. lib. 6. cap. ult. num.25. & sequen. dicta decis.19. num.10 par.7. rec.* Potissimè, quia isti bancherii non contendebant de lucro reportando ex usuris, sed potiùs de se restaurando de ingenti damno passo ex hujusmodi diuturna lite criminali & civili, cujus sumptus & damna sortem & usuras longè superabant.

# TYBURTINA
## CASTRI S. ANGELI
*PRO*
## DUCE PARMÆ,
*CUM*
## DUCE BRACCHIANI.

*Casus variè decisus per Rotam, & pendet.*

De pacto legis commissoriæ, ut creditor, certo casu, vel conditione contingente remaneat pignoris dominus; An & quando dicatur usurarium & invalidum, vel potius subsistat.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Vendi vel dari possunt in solutum castri fructus & redditus, ipso castro remanente penes venditorem.*
3 *Emptor cum pacto de retrovendendo dicitur perfectè dominus.*
4 *Quando dicatur pignus, & non datio in solutum, & quid in dubio præsumatur.*
5 *In claris non intrant præsumptiones, & argumenta.*
6 *De invaliditate pacti commissorii in pignore, & & de materia, n 9.*
7 *An procedat, quando sit ex intervallo.*
8 *Quod idem procedat isto casu, sed difficilius.*
9 *Valet pactum commissorium, ubi non concurrit injustitia pretii.*
10 *Quando dicatur adesse injustitia.*
11 *An intret retrotractio ex clausula* ex nunc pro tunc.
12 *Quando pactum commissorium valeat, quia non continet pœnam, sed subtractionem lucri.*
13 *Quando pœna conventionalis exigatur.*
14 *An dos sit privilegiata, ut pactum commissorium in ea valeat, remissivè.*

## DISC. VIII.

DE anno 1504. Joannes Jordanus Ursinus Comes Tagliacotii, & Albæ, debitor Alphonsinæ de Ursinis, Viduæ Petri de Medices in scutis 25. m. pro ejus dote & lucris, huic assignavit fructus & redditus Castri S. Angeli, valutatos in annuis ducatis 480, quousque sibi satisfieret, sub pacto, quòd in quocumque casu molestiarum ab ipso Comite, vel suis, aut aliis super dicti Castri possessione inferendarum, dominium directum & utile, cum clausula *ex nunc pro tunc* transferretur in ipsam Alphonsinam, quæ ita præfati Castri domina remaneret. Cùmque circa annum 1538. dictus casus molestiarum contigisset, dicta Alphonsina ceu habens causam ab ea, in vim dicti pacti, jure dominii Castrum prædictum possidere declaravit, eoque jure successionis translato in Ducem Parmæ, contra istum Dux Bracchiani, præfati Joannis Jordani successor, litem introduxit in Rota super dicti Castri restitutione, stante satisfactione crediti, atque sententiam favorabilem reportavit, quæ transitum fecit in rem judicatam, adversus quam commissa causa restitutionis in integrum *in Rota coram Meltio*, datoque solito dubio, *An constaret de re judicata*, sub die 18. Junii 1646. ad favorem Ducis Parmæ, negativa prodiit resolutio, confirmata 11. Martii, 1650. Sed reproposita causa sub die 26. Januarii, 1654. recessum fuit à decisis, & in hac ultima resolutione perstitum fuit 14. Februarii, 1656. atque in hoc statu causa reperitur; Quarum decisionum tres ultimæ habentur impressæ, illæ scilicet de annis 1650, & 1654. *part. 11. rec. dec.* 330. & 371. & ultima de anno 1656. *apud Censal. in l. unica, Cod. si quis Imperatori maledixerit, fol.*202.

In hujusmodi autem disputationibus, de duobus actum est, Primò scilicet de forma probanti instrumenti, in quo actor suam fundabat intentionem. Et secundò, super validitate, vel invaliditate dicti pacti commissorii, & de utroque agitur in primis duabus decisionibus editis de annis 1646, & 1650. in duabus verò posterioribus de annis 1654, & 1656, suspenso dicto primo puncto, agitur solùm de secundo validitatis dicti pacti, atque in ultima tantùm disputatione post editam primam decisionem revocatoriam anni 1654. ego evocatus fui ad scribendum in causa pro Duce Parmæ, cùm tunc non essem Advocatus Ducis Bracchiani.

Quatenus igitur pertinet ad hunc punctum pacti commissorii, duo pariter erant puncti, Unus super natura, seu qualitate dicti contractus, an scilicet contineret pignus, vel potiùs dationem insolutum; Et alter, posito quòd esset pignus, an dictum pactum subsisteret; Dicebamus autem ego, & cæteri pro hac parte scribentes, esse dationem insolutum, non obstante, quòd ageretur de solis fructibus, quia non implicat dictum contractum verificari posse in solis fructibus, redditibus & emolumentis, tanquam diversis ab ipso Castro, cujus do-2
minium compatibiliter remanere potest penes ipsum dantem, ex iis, quæ habentur deducta *in alia Tyburtina Castrorum* pro eodem Duce Bracchiani *sub tit. de feudis, disc.* 62. stantibus præsertim illis verbis, *dedit, cessit, transtulit insolutum, &c. transferens omne dominium, &c.* ut ponderatur in primis duabus decisionibus huic parti favorabilibus.

Verùm de hoc motivo dubitabam, non quidem ex fallacia dictæ conclusionis, quòd scilicet compatibiliter cum retentione Castri, ejusque dominii, vendi, seu insolutum dari possint ejus fructus, reddi-

redditus,& emolumenta juxtà firmata *dicto disc.* 62. *sub tit. de feudis*, sed ex defectu applicationis ad factum, quoniam de natura venditionis, vel dationis insolutum est, ut bona ità data, perpetuò remaneant penès recipientem; Et quamvis iste contractus ex pacto redimendi subjaceat resolutioni, attamen interim possessor dicitur perfectus domi-
3 nus ad omnes effectus ex deductis per *Buratt. dec.* 677. *num.* 1. *Rouit. pragm.* 1. *de jurib. & exact. disc. nu.* 82. *cum seqq.* atque pretium remanet integrum in casu talis pacti, seù resolutionis restituendum, absque eo quod consumptionem reciperet ex fructibus medio tempore perceptis, utpotè obtentis jure dominii, cujus contrarium expressè probabat instrumenti tenor, dum ad litteram convenitur dictum Castrum posslideri debere, donec sequeretur satisfactio debiti, ità singulis annis excomputandi seù defalcandi, quod verè & propriè conve-
4 nit pignori, non autem dationi insolutum, *ad text. in l. si convenerit* 2. *& l. finali, Cod. de pignoratitia actione*, cum concordantibus deductis per *Surd. cons.* 243. undè scribentes pro actore totum super hoc puncto desumebant, ità enim voluntas remanere videbatur clara in verbis, Et consequenter non intrabat quæstio, de qua plenè apud *Menoch. cons.* 201. *Greg. & adden. decis.* 194. *Rotain Anconitana bonorum coram Rojas decis.* 180. *&* 266, in qua etiam causa adhuc pendente in Rota prodiit novissimè altera decisio prædictarum confirmatoria 14. *Maii* 1668. *coràm Bevilaqua*, An scilicèt in dubio bona censeantur per debitorem creditori data in pignus, vel insolutum, de quo articulo habetur pluries in sua materia *sub tit. de credito*, præsertim *in dicta Anconitana*, quoniam ista quæstio, quæ potius est facti, & voluntatis quàm juris, procedit in dubio, & quoties voluntas est ambigua, quam ex verbis & clausulis, seù præsumptionibus & adminiculis desumere oportet; Secùs autem, ubi tam ex verbis, quàm ex ipso facto defalcationis crediti ex fructibus cum expressa obligatione restituendi ipsam rem absq; alia pretii refusione tanquam ex fructibus jam extincti, voluntas videtur clara, in cujus casu non intrant præsumptiones & argumenta
5 ad vulgarem regulam textus *in l. ille aut ille, ff. de legatis*, tertiò procedentem quoque in actibus inter vivos ex deductis *decis.* 44. *nu.* 14. *par.* 11. *rec.* ubi concordantes, Unde propterea quoad hunc primum punctum, quamvis more Advocati plura deducerem ad probandam dationem in solutum deducta *ex d cons.* 201. *Menoch. & Comitul. dec.* 4. quæ videtur auctoritas magis proxima & specialis in casu, & in dictis decisionibus apud *Rotas* cum aliis in præfatis primis duabus decisionibus huic parti favorabilibus, attamen reflectendo ad veritatem, contrarium videbatur probabilius.

Quoverò ad alterum punctum, validitatis scilicèt vel invaliditatis dicti pacti commissorii posito pignore; Quamvis ego & cæteri pro hac parte
6 scribentes admitteremus juris regulam super hujusmodi pacti invaliditate *ad text. in l. finali, Cod. de pactis pignorum, & cap. significante de pignor.* utrobique DD. de quibus *Mantic. de tacit. lib.* 11. *tit.* 9. *Gait. de credito cap.* 4. *quæst.* 9. *num.* 102. *Cyriac. controv.* 393. *Surd. dec.* 248. *Leotar. de usuris quæst.* 69. *&* 70. apud quos cæteri de materia; Dicebamus tamen id procedere, quandò pactum adjicitur in-
7 continenti occasione mutui per suffocatum debitorem ad favorem callidi creditoris, ità eum in statu indigentiæ pecuniarum constitutum suffocantis, secùs autem si adjiciatur ex intervallo, quando dicta ratio promptæ necessitatis & suffocationis non urget, ut in datione insolutum, ut ità distinguendo tenent *Fulgos. cons.* 133. *Decius cons.* 166. *num.* 6. *Menoch. consil.* 343. *nu.* 17. *& cæteri.*

Verùm de hoc fundamento pariter dubitabam, quoniam ex iis, quæ super ista conclusione habentur *in Romana locorum Montium de Mutis sub tit. de* 8
*Regalibus disc.* 32. & apud *Leotar. d. quæst.* 70. *nu.* 2. *cum seqq.* cum aliis in dictis posterioribus decisionibus, præsertim prima, quæ est 330. *par.* 11. *rec.* magis communis, meliusque fundata videtur contraria sententia, ut etiam in pacto ex intervallo fœnus adesse possit, dum urget quoque eadem ratio suffocationis, si non pro obtinendo de novo mutuam pecuniam, pro obtinendo tamen dilationem, & nè aliàs ad jam mutuatæ restitutionem suffocetur, quod sonat in idem, Solumque dicta distinctio, an sit incontinenti, vel ex intervallo, remanet considerabilis in ordine ad facilius, vel respectivè difficilius inducendum fœnus, ejusque præsumptionem in ambiguo, ut benè ponderatur per *Leotar. ubi suprà*, & advertitur *d. disc.* 32. *sub tit. de Regalibus.*

Solidum igitur, ac tutum motivum, ex quo pro meo judicio, reflectendo ad solam veritatem, non placebant ultimæ resolutiones super dicti pacti invaliditate, consistebat in eo, quod ex recepto sensu 9
omnium suprà allegatorum, ac aliorum apud eos, hæc infectio fundata est in pretii injustitia, ex qua resultet creditoris asperitas, & depravata intentio, & econversò debitoris suffocatio, cum unius immoderato lucro, ac alterius damno ob solutionem pecuniæ in tempore non factam; Ubi autem hæc ratio cessat, quia nempè conventum sit rem censeri emptam, seù creditori adjudicatam pro justo pretio, tunc justitia præjudicata non remanet, nullumque concurrit creditoris lucrum, vel suffocati debitoris damnum, & consequenter cessant omnes rationes, hujusmodi pactum improbantes; Licèt enim non desint rigorosi censores, volentes, ut data etiam justitia, adhuc mixtura mutui cum altero contractu usuram redoleat, ob necessitatem, qua debitor premitur invitus vendere, vel emere, seu locare, vel conducere, &c. & econversò utilitatem creditori resultantem ex certitudine, quam habet obtinendi emptionem seu conductionem, &c. Nihilominùs data justitia & æqualitate, rationabiliter ista rigorosa opinio est magis communiter rejecta ex iis, quæ habentur supra *in Rom. locat. venæ ferri, & in Tusculana hoc eodem tit. disc.* 2. *&* 4. Unde cùm in hac facti specie supponeretur, concludenter justificari istud castrum esse longè inferioris valoris, quàm importaret dictum creditum ducatorum 25. m. pro quo hujusmodi assignatio facta erat, exinde resultabat cessare injustitiam, quæ est unicum fundamentum infectionis hujusmodi pacti commissorii.

Non negabant scribentes pro actore, prout & decisiones pro eo editæ non negant, veritatem dictæ theoricæ seu conclusionis, ut scilicet data justi 10
tia, pactum subsistat, sed resolutionum fundamentum est in defectu applicationis ad factum; Tum quia de anno 1638. quando conditio molestiarum purificata fuit, & successivè venit casus pacti, creditum erat notabiliter extinctum cum fructibus intermedio tempore, annorum circiter 34. perceptis, unde propterea ita verificabatur, quòd pro modico residuali credito pignus majoris valoris creditori addiceretur, & sic intrabat injustitia. Tum fortius, quia dari poterat casus, quòd ista conditio purificaretur in ultimis annis, ipsius debiti extinctione penè sequutâ, & Castri restitutione imminente, ita ut creditor pro minima summa residuali

duàs totam rem cum nimia asperitate reportaret, atque istud secundum motivum fuit potissima causa resolutionum.

Et quamvis ex hac parte diceretur, quòd stante clausula, *ex nunc pro tunc* in dicto pacto adjecta, ita fingeretur hujusmodi applicationem jure domi-
11 nii, & retrotractionis sequi ab initio, ac de ipso tempore contractus, quo attento, injustitia concurrebat potiùs ex parte creditoris, cùm valor pignoris esset inferior credito; Nihilominùs scribentes in contrarium, quibus dictæ decisiones adhærent, mordicùs insistebant super hujusmodi retrotractionis impracticabilitate ob defectum extremorum, quòd que de privatione ad habitum non daretur regressus, dum rata crediti cum fructibus interim perceptis jam evanuerat, ac extincta erat, ideoque loco pretii servire non poterat, ut habetur in eisdem decisionibus.

Adhuc tamen mihi videbatur veritas in contrarium, quòdque verè in hac facti specie non intrarent dicti termini pacti commissorii fœnus redolentis, neque modo aliquo intrarent rationes, ex
12 quibus ejus infectio resultat, sed quòd potiùs essemus in casu donationis & benevolentiæ, quam creditrix debitori sub certa conditione seu pacto resolutivo ita facere voluit, juxta terminos textus *in l. pecuniæ, ff. de usuris cum similibus.* Cùm enim certum esset, quòd attento tempore contractus, creditum longè superaret valorem ipsius Castri, unde creditrice volente, debitor non solùm dicto Castro ex tunc, sed etiam aliis bonis se privare cogendus esset, ac etiam vel ex bonis pro dicti crediti assequutione ab ipso debitore obtinendis, vel ex investimento pecuniæ, quæ ab eodem tunc de justitia recuperari potuisset, ipsa creditrix longè majorem fructum, salva sorte, obtinere potuisset in perpetuum; Hinc proinde de plano resultat, læsionem vel suffocationem potiùs contingere in ipsa creditrice ita notabiliter præjudicata, & quæ potiùs ex quadam liberalitate & benevolentia ita cum debitore se gerere voluit, sub dicta tamen conditione, cujus purificatio, non pœnam debitoris importare dicebatur, sed potiùs ademptionem lucri seu donationis, juxta terminos *d. textus in l. pecuniæ 9. ff. de usuris*, sive alios *in l. 1. Cod. de donat. quæ sub modo*, cum similibus, de quibus in proposito pacti adjecti in cambio limitato sub conditione solutionis in tempore, qua non sequuta, debitor remaneret subjectus cambiis currentibus, habetur *in Romana cambii de Sfortiis, sub tit. de cambiis, disc. 6.*

Eòque magis hæc sine dubio procedere dicebam, quia conditio non erat ob non datum, & sic
13 ob pecuniam in tempore non solutam, quo casu propriè intrat suspicio fœnoris, cujus ratione habemus, quòd pœna conventionalis ultra id quod interest, non exigitur, sed est ob factum, vel non factum, quo casu id non intrat, juxta distinctionem, de qua *decis. 170. par. 11. rec.* & conferunt, quæ habemus de jure, ac circumscripta Bulla *Pii V.* in materia pacti rescissorii contractus censualis in casu non implementi ex parte debitoris cum similibus; Et quidem videbatur quidam rigor leguleicus applicare ad hunc casum ea, quæ in jure habemus de infectione pacti commissorii in pignore, cùm id fundetur in asperitate ac depravato animo creditoris, ac suffocatione debitoris, quorum utrumque in præsenti cessabat, imò erat in oppositum.

Disputatus etiam fuit articulus, an favor dotis istud pactum substineret, ac tolleret infectionem aliàs in eo cadentem, sed de hoc habetur particulariter actum in hac eadem causa *Tyburtina* in sua materia *sub tit. de dote.*

# ROMANA
## SEU
## REATINA DOTIS,
## PRO
## FELICE THEA DE SARDIS,
## CUM
## DOMINICO.

*Casus disputatus coram A. C. & resolutus, ut infrà.*

De contractu *antichresis*, & ut vulgò dicitur, *ad gaudendum*; An & quando dicatur validus, vel respectivè fœneratitius. Et de effectibus exinde resultantibus imputationis fructuum in sortem, ac aliis.

### SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione, an bona data sint in pignus, vel in solutum.*
3 *De contractu* antichresis, *seu* ad gaudendum.
4 *Creditor non facit suos fructus pignoris, sed imputat in sortem.*
5 *An tamen pro ejus pecunia debeat habere interesse lucri cessantis, vel damni emergentis cum dictis fructibus compensandum.*
6 *Quid ubi adest pactum de lucrandis fructibus.*
7 *De contractu* antichresis, *de quo num. 3. an sit licitus & validus, nec-nè, & num. 10.*
8 *Valet favore dotis constante matrimonio.*
9 *An creditor, qui pactus est de usuris, durante dilatione possit istam negligere, & petere debitum stante invaliditate conventionis.*
10 *De eodem contractu* antichresis, *vel* ad gaudendum, *quando valeat.*
11 *Revocata alienatione feudi ob defectum assensus emptor restituit fructus. sed obtinet interesse pretii.*
12 *In quo differat Rom. Curia ab aliis Tribunalibus in hac materia usuraria.*
13 *Quæ regula tenenda sit in hac materia.*

### DISC. IX.

NUpta Cæcilia Dominico cum dote in quantitate, istius loco ex intervallo, frater dotans assignavit Dominico Viro quædam bona, sibi reservato jure illa rehabendi, quando dictam quantitatem solveret; Post aliquod verò tempus Vir, vel quia in aliquibus bonis molestias pateretur, vel quia non expediret illa ampliùs retinere, in vim instrumenti dotalis judicium instituit contra Felicem dotantis hæredem pro consecutione dictæ quantitatis, ipsaque rea conventa excipiente de præfata assignatione bonorum, replicabat actor de dicti contractus fœneratitii invaliditate, quòdque propterea habendus non esset in consideratione; Et credo, quòd Prælatus ab A. C. deputatus, infra-

infrascriptis non obstantibus, pro actore judicaverit, quamvis in aliis incidentibus contrà eum judicatum sit, atque incertum remanet, an causa ulteriorem progressum habuerit, cum solùm requisitus essem ad scribendum super hoc puncto, an scilicèt iste contractus esset fœneratitius & invalidus, vel econverso licitus & validus.

Dicebam igitur scribens pro rea conventa, novum fortè videri in corpore juris istius quæstionis casum, quod scilicèt creditor, cui pro quantitate debitor bona dedit, alleget pignoratitiam qualitatem, debitor verò alleget dationem insolutum, cum frequentius quæstio esse soleat in oppositum, quia debitori expedit contractum esse potius pignoris seù fœneratitium, ad effectum imputationis fructuum in sortem, pro qua evitanda creditor insistere solet in datione in solutum, explicita vel implicita, & à jure subintellecta, ut post antiquiores ab eis allegatos patet ex deductis hinc inde per *Surdum cons.* 243. *Menoch. cons.* 201. *Comitul. dec.* 4. *Greg. & adden. dec.* 194. *apud Roias dec.* 180. *& 266. & in decisionibus editis in Tyburtina Castri S. Angeli, de qua disc. præced.* & alia *Tyburtina Castrorum, de qua sub tit. de feudis disc.* 62. *Romana census pro Argolo hoc eod. tit. & in aliis.* 2

Eandem tamen controversiam in isto insolito casu, quod creditor allegaret pignus, debitor verò dationem insolutum disputavi quoque *in Romana Ferraccii* inter Principem Ludovisium & fratres de Siriis, de qua *sub tit. de Regalibus disc.* 118. non ad effectum fructuum, ad quem hujusmodi disputationes haberi solent, sed ad effectum periculi, cum ageretur de quodam grege, qui ex consuetis casibus in parte perierat.

In hac autem facti specie dicebam, revera non versari in casu istius quæstionis simplicis assignationis, cujus titulus incertus esset, unde ambiguum remaneat, an sit pignus, vel datio insolutum, nam stantibus claris & expressis verbis instrumenti, verè & propriè versabamur in contractu, de quo agit *text. in l. si quis bona* §. 1. *ff. de pignor.* qui per Dd. *antichresis*, dici solet, vulgò autem *ad gaudendum*, & qui contractus licèt sub nomine seù genere pignoris adhuc veniat, discretivè ab emptione & venditione, vel datione insolutum, seù alio titulo dominii translativo; Attamen differt ab eo regulari & proprio pignore, quod loco quantitatis per debitorem creditori pro sola cautela datur. 3

In isto enim, quod pignus conventionale dicitur, certum est, attenta etiam juris civilis dispositione, multò magis, & absque dubio attento jure canonico, creditor non facit fructus suos, sed eos perceptos in sortem imputat, itaut etiam de percipiendis teneatur, cùm in hoc differant pignus conventionale & prætorium, ut in isto veniant solùm percepti, in illo verò etiam qui percipi potuerunt ad *text. in l.* 1. *& 2. Cod. de pignoratitia actione*, & post antiquiores ab eis cumulatos plenè habetur apud *Surd. d. cons.* 243. *Menoch. d. cons.* 201. *Leotard. de usur. quæst.* 11. *Surd. dec.* 270. ubi de hac distinctione inter conventionale & prætorium, de qua etiam in *Romana censuum* 13. *Martii* 1651. *Peutingerio* & passim, ex quibus patet solam quæstionem esse facti, super natura scilicèt seù qualitate contractus, an sit pignoris vel dationis insolutum, ubi enim constat de qualitate pignoris, nemo dubitat de dicto effectu exindè resultante. 4

Solùmque dignosci videtur differentia inter Curiam Romanam aliasque ab ejus opinionibus dependentes, ac alia Catholici orbis Tribunalia, circà modum imputandi hujusmodi fructus, An scilicet omnes rigorosè cedant in sortem principalem omninò otiosam & infructiferam, non probato in specie, & cum solitis requisitis, interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, ut est rigorosa Curiæ opinio, Vel potius ad beneficium creditoris, absque alia extrinseca & speciali justificatione, tanquam generali & notoria, pro ejus credito admitti debeat cursus accessionum ratione dicti interesse lucri cessantis vel damni emergentis, in quod prius fructus imputari debeant, reliquum verò in sortem, juxtà praxim seù calculandi modum, de quo in specie agitur apud *Fontanell. dec.* 91. *&* 208. *cum duabus seqq.* cum qua opinione passim vivitur in utriusque Siciliæ Regnis, & in Catalonia, aliisque partibus, & forsan ubique, excepta Curia Romana, aliisque, vel Ecclesiasticis in genere, vel sæcularibus Curiis Status Ecclesiastici, ab ista tanquam Metropolitica regulandis. 5

Ubi verò non agitur de simplici pignore, sed de qualificato ab expressa conventione, quod interim pendente solutione quantitatis, creditor illud possideat quodam quasi jure dominicali, suosque faciat fructus, tunc inspecta dispositione juris civilis; istos creditor seù possessor facit suos *ad text. in l. si ea pactione & l. si ea lege Cod. de usuris*, atque ad differentiam simplicis pignoris dicitur contractus *antichresis*, aliàs vulgò *ad gaudendum*; Super quo solùm apud Canonistas & Morales intrat difficultas, nùm dicta juris civilis dispositio correcta sit necnè per jus canonicum ratione fœnoris, seù usurariæ qualitatis, quæ inesse dicitur, ut post antiquiores patet ex deductis *per Leotar. de usuris qu.* 15 *per totum*, præsertim *ex num.* 23. *ad finem Duard. de censibus in proœmio q.* 24. *num.* 25. *Giballin. de usuris lib.* 3. *cap.* 7. *art.* 13. *conclar.* 2. *de Marin. resol.* 172. *lib.* 2. ex quibus occasione agendi de isto contractu, in Germania præsertim frequenti, liquet, juxtà omnium aliarum materiarum & quæstionum naturam, nimis varias haberi opiniones, Aliis simpliciter affirmantibus illum esse validum & licitum, Aliis id simpliciter negantibus, Aliis verò distinguentibus, an redimendi facultas esset in facultate vel potius in necessitate debitoris, ut primo casu valeat, in secundo autem non cum aliis distinctionibus, de quibus apud eos. 6 7

Applicando autem ad rem, dicebam in proposito, inanes videri hujusmodi quæstiones, atque incongruè hanc inspectionem assumi, Tum quia debitor, cujus solùm interest contractum esse fœneratitium pro imputatione fructuum in sortem, ut ità insensibiliter liberationem à proprio debito obtineret, id non curabat, dictæque imputationi cedebat; Tum etiam quia cùm dicta assignatio facta esset ex causa dotis, atque ut supponebatur, matrimonium duraret, nullus erat hujus quæstionis effectus, ob claram dispositionem *text. in cap. salubriter de usuris*, & habetur satis frequenter in proposito fructuum seù usuratum dotalium in sua materia *sub tit. de dote*, ac etiam satis proximè advertitur *in Romana seù Rossanen. sub tit. de feudis disc.* 20. ubi quod dato feudo in dotem absque Regio assensu, quamvis actus sit invalidus, adhuc tamen vir habet feudi tenutam, ac facit fructus suos loco usurarum dotalium, quæ non dicuntur importare lucrativas & fœneratitias accessiones, sed potius restaurationem damni, quod vir patitur ob supportationem onerum matrimonialium. 8

Quarè cessante dicto effectu imputationis fructuum,

ctuùm, cujus ratione hujusmodi quæstiones agitari solent, neque cadente altero effectu periculi, quod pariter eisdem disputationibus ansam præbet; Solus punctus consistere videbatur in eo, an creditori licita esset pœnitentia, atque invito debitore resilire à conventione, suumque creditum amissis bonis petere; Et in hoc scribentes pro actore, quibus Judex adhærebat, fundamentum
9 constituebant in conclusione, quod data per creditorem debitori dilatione sub accessionum conventione, quæ illicita & usuraria sit, non potest quidem creditor petere vel assequi accessiones, neque retinere assequutas, quas imputare tenetur, sed non cogitur servare eamdem conventionem circa dilationem debitori concessam, qua non obstante, suas actiones pro crediti consequutione exercere potest, ob regulam *Cum cessante, &c.* dum dilatio correspectiva fuit ad commodum medio tempore speratum, ideoque isto cessante, tanquam à cessante causa finali, dilatio quoque cessare debet.

Verùm, in sensu etiam veritatis, dicebam hujusmodi conclusionem incongruè applicari ad casum, Tum quia durante matrimonio, cessabat dicta unica ratio cessantis correspectivitatis seù præsuppositi, dum tutè creditor ità suos faciebat fructus absque timore imputationis; Tum etiam, quia de facili occurri poterat, ne soluto etiam matrimonio eidem timori, seu periculo creditor subjaceret, adimplendo requisita posita per *Castrens. in l. 3 ff. de eo quod certo loco*, pro interesse lucri cessantis ob investimentum aliàs faciendum; Potissimè verò dum ipsemet debitor dabat manus, atque se habebat pro interpellato, ideoque dum ita consultum remanebat, nulla subesse videbatur ratio, cur licitum esset recedere à conventione, quam partes jure cujusdam implicitæ emptionis & venditionis cum pacto redimendi, ita facere voluisse videbantur, atque ex his credebam probabilitatem reæ conventæ magis assistere.

Generaliter autem in proposito istius contractus *antichresis*, aliàs *ad gaudendum*; quicquid sit in foro interno, de quo non sunt partes viri forensis agendi, cùm ibi sola veritas naturalis super eo
20 quod interest, rectaque vel respectivè depravata intentio totum faciant; Quatenus pertinet ad forum externum hujus quæstionis, tam decisio, quàm effectus pendere videntur ab eo, an creditori pro pecunia, quam interim debitor retinet, debitum sit necne interesse ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, ut præsertim benè advertit *de Marin. d. resol. 172. lib. 2.* Ubi enim tale interesse currit, parum, vel nihil refert de fructibus habendam esse rationem ad favorem debitoris, in quo residet pignoris, seu rei ita datæ dominium, cùm rari sint casus, in quibus fructus naturales, vel industriales bonorum superent illos fructus civiles, seu fictos, quos hoc interesse lucri cessantis, vel damni emergentis importare solet; frequentius verò isti sint majores, juxta casum, de quo *in Bojanen. sub tit. de*
11 *feudis disc. 13.* ubi cum emptor feudi ob defectum assensus Regij revocasset contractum emptionis, atque in Regno Neapolis receptum sit hujusmodi revocationem competentem in vim constitutionis incipientis *Constitutionem divæ memoriæ*, operari retrotractionem, itaut fructus feudi medio tempore percepti cedant ad commodum venditoris, emptori autem debeatur interesse pretii soluti, quæstio in proposito esse magis solet ex parte emptoris, quoniam plus importat interesse, quàm importent fructus, & tamen prætensio ibi impugnatur.

*Card. de Luca de Usur. & Interess.*

Quibus sic stantibus, observabam effectum invaliditatis hujus contractus restringi ad Urbem, & Statum Ecclesiasticum, quoties ex parte dantis pecuniam non servaretur illa verbalis formalitas, quæ continetur in dictis requisitis positis *per Paul.* 12 *de Castro in l. 3. ff. de eo quod certo loco*, pro interesse lucri cessantis, sivè in altera formalitate contenta in *dec. 2. Mohedani de usuris* pro interesse damni emergentis, quoniam alibi fere in universum diverso jure vivitur, atque dicta requisita tanquam notoria habentur pro probatis, & consequenter nullus remanet quæstionis effectus, unde resultat, quòd contractus est frequens & usitatus, præsertim in Germania, ut testantur communiter scribentes, de quibus *Leotar. & Giballin. ubi suprà*; In Curia verò, ut frequentius in hac materia sum expertus, validitas, vel invaliditas istorum, ac similium contractuum magnam dependentiam habere videtur à formalitate verborum, ut patet ex iis, quæ hoc *eodem titulo* & in altero *de cambiis*, juxta diversas casuum contingentias habentur; Unde frequenter contingit, quòd versutus & callidus fœnerator tanquam sollicitus in hujusmodi formalitatibus adhibendis, licitè percipit usuras & accessiones; Econversò autem simplex & sincerus 13
contrahens, cum bono animo absque hujusmodi cautelis procedens, reputatur usurarius, quod mihi nunquam placuit, quoniam ita verificari videtur inconveniens consideratum per *text. in l. finali Cod. de usuris*, ut lex dicatur imposita magis verbis quàm rebus; Ideoque spectanda videtur substantia veritatis, ex qualitate personarum, usu communi, verisimilitudine, aliisque facti circumstantiis pro prudenti arbitrio indaganda, non autem in hujusmodi verbalibus formalitatibus immorandum est.

# ROMANA
## FRUCTUUM CENSUS,
*PRO*
## CAROLO ARGOLO,
*CUM*
## FELICE BUCCAMATIA.

*Casus disputatus coram A. C. pendet in Rota.*

De conclusione, quòd ubi valor pignoris non excedit creditum, fructus non imputentur in sortem, sed creditor eos faciat suos, an & quando procedat.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Ubi pignus adæquat creditum, vel est illo inferius, censetur habitum pro derelicto, & creditor facit fructus suos.*
3 *An creditor jus habeat ad bona ex successione delata ejus debitori, & an per retentionem dotium factam à patre, inducatur in filio aditio maternæ hæreditatis, remissivè.*
4 *Declaratur conclusio, de qua nu. 2. quando procedat.*
5 *Quando res censeatur data creditori potiùs insolutum, quàm in pignus.*
6 *Datio insolutum est idem, ac emptio & venditio, eademque requisita desiderat.*
7 *Declaratur conclusio, de qua nu. 2, & 4. ut procedat in pignore conventionali, non autem legali, seu prætorio.*

## DISC. X.

AGente Carolo Argolo coram A. C. seu Prælato deputato pro fructibus cujusdam census ad bona Alexii & Alexandri de Buccamatia, contra Felicem filiam & neptem respectivè illa possidentem, excipiebat ista de anterioribus juribus dotalibus matris & aviæ, atque replicante creditore, quòd jura prædicta ipsi Felici non competerent, sed potiùs ejus fratribus jam defunctis, in eodem debito obligatis, quibus prædictarum matris & aviæ successio potiùs debita erat, exclusa ipsa Felice tanquam fœmina jam dotata ex Statuto Urbis; Quòdque ubi etiam ad ipsam jura prædicta spectarent, adhuc extincta esset cum fructibus ex præfatis bonis 25. annorum spatio perceptis, ipso jure in sortem singulis quibusque annis integrè imputandis, eamque extenuantibus, dum nullus concurrebat titulus, qui utrumque creditum dotale redderet fructiferum; Non quidem ille dotis, quoniam in Rota & Curia receptissimum est, dispositionem *text. in cap. salubriter de usuris*, locum sibi vindicare, constante matrimonio tantùm, non autem eo dissoluto, quamvis filii superessent; Neque alter lucri cessantis, vel damni emergentis, dum pariter in Curia hoc jure vivitur, quòd nisi probentur formiter, ac in specie requisita posita per *Castrens. in l. 3 ff. de eo quod certo loco*, quoad interesse lucri cessantis, vel illa *dec. 2. Mohed. de usuris*, quoad illud damni emergentis, neutrum debetur, & consequenter fructus ex pignore percepti ad aliud referri non possunt, nisi ad extenuationem sortis.

Pro utroque objecto evitando, scribentes pro rea conventa, duo motiva deducebant; Primò in ordine ad incompetentiam dictorum jurium dotalium, quòd non constaret, filios masculos adisse hæreditatem matris, vel legitimam sibi debitam in bonis aviæ, quæ fortè ex cautela eludendi creditores, ipsam neptem tantùm hæredem instituerat, & consequenter dicebant intrare conclusionem deductam *ex textu in l. qui autem. ff. quæ in fraudem creditorum*, quòd creditoribus nullum jus competit ad bona jure successionis, seu legati, vel fideicommissi delata eorum debitori, nisi post agnitionem ab isto factam, sine qua dicuntur esse solùm in facultate, non autem in bonis nostris, quia potest debitor nolle agnoscere, neque creditores explicare possunt ea, quæ pendent ab animo.

Et secundò, quòd cùm valor bonorum adæquaret dicta credita dotalia, pro quibus ipsa rea con-
2 venta, mortuis patre & avo bona hæc possederat, quòd tunc intraret conclusio, quæ per ora pragmaticorum in Curia communiter volitare solet, ut pignore habito pro derelicto, creditor suos faciat fructus, in sortem proinde non imputandos, ut per *Merlin. de pignor. lib. 5. tit. 1. quæst. 45. num. 73. cum seq. Rota dec. 46. par. 6 rec. in Romana domus, seu domorum, 5. Iulii, 1655. coram Melino, §. finali, & in aliis.*

De primo motivo habetur actum in hac eadem causa in sua materia, *sub tit. de credito*, ubi etiam in
3 una *Senen. pecuniaria, seu concursus*, ex professo agitur de hoc articulo, An scilicet & quando, etiam sine additione creditoribus jus competat, saltem ad legitimam eorum debitori jure naturæ debitam, seu ad dotem à statuto filiis delatam; Ac etiam agitur de alio articulo, in præsenti causa quoque disputato, An per retentionem dotium à viro, & respectivè patre factam, resultet nec-nè favore filiorum aditio maternæ hæreditatis.

Quatenus verò pertinet ad dictum secundum motivum pertinentiæ fructuum ad creditorem ex pignore debitum adæquante, & in quo Judex magis insistebat; Dicebam scribens pro actore, etiam cum sensu veritatis, fallaciam consistere, non in ipsa conclusione in suis casibus vera, sed in ejus applica- 4
tione ad factum, ut etiam plures idem disputavi & obtinui in eodem Tribunali A. C. in diversis causis, præsertim verò in una *Camerinen.* pro Joanne Bernardino de Blanchis, de Monticulo, in qua acriter iste articulus quoque disputatus fuit.

Procedit enim conclusio prædicta in casu quo, nullo expresso titulo pignoris, vel dationis insolutum, ipse debitor, in cujus potestate, ac voluntate repositum est bonorum dominium à se abdicare, ac in alterum jure venditionis, vel dationis insolutum transferre, ipsa bona simpliciter daret, quoniam tunc ista circumstantia æquivalentiæ, vel inferioris valoris est vehemens adminiculum, seu præsumptio, ut non docto de contrario, censeantur bona data potiùs insolutum, quàm in pignus, juxta deducta præsertim in *Ancontana bonorum coram Rojas inter suas decision. 180. & 166, & in eadem 14. Maji, 1668. coram Bevilaqua*, in quibus respondendo pro datione insolutum sequendo *cons. Menoch. 201. & dec. 4. Comuli*, magnum, ac præcipuum fundamentum constituitur in ista circumstantia, quòd bona per debitorem creditori nullo expresso titulo simpliciter data longè inferioris valoris essent, quàm ipsum creditum importaret, de quarum tamen decisionum subsistentia habetur actum in eadem causa sub dicto titulo *de credito*. §

Sive ubi etiam data essent quidem per debitorem ab initio bona creditori sub explicito titulo pignoris, sed nullis continuantibus adminiculis ejusdem tituli, ex dicta circumstantia adæquationis, vel minoris valoris, & ex diuturno silentio resultaret præsumptio novationis, ac implicitæ dationis insolutum, ipso pignore habito pro derelicto; Atque in uno, vel altero casu dicta conclusio procedit ex fundamento implicitæ, seu præsumptæ dationis insolutum translativæ dominii, cujus ratione creditor, non tanquam creditor ex pignore, sed tanquam dominus ex re sua facit suos fructus, tanquam sequelam dominii, ut patet ex allegatis, & aliis de materia agentibus.

Secus autem ubi constaret de initio & continuatione tituli pignoratitii ratione voluntatis partium, ut constabat in *dicta Camerinen.* cujus ratione iidem scribentes pro creditore dederunt manus victas; Vel ubi etiam accederet defectus potestatis, sive tale impedimentum, quòd dictus implicitus contractus dationis insolutum verificari non posset, ut infra, quoniam tunc posito titulo pignoratitio, unde propterea bona perseverent in dominio debitoris, cujus quoque esset periculum, creditor autem perseverat in persona creditoris pecuniarii, seu quantitatis, tunc ista circumstantia valoris adæquantis, vel inferioris, nullius est momenti, vel operationis, cùm dato pignore, non possit creditor citra usuram pro credito pecuniario facere fructus suos, ut bene advertit *Leotar. de usur. qu. 12. post nu. 5. vers sed si simpliciter, & nu. 6.* ac priùs *num. 2. cum seq.* & adnittit idem *Merlinus loco citato, nu. 76. cum seq.* & patet ex deductis suprà *in Tiburtina Castro, dicur. 8.* quia totus punctus est in jure dominii resultante ex dicta implicita & præsumpta datione insolutum, cum cujus præsuppositio procedunt præfatæ Rotæ decisiones, præsertim *decis. 46 par. 6. rec.* in cujus casu agebatur de bonis ab ipsa muliere datis in dotem æstimatis, ad quæ viro

defe-

defecto, in concursu creditorum, quamvis anteriorum subsidiarium regressum habuerat ex privilegio textus *in l. in rebus, Cod. de jure dotium*, unde resultat præsumptio, quòd ita ex reciproco consensu primævum dominium ipsa reassumere voluerit; idemque vel similes sunt termini dictæ alterius decisionis *in Rom. domus coram Meltio*, in qua id dicitur incidenter, neque iste punctus formiter disputatur, eademque decisio, quoad ea quæ disputabantur, reformata quoque fuit *sub die 29. Novemb. 1657. coram Priolo*.

Applicando igitur ad casum, cùm mortuis patre & avo respectivè, utriusque dotis debitoribus, & quorum debitum, stante Statuto Urbis, deferente Viro dotis lucrum, non aperitur, nisi post mortem, ipsa rea conventa propria auctoritate, & in vim hypothecæ dotalis hujusmodi bonorum possessionem adepta esset ac retinuerit in vim illius licentiæ, quam lex creditori hypothecario tribuit. Hinc proinde resultat, esset impossibile, quòd hic præsumptus seu implicitus titulus dationis in solutum fructuum productivus verificari possit, quoniam datio in solutum idem est, ac emptio & venditio, sive cum eo contractu in omnibus fraternizat, eademque exigit tria essentialia requisita, nempe rem, pretium, & 6 consensum, ut in specie *Rota apud Buratt. dec. 372.* ubi *Adden. dec 38. num 1. p. 11. rec. Mantic. de tacit. lib. 8. tit. 23. num. 1. & omnes*; Ideoque æquivalentia valoris inducere solùm potest implicitam verificationem secundi requisiti quoad pretium, sed inevitabilis remanet defectus tertii requisiti circa consensum, qui debet esse utriusque ad perficiendum contractum, neque ex solo consensu creditoris dari potest avocatio dominii ab uno, & translatio in al- 7 terum, ut ita distinguendo inter pignus conventionale & prætorium habetur apud *Buratt. dec. 160. n. fin. Leotar. d. qu. 12. num. 11.* atque ex dicta nimium convincenti ratione videtur absolutum; Quia tamen iste punctus cum his distinctionibus adhuc non reperitur formiter disputatus, & decisus in Rota, idcircò Judex noluit eum decidere, sed partibus etiam consentientibus decidendum remisit eidem Tribunali, ubi pendet.

# PRÆNESTINA
## SIMULATIONIS CONTRACTUS,
*PRO*
## MARCHIONE THEODOLO ET ALIIS,
*CUM*
## ALIQUIBUS PARTICULARIBUS OPPIDI S. VITI.

*Casus variè decisus per Rotam.*

De duplici contractu contemporaneè celebrato, emptionis & venditionis cum pacto redimendi, ac locationis & conductionis, quia nempe vendat quis rem suam alteri cum pacto redimendi, & unico contextu eam conducat sub annua pensione, qui contractus *livellarius*, seu vulgò *patto à franchire* dici solet, an censeatur licitus, vel potiùs usuratius.

*Card. de Luca de Usur. & Interess.*

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Licitus est contractus emptionis cum pacto redimendi, & locationis eodem tempore factæ venditori, & num. 7. & 8.*
3 *Intellige, nisi locatio sit pro excessiva pensione.*
4 *De causæ resolutionibus.*
5 *Quando modicitas pretii, & pactum redimendi inducat fœnus & pignus.*
6 *Non datur usura sine mutuo vero, vel interpretativo.*
7 *Quando contractus de quo num. 2. sit suspectus, ubi scilicet pactum redimendi est necessarium ex parte recipientis pecuniam.*
8 *De approbantibus dictum contractum, ut num. 2.*
9 *Ubi substantia accessionum est licita, excessus causat injustitiam, non usuram.*
10 *Census possunt constitui ad decem pro centenario.*
11 *Quando consuetudini, seu observantiæ sit deferendum in hac materia.*

## DISC. XI.

IN Oppido S. Viti, aliisque locis adjacentibus, antiquus, ac frequens contrahendi mos est, quòd venduntur territoria, seu 1 prædia rustica cum pacto redimendi limitato vel perpetuo, atque deinde contemparaneè idem venditor ipsa bona conducit ab emptore, pro uniformi ac generali pensione à consuetudine seu usu taxata, ad mensuram valoris in primo contractu venditionis deducti, quòd scilicet pro rata bonorum cadentium sub pretio scut. 8. venditor, & respectivè conductor promittit emptori, ac respectivè locatori singulis annis duos cados musti, quorum loco, idem communis, atque generalis usus introduxit, quòd solvantur in pecunia julii sex, quam contrahendi speciem pro notabiliori parte in hoc loco practicare consuevit Marchio Theodulus, ejusdem Oppidi Dominus. Cùm autem hujusmodi conductores, ac vendentes consulti essent de hujusmodi contractus invaliditate, ac usuraria infectione; Hinc proinde per quamdam speciem universitatis insimul uniti, prædictæ pensionis seu responsionis solutionem, tàm dicto Marchioni quàm aliis solvere recusarunt. Unde propterea introducta causa coram A. C. ab isto contra eos relaxatum fuit mandatum, à quo commissa per Signaturam causa appellationis in Rota *coram Verospio*, cum clausula suspensiva, *Si quid exequendum*, datoque consueto dubio, ex ejusdem rescripti ventre, *An mandatum esset exequendum*, assumptaque disputatione, Me pro Marchione, & aliis actoribus scribente, *sub die 16. Junii 1660.* negativa prodiit resolutio, ex eo fundamento:

Quòd licèt emptor citra usuræ vitium, rem emptam, ejus possessione adhuc non capta, ipsimet venditori in locationem concedere valeat, *ad text. in l. quædam mulier, ff. de rei vendicatione, Paris. cons.* 2 *77. num. 7. cum sequent. lib. 3. Menoch. de arbitr. casu 39. num. 16. Cyriac. controv. 68, num. 1. & 259. num. 4. Rota coram Martin. Andr. dec. 109. num. 11. & per totum*; Attamen id intelligitur, dummodò pensio sit justa, & proportionata fructibus ex ipsa re colligendis; secus autem, si sit excessiva, cùm tunc videatur contractus usurarius, continens potiùs usuratias accessiones pro pecunia, ita sub hoc pallio mutuata, *ex Bald. cons. 322. num. 2.*

*lib. 3. Pariſ. conſ. 55. num. 57. lib. 1. Natta conſ. 198.*
3 *num. 13. Cravett. conſ. 45. numer. 7.* Et propterea reputata fuit exceſſiva dicta penſio, uſuram idcircò redolent, ſtante potiſſimùm ejus uniformi, & invariabili quantitate pecuniaria, ad quam reſponſio vini redacta eſt *ex Carrocc. de locato in addit. par. 5. quæſt. 3. num. 39. & 40.* ubi allegatur *Ancharan. conſ. 257. num. 4.* ut habetur in deciſione deſuper edita.

Adversùs quam conceſſa nova audientia, atque mutatis defenſoribus, reaſſumpta diſputatione *ſub*
4 *die* 8. *Martii* 1664. abſque eo quod quicquam de novo adduceretur, ſed eiſdem auctoritatibus, & fundamentis per novos ſcribentes reaſſumptis, quæ in dicta prima diſputatione deducta fuerant, quinimò neglectis melioribus conſiderationibus, de quibus infrà, re melius percepta, recedendo à deciſis, pro contractus validitate reſponſum fuit, Unde propterea obſervabam, ità etiam in forenſibus controverſiis verificari dictum Galeni in ore medicorum adeò frequens, *maledicta vetula quæ venit in die critico &c.* dictaque reſolutio confirmata fuit coram eodem *Veroſpio ſub die 29. Maji.* 1665. & 19. *Ianuarii*, 1667. *coram Otalora*, in locum *dicti Veroſpii* interim defuncti ſubrogato, moderando tamen dictam penſionem in parte, eamque à juliis ſex reducendo ad julios quatuor per quamdam reductionem ad æqualitatem & juſtitiam.

Iſtarum verò poſteriorum deciſionum fundamentum fuit illud idem deductum in prima, quod ſcilicèt prohibitum non eſt rem venditam illicò, etiam actuali poſſeſſione non apprehenſa, locare eidem venditori juxta ſuprà allegatas auctoritates in eis repetitas; Et quoad penſionis exceſſum dictum fuit, & benè, illum non percutere uſuram, ſed potius injuſtitiam ſeù læſionem, juxta terminos textus *in l. 2. Cod. de reſcind. vendit.*

Atque circa pactum redimendi, ex quo magis fœnoris ſuſpicio reſultare ſolet, dictum fuit, ac pariter bene, juxtà firmata per allegatos, præſertim
5 plenè *in dicta deciſ.* 109. *Martin. Andreæ*, ſolum pactum prædictum id non operari, niſi accedat etiam modicitas pretii, qua concurrente, Rota & Curia Romana ſequitur opinionem, ut neceſſarium non ſit tertium requiſitum ab aliquibus deſideratum, quod contrahens ſolitus eſſet fœnerari, ut advertitur in eiſdem deciſionibus, ac habetur etiam *in Romana locorum montium de Mutis ſub tit. de Regalibus diſcurſ.* 32. Verùm hæc modicitas debet eſſe conſiderabilis & magna, itaùt dimidium juſti pretii excedat, habita etiam ratione diminutionis pretii reſultantis ex pacto de retrovendendo, quod juxta unam opinionem in tertia, & juxta alteram in quarta, vel ſexta, verius autem pro judicis arbitrio juxta menſuram præfiniti temporis, aliasque circumſtantias de juſto valore minuit, & cum iſtis generalitatibus proceſſum fuit, ponderando juxta facti probationes dictum exceſſum, vel in ſorte, vel in annua reſponſione non adeſſe, ut patet ex deciſionibus deſuper editis.

Mihi autem uſque ab initio, reflectendo ad hujus articuli veritatem, ac etiam deinde poſt dictas deciſiones editas, videbatur illum nimis vigè, & per terminos generales tractatum eſſe, non autem per ejus proprios, ac ſpeciales terminos in materia cadentes.

Fœnoris quidem ſuſpicio in iſta contrahendi
6 ſpecie reſultare dicitur, quando concurrat mutuum verum, vel interpretativum, ſine quo recepta propoſitio eſt non dari uſuram, quæ propriè mutui ob dilatam ejus reſtitutionem acceſſio dicitur, *ad text. in c. conſuluit de uſur.* & poſt antiquiores ab eis allegatos *Surd. conſil.* 306. *num.* 6, & 7. *Leotar. de uſur. quæſt.* 16. *num.* 20. cum aliis latè per *Rotam in Romana locationis* 2. *Maji* 1659. *coram Veroſpio poſt colluctat. Bondeni deciſ.* 63. *num.* 13. & paſſim.

Ideoque tunc iſta ſuſpicio intrare videtur, quando pactum redimendi eſt neceſſarium ex parte venditoris, qui ad libitum emptoris pecuniam ſub 7
nomine pretii acceptam reſtituere tenetur, cùm tunc videatur adeſſe mutuum ſub nomine iſtorum contractuum in fraudem uſurarum, ita palliatum, atque in his terminis procedunt auctoritates de hujuſmodi contrahendi ſpecie dubitantes, de quibus apud *Manent. in tract. de contractu livellario, qu. 1. in principio, & Leotar. de uſuris, qu.* 15. *num* 16. Seclusâ verò iſtâ circumſtantiâ, non videtur urgere probabilis dubitandi ratio; Ideoque meritò ultra deducta per *Pariſ. Cyriac. Martin. Andr.* & alios ubi ſuprà, & in hujus cauſæ deciſionibus, idem fir- 8
mant *Alex. de Nevo conſ. 95. num.* 15. *cum ſequen.* & cæteri apud *Manent. dicta quæſt.* 1. *num.* 1. ubi idem admittit, dubitando ſolùm in eo caſu, de quo ipſe agit ex particularibus facti circumſtantiis, *Fulgin. de emphyteuſi, tit. de contract, quæſt.* 46. *Gipt. deciſ. Bonon.* 119. *num* 54. 62. & 76. ubi de contractu uſitato Bononiæ, quod dicitur *pactum francandi*, ac etiam *Rota in Romana diviſionis officii* 23. *Maji* 1625. *coram Ubaldo poſt reſol.* 14. *Carenæ*, quia iſte dici non poteſt contractus antychreſis, ut advertit *Leotar. d. quæſt.* 16. *in principio.*

Et quidem poſita ex parte dantis pecuniam omnimoda irrepetibilitate, ceſſat mutuum verum vel interpretativum, ſeu titulus pignoris, quod ſup- 9
ponit etiam mutuum, vel ad libitum, vel poſt certum tempus repetibile; Et conſequenter, ubi etiam in acceſſione ſub nomine penſionis cõventa aliquis adeſſet acceſſus, benè in cauſæ deciſionibus, cum ibi allegatis, advertitur id percutere injuſtitiam, ſeu læſionem, non autem uſuram, quod generaliter habemus in omnibus contractibus, in quibus acceſſiones in genere, ſeu ſubſtantia ſunt licitæ, utputà in cenſibus, cambiis realibus, fructibus recompenſativis pro pretio rei fructiferæ, ad terminos textus *in l. curabit*, cum ſimilibus, cùm tunc ſolùm intret reductio ad limites juſtitiæ, ut in præſenti practicatum fuit; Quamvis mihi videretur etiam magna æquitas, dum annua reſponſio juliorum 6. pro ſorte ſcut. 8. importat ſolùm ad rationem ſeptem pro centenario, & parùm plus, cùm tamen ex Bulla *Nicolai V.* in hac parte non correcta per illam *Pii V.* cenſus ſubſtineantur uſque ad decem pro 10
centenario, ut advertit *Duard. de cenſ. §. 2. quæſt. 21. numer.* 27. Et licèt *Cenc. quæſt.* 47 *num.* 20. ſubſtineat dictam Bullam *Nicolai* eſſe localem, Attamen quidquid ſit de unius, vel alterius opinionis veritate, id percutit caſum circa exceſſum ultrà decem, ſed ubi ſumus infrà, dici non poteſt intrare uſuram; Ideoque obſervabam iſtum dici poſſe quemdam implicitum contractum cenſus ſub hac forma ab antiquo in his locis fieri ſolitum.

Magni faciendam quoque conſiderabam eſſe communem conſuetudinem, ejuſque antiquitatem, quodque ferè generalis videtur in Lombardia, aliiſque partibus, quam obſervantiam ponde- 11
rat *Cyriac. dicta controv.* 68. *num.* 24. *cum ſequen.* Licèt enim in materia uſuraria conſuetudo non excuſet, quia potius prava dicenda eſt & corruptela, cùm omnes ferè canones *ſub tit. decretalium de uſuris*, ſuper conſuetudinem reprobatione prodierint; Attamen id procedit, ubi qualitas uſuraria eſt clara

ob

ob explicitam vel implicitam mixturam mutui; Secus autem ubi intrat probabile dubium, quoniam tunc observantia attenditur tanquam interpretativa; Ponderando etiam, quòd ubi usus est communis ac uniformis, cessare videtur suffocatio indigentis mutuatarii facienda per sagacem & depravatum fœneratorem, dum ita etiam pupilli, vel simplices, & sinceræ personæ pariformiter contrahunt, eodem modo, quo quilibet diligens negotiator, ut in proposito advertitur *in Romana cambiorum, sub tit. de cambiis, disc. 1.*

# SAVONEN.
## PECUNIARIA,
*PRO*
## FRATRIBUS DE CARENTIIS,
*CUM*
## JOANNE THOMA MESSEA.

*Casus variè decisus per Rotam, demum concordatus.*

De probatione solutionis usurarum facienda per debitorem ad effectum illas imputandi in sortem, vel repetendi, quomodo desideretur, & de differentia probationis inter casum imputationis, & alterum repetitionis; Et an creditor licitè usuras retineat ratione interesse lucri cessantis; Et aliqua de compromisso super usuris, an fieri possit in laicum, sive an laudum arbitri possit eas canonizare; Et quid de transactione super eisdem usuris inita; Et an utilitas debitori resultans ex mutuo, reddat licitas accessiones.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quomodo procedendum sit in deferendo decisionibus Rotæ, aliisq; auctoritatibus.*
4 *An valeat cambium, si creditor est certus, quòd debitor non potest cambiare, remissivè.*
5 *De eodem, de quo num. 3. & damnatur usus pragmaticus.*
6 *In mutuo nulla accessio dari potest, & in usura non datur parvitas materiæ.*
7 *Distinguuntur puncti seu inspectiones.*
8 *Ad effectum repetitionis indebiti solutio est probanda vera & effectiva, & non sufficit confessio, vel quietantia.*
9 *Agens ad repetitionem indebiti, non solùm debet probare solutionem, sed etiam ipsum indebitum, pro quo excludendo sola possibilitas interesse sufficit.*
10 *Impugnatur hoc in materia usuraria, & de ratione.*
11 *Reprobatur opinio* Archidiaconi, *& verius est etiam præsumptivas probationes sufficere in materia usuraria.*
12 *Fœneratores student usuras occultare.*
13 *De capitulo Regni Neapolitani contra usurarios convincendos etiam per testes singulares.*
14 *De specialibus circa probationem in materia usuraria.*
15 *De differentia ubi agitur de probatione usurarum ad effectum puniendi, vel ad effectum civilem restituendi.*
16 *Declaratur conclusio, de qua num. 9.*
17 *Quando facilius imperfecta probatio admitti debeat.*
18 *De differentia inter repetitionem usurarum, & earum imputationem in sortem.*
19 *Confessiones debitoris in materia usuraria non attenduntur.*
20 *De adminiculis, & modis, ex quibus probatur exactio usurarum.*
21 *Probatis aliquibus exactionibus, an ista consuetudo inducat præsumptionem in aliis.*
22 *Liguri præsumuntur negotiatores, ac soliti negotiari.*
23 *An creditor obtinere possit interesse lucri cessantis, si de eo non convenit, sed dixit facere mutuum gratuitum.*
24 *De interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, quòd licitè ab initio conveniri potest.*
25 *Quomodo dicta conclusio procedat, & intelligenda sit.*
26 *De magna difficultate, quæ habetur in hac materia, & de ejus ratione.*
27 *Quæ requirantur, ut debitor morosus condemnari possit ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.*
28 *De rationibus requisitorum, & quòd lucrum negotiationis est incertum & periculosum.*
29 *Conventio partium potest operari idem, ac operatur mora.*
30 *De inconvenientibus ob diversas opiniones.*
31 *Quomodo regulanda sit hac materia interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, & an mos regionis excuset, datur distinctio inter usuras exactas & exigendas.*
32 *Ignorantia juris vel simplicitas non excusat in materia usuraria in foro externo.*
33 *Declaratur, ubi est ignorantia juris dubii.*
34 *Impugnatur opinio admittentium interesse judiciale vel conventionale pro credito pecuniario absque probatione requisitorum, & de rationibus.*
35 *Taxari potest interesse ad certam summam, sed quomodo & quando.*
36 *Bona qualitas creditoris considerabilis est ad excludendam suspicionem usuræ.*
37 *Bona fides, vel non mala excusat à fructibus perceptis & consumptis.*
38 *Quando creditor dicatur in bona vel mala fide.*
39 *An & quando laicus per viam judicii, vel compromissi cognoscat de usuris.*
40 *An & quando transigi possit super usuris.*
41 *An in materia usuraria spectetur utilitas debitoris, si creditoris non interest, vel e contra.*

### DISC. XII.

VT Nicolaus Carentius Oppidi Finarien. acquireret quoddam prædium, de anno 1647. mutuas accepit à Joanne Thoma Messea de eodem loco duplas 745. sub obligatione restituendi infra annum, quo decurso, & facta per creditorem confessione de recepto duplarum 45. per apocam conventum est, quòd Nicolaus remaneret debitor in reliquis 700, quas absque aliquo utili, vel interesse restituere non teneretur, nisi ad sex 1

menses decurrendos, dictoque termino decurso, in hujusmodi conventionibus, & uniformibus dilationibus, quolibet semestre continuatum fuit, donec vixit dictus Nicolaus, quo defuncto, idem successivè gestum est cum ejusdem uxore communium filiorum tutrice, usque ad annum 1654. duodecim & ultra chirographis ita intercedentibus, ex quibus patet, pro dicta pecunia quolibet semestre creditori solutas esse duplas viginti duas cum dimidio, quod ad amussim correspondet primæ summæ duplarum 45. primi anni, & sic ad rationem sex cum dimidio pro quolibet centenario & anno, atque in aliquibus ex dictis chirographis exprimitur, quòd si contingeret dictas pecunias restitui infra terminum conventum, deberet creditor defalcare, seu bonificare ratam dicti interesse jam habiti; Exortisque de dicto anno 1654. aliquibus differentiis inter dictas partes, illisque compromissis in Gubernatorem dicti loci, hic per laudum, imponendo silentium super fructibus seu utilibus decursis & solutis, in futurum eosdem fructus reduxit ad minorem rationem quinque pro centenario & anno, ampliando etiam dilationem priùs semestralem, ad annum.

Factis autem majoribus filiis dicti Nicolai, exortisque controversiis super restitutione dictarum pecuniarum, ac respectivè usurarum imputatione,
2 Et introducta causa coram Ordinario, hic sententiam favore creditoris protulit, assignata ratione, quòd usuræ, seu accessiones receptæ fuerint à sponte dante, ratione lucri cessantis, ac etiam quia mutuata pecunia erogata fuerat in emptionem prædii utilis & fructiferi, à qua sententia interposita appellatione, & commissa causa in *Rota coram Taja*, datoque dubio, *an constaret de illicita usurarum exactione*, sub *die* 31. *Martii*, 1664. affirmativa prodit resolutio, ut patet ex decisione desuper edita, impressa *post Zuffum de legitim. processus, decis.* 104. ad cujus decisionis normam prolata sententia, & commissa causa appellationis in eadem *Rota coram Bourlemont*, sub *die* 15. *Februarii*, 1666. responsum fuit pro dictæ sententiæ confirmatione, ac pariter cum unica decisione prolata alia sententia, commissa fuit causa appellationis in tertia instantia, in *eadem Rota coram Albergato*, coram quo sub *die* 3. *Decemb. ejusdem anni* 1666. prodiit resolutio creditori favorabilis pro dictarum sententiarum infirmatione, à qua tamen resolutione recessum fuit sub *die* 16. *Januarii*, 1668. respondendo pro confirmatione, sed repropositâ causa sub *die* 19. *Novembris ejusdem anni*, recedendo ab ultimo, perstitum fuit in primo loco decisis ad favorem creditoris pro sententiarum infirmatione, super qua prodiit sententia; unde in gradu appellationis per debitores interpositæ, commissa fuit causa in eodem Tribunali, coram Vice-comite, atque propositâ causa sub *die* 1. *Maji*, 1669. resolutum fuit, hanc ultimam sententiam esse infirmandam, confirmando præcedentes, ac demum concordia finem controversiæ dedit.

Ex qua serie edocemur, quàm cautè & circumspectè per Judices procedendum sit in deferendo
3 decisionibus, quæ in libris impressæ, seu aliàs circumferuntur, ita sub cœca fide immorando in sola auctoritate, non examinatis earum fundamentis, atque illius causæ statu, fine & circumstantiis, dum plures decisiones ab eodem Tribunali retractatæ habentur, pluresque adsunt, de quarum expressa revocatione non constat, sed earum implicita revocatio quoque adest; Vel quia repropositâ causa, & dilata resolutione, ille qui favorabilem decisionem habebat, agnoscendo imminentem revocationem, cum aliquali concordia, liti cesserit, ut est præsertim in casu, de quo *in Romana domus seu locorum Montium sub tit. de emphyteusi. disc.* 36. & conferunt etiam casus, de quibus *in Romana locationis venæ ferri, & Viterbien. transactionis, de quibus hoc eod. tit. disc.* 4. & 15. Vel quia decisiones implicitè habitæ fuerint pro non subsistentibus, ut præsertim habemus de illis in *Romana cambiorum*, 4. *Iulii*, 1642. & 18. *Aprilis* 1645. *coram Peutingerio*, de quibus pluries in sua materia, sub *tit. de cambiis*, præsertim *in Romana cambiorum de Sfortiis*, *discursu* 6. 4
super articulo, an subsistat cambium, quando creditori danti pecunias, innotescit, debitorem eas erogaturum esse in extinctionem æris alieni, seu in alios usus, ideoque acceptam pecuniam per plateas vel nundinas non esse cambiaturum, cum similibus satis frequentibus; Et si hoc procedit in decisionibus, multò magis & incomparabiliter idem dicendum est de contiliis; Ideòque perpetuò damnandus 5
est ille pragmaticus abusus judicandi ex cœca fide cum doctrinis, non expendendo earum fundamenta, & præsertim, ut dictum est, omnes circumstantias casuum, de quibus agunt, ad effectum congruæ applicationis, cùm sæpè sæpiùs conclusiones uni casui congruant; alteri verò, quamvis simillimo & penè identifico secùs.

In prædictis autem disputationibus, in tot instantiis habitis, præsuppositò absoluto principio in primis duabus decisionibus coram *Taja* & *Bourlemont* enunciato, atque per scribentes pro creditore admisso, quòd in mutuo nulla accessio, nullaque utilitas in mutuante danda est, quamvis modica, 6
ita ut in usura non detur parvitas materiæ, ut ex *Diana*, *Fagnano*, & aliis deducitur in *prima decisione coram Taja*, atque ut advertit *Leothar. qu.* 3. neque semiuncia lucri admittatur, dum ubi etiam agit de non danda levitate materiæ; Quatuor fuerunt puncti, seu inspectiones istius controversiæ; Primò scilicet facti magis quàm juris super probatione solutionis, & respectivè exactionis hujusmodi usurarum, & super hoc puncto major ac penè tota dis- 7
putatio fuit, cùm fundamentum ultimæ & antepenultimæ decisionum coram *Albergato* editarum favore creditoris, consistat in hac deficiente concludenti & perfecta probatione, quæ in dictis decisionibus necessaria dicitur ad effectum repetitionis usurarum indebitè solutarum; Secundò, an posita probatione, suffragaretur creditori ad evitandam restitutionem vel imputationem, probatio ex ejus parte facta, quod ipse solitus esset negotiari, & non tenere ejus pecuniam otiosam, quòdque in loco promptæ essent negotiorum ac lucrorum occasiones; Tertiò, an pro eadem excusatione à restitutione, vel imputatione suffragaretur illa circumstantia, quòd mutuata pecunia deservierit pro utili acquisitione prædii fructiferi; Et quartò demum, an laudum ab Arbitro latum, & à partibus emologatum suffragaretur, nec-nè.

Quatenus igitur pertinet ad primum, scribentes pro creditore, quibus adhærent antepenultima, & ultima decisio, duo deducebant, Primò, quòd cùm agatur de repetitione indebiti, solutio concludenter & perfectè probanda est, ita ut non sufficiant quietantiæ & confessiones de recepto, sive 8
aliæ species probationis solutionis, suffragantes tantùm ad liberandum debitorem, cùm aliud sit probare solutionem ad effectum liberationis, aliud verò ad effectum repetitionis indebiti ad communiter notata per Civilistas, *in l. cùm de indebito*, §. *finali*, *ff. de probat.* & *cap. fin. de solut. Federic. de*

Sen.

*Sen. conf.* 54. *numer.* 24. *cum aliis collectis per Amat. reſol.* 97. *num.* 9. *cum ſeqq. Buratt. & Adden. deciſ.* 592. *deciſ.* 89. *par* 10. *& dec.* 6. *numer.* 19. *&* 20. *par.* 11. *rec. Dunozett. deciſ.* 688. *numer.* 2. *& ſeqq. &* 729. *in principio, & in utraque deciſione, ac etiam in Baren. Cenſus* 3. *Aprilis* 1669. *coram Bourlemont.*

Undè cùm apocæ continerent ſolùm quietantias in genere, vocando ſe ſatisfactum, atque duæ tantùm explicarent ſummam receptam, ità dictum *quietantiæ* vel *ſatisfactionis* verbum remanet æquivocum, non aptum ad inducendam perfectam probationem realis & effectivæ ſolutionis, quæ neceſſaria eſt ad hunc effectum repetitionis indebiti, dum etiam ex benevolentia & remiſſione, vel ex ſolis obſequiis poteſt creditor ſe vocare ſatisfactum, ac debitorem liberare, eodem modo quo habemus in probatione ſolutionis penſionis voluntariæ ac reſervatæ beneficio pleno, quòd hujuſmodi confeſſiones & quietantiæ non attenduntur, ut in dictis deciſionibus *coram Dunozetto*, & in ſua materia *ſub tit. de penſionibus pluries.*

Et ſecundò quòd agenti ad repetitionem indebiti voluntariè ſoluti, non ſolùm incumbit onus perfectæ probationis veræ & effectivæ ſolutionis, itaut non ſufficiat ſolutio confeſſata, ſeù præſumpta orienſ ex præſcriptione ſtatutaria, ſivè ex *l. quicumque Cod. de apocis publicis lib.* 10. vel ex requiſitis deductis ex *l. Procula ff. de probat.* de quibus *Afflict. deciſ.* 105. & *Merlin. dec.* 125. cùm iſtæ &
9 ſimiles ſpecies probationis, ut ſupra dictum eſt, ſuffragentur quidem ad liberandum, non autem ad repetendum indebitum voluntarium ex auctoritatibus ſupra allegatis; Sed incumbit etiam onus probandi ipſum indebitum, excludendo etiam contrariam debendi poſſibilitatem, ut apud allegatos & paſſim, quoniam eſt certum & receptum principium, quod ego ſcribens in contrarium non negabam in materia indifferenti.

Et ideò cùm indubitarum ſit, quod creditor, vel ex mora debitoris, vel etiam ex conventione, poſſit citrà labem uſurariam percipere intereſſe lucri ceſſantis vel damni emergentis, ut habetur infrà ſuper ſecundo puncto, idcircò adeſt poſſibilitas debiti, & conſequentet onus eſt agentis ad repetitionem indebiti voluntarii probare etiam hanc negativam; ex deductis per *Leotar. de uſuris q.* 76. *numer.* 45. *Rot. dec.* 153. *numer.* 27. *par* 4. *rec. tom.* 2. *deciſ.* 38. *numer.* 2. *par.* 5. *dec.* 89. *num.* 19. *par.* 10. cum aliis in dictis deciſionibus coràm *Albergato*, præſertim ultima 13. *Novembris* 1668. ubi ad effectum coadjuvandi dictam poſſibilitatem, ponderatur mos regionis, in qua omnes ſunt induſtres ac negotiari ſoliti, atque occaſiones ſunt frequentes ex teſtimonio *Scaccia de cambiis* §. 1. *q.* 7. *par.* 2. *ampliat.* 8. *num.* 107. *cum ſeqq.* ac etiam ponderando probitatem creditoris.

Verùm etiam ſi eſſemus in terminis & ad effectum repetitionis indebiti adhuc dictæ propoſitiones periculoſæ videbantur in hac uſuraria materia, in qua procedendum non videtur cum terminis generalibus textus *in d. l. cum de indebito cum con-*
10 *cord.* eò quia frequentius ac ferè ſemper dicuntur actus occulti per callidos ac depravatos fœneratores ità ſtudioſè, & clam fieri ſoliti ad fraudandas & occultandas uſuras, nedùm ad effectum evitandi illarum reſtitutionem vel imputationem, ſed etiam evitandi plures pœnas temporales, & ſpirituales, per utrumque jus civile & canonicum, ac etiam per jura municipalia inflictas.

Ideoque licèt *Archid. in cap.* 2. *de uſuris in ſexto*, quem aliqui ſequuntur, exigere videatur dictam plenam & perfectam probationem, Attamen hæc 11
opinio ex originali dicto *Io. Andr. in eod. cap.* 2. *num.* 4. magis communi Canoniſtarum, ac Moralium calculo rejecta eſt, unde *Ioannes Andreas* dicit, quod dictum *Archidiaconi* in ſcholis non approbatur, & in judiciis reprobatur, ut magiſtraliter *Abb. conſ.* 113 *par.* 2. *num.* 3. *& per tot.* ubi ex *Clementina unica de uſuris*, ponderat, veram ac germanam rationem prædictam, quod ſi exigeremus plenam & concludentem probationem contrà uſurarios, rarò vel unquàm convincerentur de uſura; ſequuntur *Afflict. deciſ.* 91. *numer.* 7. & cæteri apud *Leotar. de uſuris q.* 93. *num.* 7. *cum ſeqq. & in penult. deciſ. coram Albergato*, ac etiam in primis duabus *coram Taja & Bourlemont*; Ut enim advertunt *Maſcard. de probat. concluſ.* 447. *num.* 31. *& concluſ.* 1424. *numer.* 3. *Carol. de Graſſ. de except. cap.* 28. *numer.* 27 *cum ſeqq. Sperell. deciſ.* 27. *numer.* 82. & 12
cæteri, de quibus *Leotar. de uſuris q.* 93. *ex numer.* 9. *ad finem*, (ubi ponderantur multa ſpecialia in hac uſurarum probatione ex dicta ratione admittenda, quæ aliàs admittenda non eſſent), nihil aliud fœneratores excogitant, niſi cautelas pro occultandis uſuris, atque impedienda probatione illarum.

Hinc in Regno Neapolitano per *Cap. Noviter noſtræ Majeſtatis* 270. juxta computationem *Campagnæ & Tappiæ* ſtatutum habetur, ut etiam in 13
criminalibus, ac ad effectum convincendi uſurarium, nedùm pro reſtitutione vel imputatione, ſed etiam pœnarum, ſufficiant tres teſtes ſingulares, ſingularitate non obſtativa ſed adminiculativa, quamvis de facto proprio deponentes, quia nempè ipſi fœneratori uſuras promutuo ſolverint, cum tamen hæc ſpecies probationis abſque dubio in aliis materiis indifferentibus non admittatur, de cujus capituli intelligentia & uſu agunt *Tappia lib.* 5. *juris Regni tit. de uſurariis*, *Capagna alias Io. Anton. de Nigris in Comment. dicti Capit. Bajar. ad Clar. Foller. & cæteri practici Regnicolæ*, multaque ſpecialia ut ſuprà ponderat *Leotar. d. q.* 93. in aliis materiis non admittenda.

Et tamen certum eſt, quòd in criminalibus magis exactæ & concludentes probationes deſiderantur, Tum ex regula generali, quod ad effectum 14
pœnarum perfecta & concludens probatio delicti requiritur, ad communitèr notat. *in l.* 1. *Cod. de dolo cum concord.* Tum ex eo, quod ubi agitur ad effectum puniendi, conſideratur ſolum odium ejus, qui puniri debet, abſque mixtura favoris alterius, præter quàm illius generalis favoris, qui Reipuplicæ reſultat ex delinquentium punitione; In civili- 15
bus autem ad effectum repetendi, ſeu condemnandi ad reſtitutionem, urget favor ſuffocati debitoris, ità reintegrandi de eo quod potius invitus & coactus ſolvit, quàm voluntariè, ut in dubio lex præſumit, ex deductis *deciſ.* 69. *num.* 17. *& ſeq. par.* 9. *rec.* ubi concordantes; Ac etiam adeſt favor ipſiuſmet uſurarii pro ejus conſcientia exoneranda, & nè perſeveret ac moriatur in peccato ſub perpetua damnatione.

Et ſic, cum ſenſu ac zelo veritatis, dicebam, ultimam præſertim deciſionem coram *Albergato*, nimium in hoc ſe dilataſſe, ità enim ſatis lata via 16
uſuris aperiretur, ſi adeò concludens & exacta probatio neceſſaria eſſet in hac materia ex dictis rationibus ferè impoſſibilis, dum etiam poſtquàm facta eſt, neque ſufficeret, niſi etiam probaretur negativa poſſibilitatis intereſſe, quæ probatio pariter impoſſibilis videtur. Iſta enim propoſitio proce-

dit in casu quo accessiones generalitèr & in substantia sint licitæ, itaut usuram de sui natura non redoleant, sed solùm ad earum licitam perceptionem requiratur aliquod implementum; Ut e. g. per Statutum decernuntur mulieri etiam soluto matrimonio usuræ dotales adversùs dotantes, vel adversùs hæredes viri non restituentes, sub conditione tamen interpellationis, ut est Statutum 137. *Urbis*, ac etiam est Statutum Bononiæ, de quo agitur *d. dec.* 153. *par.* 4. *rec. tom.* 2. Tunc enim si de dicta interpellatione non constat, Verùm dotis debitores usuras dotales voluntariè solverunt, tunc ità vel declarant se habuisse pro interpellatis, vel saltem resultat dictæ interpellationis præsumptio, transfundens in solventes, ac repetere & imputare volentes onus contrariæ probationis, quoniam materia generalitèr & in substantia non est prohibita neque infecta; Ità pariter in fructibus recompensativis juxtà terminos textus *in l. curabit. Cod. de action. empti*, Si enim debitor pro pretio rei de sui natura fructiferæ voluntariè solvit dictos fructus, deindè verò prætendit illos, vel in toto, vel in parte esse indebitos, vel excessivos, eo quia ipsa res tanti non fructaret, tunc probationis onere gravatur, juxtà casum, de quo infrà *in Baren. census*, & *in Lucana ac in aliis hoc tit. disc.* 17. & 18. ex ea ratione, quòd tunc regula assistit creditori, debitor autem innititur solùm limitationi, quam probare debet, dum accessiones in substantia seu genere sunt licitæ, ut etiam circà cambia excessiva habetur in sua materia, cum similibus.

Et in his terminis rectè procedunt dictæ auctori-
17 tates, Secùs autem ubi agitur de puro & simplici mutuo, in quo generaliter & in substantia quælibet accessio est illicita, & regularitèr redolet usuram, undè regula assistit debitori pro imputatione vel repetitione, creditor autem habet solum refugium limitationis, cujus probationis onere gravatur ex collectis per *Barbos. axiom.* 198. *Mantic. dec.* 251. *num.* 4. & *passim*; Et sic magna differentia est inter unum casum & alterum, ideoque auctoritates, & decisiones loquentes in dicto primo casu, in quo accessiones in genere seù substantia sint licitæ, non benè applicantur ad alterum conversum, in quo generalitèr & in substantia sint illicitæ cum conversione regulæ & limitationis respectivè.

Ponderat ultima decisio 19. *Novembris* 1668. *coràm Albergato*, respondendo ad firmata *decis.* 69. *num.* 14. *cum seq. par.* 9 *rec.* quod tunc præmissa, circà solutionis probationem facilius admittendam, sunt vera & procedunt, quandò ab initio constaret de aliquo primordiali titulo, quia nempe in ipso contractu conventum esset de certa quantitate, cùm tunc solutio præsumeretur facta in causam expressam, ut est casus *d. decis.* 69. ubi agitur de cambiis; super quorum cursu conventum erat; Secus autem in hac facti specie, in qua aderat in oppositum expressa conventio, quòd mutuum esse deberet gratuitum & absque aliqua accessione vel interesse; Verùm hoc mihi videbatur æquivocum clarum, quodque potius ista circumstantia, ad evidentiam retorquenda esset, quoniam ut infrà in secundo puncto, ac in aliis hoc eodem tit. advertitur, semper majorem bonam fidem ac animi sinceritatem redolet publicitas actus, quàm ejus clandestinitas & simulatio; qui enim ambulat in tenebris, odit lucem, juxtà similia de creditore emente pignus, de tutore emente bona pupilli, de officiali contrahente &c. Et consequenter prorsus incongruum est dicere, quòd melioris conditionis esse deberet, qui sub mendaci & simulata expressione mutui gratuiti, clàm recipit cum anticipata solutione usuras in uniformi summa determinata pro determinato tempore, quàm qui publicè, & palàm gerit contractum cambii in substantia licitum, sivè convenit de interesse lucri cessantis vel damni emergentis, de quo licitè conveniri etiam potest, cùm sola difficultas resideat in necessitate subsequentis specificæ probationis, ut infrà.

Discurrebam tamen hæc omnia ad superabundantiam, atque ad ostendendam insubsistentiam dictarum decisionum, etiam in casu, de quo loquuntur, repetitionis indebiti. Difficultas verò cessare videbatur ex facto, seù defectu applicationis ad casum, quoniam in hac facti specie non agebatur per debitoris ad effectum repetendi, sed ad effectum imputandi usuras in sortem, illamque extenuandi, ut ità liberationem à debito reportarent, qui termini sunt diversi ob magnam differentiam 18
inter unum casum & alterum, ut admittebant iidem scribentes in contrarium, eademque ultima decisio, ac etiam explicitè agnovit *Rota in Baren. census*..... 1668. *coràm Bourlemont*, de qua causa habetur infrà *hoc eodem tit. disc.* 17. Illa præsertim clara differentiæ ratione militante, quod ubi quis est debitor in sorte, ac solvit accessiones illicitas & usurarias, dici non potest indebiti solutio voluntaria, sed potius dicenda est coacta, quod scilicèt timens fœneratoris suffocationem ad restitutionem sortis, solutionem usurarum sponte & absque contradictione facere curaverit, ut frequens, & quotidiana experientia docet, Et advertitur *d. dec.* 69. *par.* 9. *rec.*

In qua etiam *num.* 23. & *seqq.* habetur ex eadem
19 ratione deferendum non esse quibuscumque confessionibus debitoris, vel computorum solidationibus, ut de hac materia confessionis, vel solidationis computorum in proposito pluries habetur *sub titulo de cambiis*, præsertim *in Romana pecuniaria de Benettis*, *discur.* 7. Ac etiam quia censetur potiùs quod debitor, ità eludendo artem cum arte, pro majori ejus commoditate voluerit restituere sortem cum hujusmodi diminutis solutionibus, ut advertitur in eadem *dec.* 69. *par.* 9. passim recepta in Rota & Curia, & sæpissimè canonizata, tàm in prædictis propositionibus, quàm in alia de jure magis vera, quòd scilicèt præexistente debito sortis, accessiones indebitæ & usurariæ, quamvis sub hoc nomine expressè solutæ non repetuntur per dictam rigorosam actionem repetitionis indebiti, sed in ipso jure imputantur in sortem, illamque extenuant; Quod habemus quotidianum in materia, quia cambiorum non data justificatione litterarum, ac realitatis, cambia sortem extenuent, ut penè in centum decisionibus, post dictam *dec.* 69. firmatum habetur; Dictæ autem rationes cessant in usuris sponte solutis, postquàm ità jam totum debitum in sorte extenuatum esset, undè propterea ex hujusmodi continuata solutione magnum resultat argumentum creditori favorabile, juxtà casum, de quo *d. disc.* 7. *sub tit. de cambiis*, ubi de hac distinctione, dum extenuato debito cessat timor suffocationis.

Probatio autem solutionis dictarum usurarum videbatur nimis concludens & manifesta ex pluri- 20
bus probationum speciebus, ac præsumptionibus, & adminiculis insimul junctis, ex quibus, in jure habemus, rectè deduci probationem solutionis cujuscumque debiti indifferentis & liciti etiam in sorte principali, juxtà dictas vulgares decisiones superiùs allegatas 13. *Afflicti*, 105. *Surdi.* & 124.

*Mer-*

*Merlini*, ac frequenter in ſua materia ſub *tit. de credito*, multò magis iſto caſu, in quo ob magnam probationis difficultatem, minores, magiſque imperfectæ probationes admittendæ veniunt, ut in ſpecie allegata *d. dec.* 105. *Surdi cum concord.* benè ratiocinatur *Leotar. d. q.* 93. *n.* 37.

Cùm enim per duas, vel tres apocas plenè & concludenter juſtificaretur ſolutio uſurarum pro aliquibus terminis, ſeu ſemeſtribus, itaut agentes pro creditore id non impugnarent, hinc juxtà unam
21 opinionem, quam tenere videtur *Abb. d. conſ.* 113. *num.* 3. & ſequuntur cæteri, de quibus *Leotar. d. q.* 93. *nu.* 35. probata videtur fœnerandi conſuetudo, ac ſufficiens præſumptiva probatio exactionis uſurarum pro omnibus reliquis terminis, ſeu pro toto tempore dilationis; Quicquid autem ſit de veritate dictæ rigoroſæ opinionis, ad effectum, ut hæc unica circumſtantia ſufficiat ad probationem, abſolutum tamen videtur, ex illa reſultare magnum adminiculum conjungendum cum aliis, cum conſueta regula perpetuò tenenda in ambiguis, aliiſque omnibus difficilis probationis, ut *ſingula quæ non proſunt, unita juvent.*

Secundò probatio, vel ſaltem magnum adminiculum reſultabat ex eo, quod introducto judicio coràm Ordinario, exhibitiſque ad probandam exactionem uſurarum per debitores apocis de recepto, creditor illas non impugnavit, ſed potius fatendo hujuſmodi ſolutionis veritatem curavit reportare ſententiam abſolutoriam ratione lucri ceſſantis, ac etiam ratione utilitatis, quam creditor ex mutuata pecunia reportaverat cum acquiſitioni prædii.

Tertiò, eadem ſpecies probationis, vel adminiculum reſultabat ex laudo præcedenter lato, ut ſuprà per loci Gubernatorem, dum cum eodem ſenſu proceſſum eſt.

Quartò, ex magnitudine ſummæ, ac lapſu temporis notabilis, undè duplex reſultabat magna inveriſimilitudo, quod extraneus abſque aliqua antidoralis obligationis, vel affectionis ratione, tandiù adeò notabilem ſummam, ità otioſè ex gratuito mutuo retinere voluerit, undè obſervabam intrare receptum axioma ſuper imagine veritatis, ac reſpectivè falſitatis, quam habet veriſimilitudo, vel inveriſimilitudo.

Quintò, in ejuſdem veriſimilitudinis comprobationem, ſatis urgebat generalis præſumptio reſultans ex conſuetudine loci, ſeu qualitate nationis, quod in ſpecie ponderatur apud *Leotar. d. q.* 93. *nu-*
22 *mer.* 50. & 59. Liguri enim generalitèr præſumuntur viri induſtres & negotiatores, ut ultrà *Scacc.* ſuprà allegatum, & in ultima *deciſ.* deductum plenè habetur apud *Rovit. conſ.* 103. *numer.* 10. *lib.* 2. & dixit etiam Rota pluries, præſertim *dec.* 596. *nu.* 23. *p.* 5. *rec. Romana prætenſ. cambiorum* 30. *Aprilis.* 1655. *coràm Dunozetto inter ſuas dec.* 962. *nu.* 7.

Sextò, concurrebat probatio ſpecialis circà perſonam creditoris, quod eſſet vir induſtrius, ac ſolitus ejus pecunias trafficare, & non tenere otioſas, ut idem articulaverat in remiſſoria obtenta à Rota juxtà *deciſ.* 95. poſt *Zuffum*; Et ſeptimò magnum pro meo judicio adminiculum reſultabat ex continuata uniformi præfinitione, ſeù renovatione terminorum, ex quibus omnibus inſimul junctis, in ſenſu etiam veritatis, credebam id palpari manibus, etiam ad alium rigoroſum effectum repetitionis ihdebiti, quinimo fortè etiam ad alterum pœnarum. Et nihilominus quia debitores opponebant poſſe etiam addere juſtificationes cum teſtibus, ac etiam cum libris, aliiſque adminiculis, conſulebam ut ad omnem difficultatem removendam in diſputatione habenda in alia inſtantia hæc omnia deducerentur, cum ſemper meliora ſint motiva facti, quàm illa juris.

Quoverò ad ſecundum punctum, ſeu ſecundam inſpectionem, an ſcilicèt poſita ſufficienti probatione exactionis uſurarum, ut ſuprà, admitti deberet creditor ad evitandam iliarum teſtitutionem, vel imputationem ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quidquid ſit in foro interno, in quo, ut frequenter habetur, ſolum eſt Dei judicium, regulandum ex intentione, ac naturali veritate ſibi cognita; In foro tamen externo, videbamur eſſe 23
extrà caſum quæſtionis ex ſolo facto, dum mutuator non convenit cum debitore de aſſequutione, ſeù refectione hujuſmodi intereſſe, ſed explicitè profeſſus eſt facere mutuum gratuitum abſque aliqua utilitate, vel intereſſe, ideoque dicebam ſibi non ſuffragari proximè allegandas & ſimiles auctoritates circà licitam conventionem & reſpectivè aſſequutionem intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis, dum partes diverſum contractum expreſsè facere profeſſæ ſunt.

Ad id autem probandum ſcribendo tanquam Advocatus deducebam ea, quæ ex *Soccino*, *Surdo*, & aliis habentur apud *Leotar. q.* 27. *nu. fin.* quod etiam in caſu crediti de ſui natura fructiferi, prout eſt pretium rei fructiferæ venditæ juxtà terminos *textus in l. curabit Cod. de action. empti*, adhuc tamen ſi in aliam debendi cauſam convertatur, non debentur acceſſiones, niſi concurrant requiſita hujuſmodi diverſæ cauſæ juſtificativa; Verùm, reflectendo ad veritatem, iſtud fundamentum videbatur parùm tutum, quatenùs reverà dicti intereſſe ſpecialis juſtificatio, ut infrà concurreret, quoniam tunc potius ſubſtantia veritatis, ac voluntatis partium attendenda eſſet, juxtà ea, quæ habentur infrà *in Fulginaten. diſcur.* 16. *& in deciſ.* in ea cauſa edita 28. *Novembris* 1667. *coràm Cerro.*

Ideoque circumſcripta etiàm hujuſmodi circumſtantia, atque examinando articulum, ac ſi publicè, palàm, & ſincerè hoc intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis in conventionem deductum eſſet; Admittebam tanquam veram propoſitionem deductam per ſcribentes in contrarium, quòd ſcilicèt de hoc intereſſe licitè inter mutuantem, & mutuatarium etiam ab initio conveniri poteſt, ut
24 poſt antiquiores ab eis allegatos plenè probant *Apont. de poteſt. Proreg. tit. de Regal. impoſit.* §. 5. *num.* 77. *& ſeqq. Gait. de cred. tit.* 7. *q.* 2. *nu.* 1679. *& ſeqq. Carleval. de judic. tom.* 2. *diſput.* 8. *in prin. & ſect.* 1. 2. *&* 6. ubi latius *Rovit. prag.* 1. *de uſurar. num.* 45. *ubi add. &* non negat *Rota dec.* 118. *Ubaldi*, quæ eſt in materia magiſtralis paſſim canonizata, repetita etiam *dec.* 372. *poſt* 2. *vol. conſ. Farinac. & plenè Leotar. quæſt.* 72.

Verùm difficultas conſiſtit in duobus punctis, ex quibus reſultant æquivoca procedentium ſimpliciter cum dicta generica concluſione, ut hoc intereſſe licitè in pactum deduci poſſit; Primò ſcili- 25
cèt, an in vim dictæ conventionis, abſque alia ſpeciali probatione dictum intereſſe exigi valeat, vel potiùs ad juſtificandam conventionem, neceſſarium ſit deindè illud probare in ſpecie, ad effectum ut exigi valeat; Et ſecundò an ab initio taxari poſſit certa & uniformis lucri, ſeu dicti intereſſe quantitas, Et in utroque ſatis variant ſcribentes, ut patet ex collectis per *Rotam apud Ubald. d. dec.* 118. aliàs 372. *poſt.* 2. *vol. conſ. Farinac. & ex Leotar. d. q.* 72. qui totum mutuatus videtur ex dicta *dec.* vel ſaltèm cum ea, & meritò; in omnibus procedit; Aliquibus volen-

lentibus ad dictam conventionem in genere nullatenùs deveniri posse, nisi post contractam moram, non autem ab initio mutui, seu aliàs creditæ pecuniæ; Aliis verò generaliter, & omninò negantibus licitam conventionem super certa taxa; Et aliis econversò, ut præsertim sunt plures ex Regnicolis utriusque Siciliæ, procedunt cum dicta propositione generali, super licita conventione ejus, quod mutuantis interest, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, ultrò non progrediendo, sed absque alia extrinseca probatione, taxam, ac exactionem licitam reputando, quasiquod ex notorietate promptitudinis occasionum negotiandi, vel pecunias investiendi in regione, atque ex generali consuetudine, quòd quilibet dicatur solitus negotiari, dictæ probationes pro factis habendæ sint, ideoque sola conventio sufficiat; Nimium etiam innixi illi fundamento, quod quidem eos nimium excusabiles reddit, quod scilicèt, Tribunalia post moram à debitore contractam, absque alia probatione requisitorum, quæ in hujusmodi interesse lucri cessantis, vel damni emergentis juxtà Curiæ opinionem desiderantur, passim illud decernunt, ut habetur *disc.* 108. *sub tit. de feud.*

Nulla verò fuit materia, quæ magis pro tempore vitæ forensis in Curia Romana, meum contorxe-
26 rit ingenium, quàm ista, non quidem ratione difficultatis, cum comparativæ ad fideicommissarias, feudales, ac altiores materias civiles, ea videatur de facilioribus, sed ratione dictæ discrepantiæ opinionum, nedùm inter Catholicos in universum, sed in ipsamet Italia, & quodammodò intra viscera Sedis Apostolicæ, cum adeò certo & determinato usu tam diverso, seu de directo contrario; In Curia siquidem Romana, omninò certum, ac indubitatum est, in judicio pro condemnatione debitoris morosi ad interesse, non sufficere solam moram, per interpellationem hominis, vel legis contractam, nisi pro illo lucri cessantis concurrant requisita posita per *Castrens. in l. 3 ff. de eo quod certo*
27 *loco*, & quoad illud damni emergentis, in specie, vel in æquipollenti concurrant requisita posita *in dec. 2. Mohed. de usuris*, quamvis constaret in genere creditorem esse industrem, ac negotiari solitum, & quamvis notorium sit occasiones esse promptas; Idque ex duplici probabili ratione, quarum una utrique interesse communis est, quod scilicèt ità incertum remanet, an creditor pecuniam à debitore debitam in eam causam, vel potiùs in alios usus erogaturus esset, ex iis quæ in proposito interesse damni emergentis habentur acta in *Æsina cen-*
28 *sus hoc eod. tit. disc.* 14. Et altera soli interesse lucri cessantis congrua, quod scilicèt negotiationum lucra sunt semper incerta, quinimò & ipsa negotiatio periculosa est, ut ipsamet sors principalis peremptionem, vel diminutionem pati valeat, undè propterea receptum in jure habemus, ratione hujus periculi, tutorem, vel alium legalem administratorem, prohibitum esse pecuniam pupillarem, seu aliàs administratam negotiationibus exponere, ex plenè deductis *per Sperell. decis.* 90. ubi etiam de ipsamet Civitate Ianuen. quæ negotiantium, ac negotiationum metropolis dici potest; Assignando in hoc scribentes exemplum piscatoris; Non enim ex eo quod est solitus piscari, ac promptum habeat mare, in quo piscari valeat, sequitur, quod nisi ab alio piscationis instrumenta impedita essent, certum piscationis lucrum feciisset, quia potuisset nil accipere, quinimò sentire damnum de proprio in fractura retium, aliorumque instrumentorum, juxta casum, de quo in *Massanen. sub tit. de locato*, cum similibus, ut de his omnibus, cæteris collectis plenè habetur *dec. 29. post Merlin. de pignor.* quæ videtur magistralis & in aliis frequenter, ac advertitur in prima hujus causæ *decis. coram Taja*, quoniam hoc jure fine dubio in Curia vivitur.

Et tamen in utriusque Siciliæ Regnis, ac etiam in Catalonia, aliisque Catholici Orbis partibus, quinimò & in aliis ipsiusmet Italiæ Principatibus, absque tot considerationibus, & justificationibus, in judicio passim data mora, hoc interesse decernitur, Et consequenter in utroque foro admittuntur hujusmodi conventiones, dum in sensu etiam dicta magis rigorosam opinionem tenentium, 29
id quod operatur mora, datis aliis extremis, ex veriori sententia operari etiam potest conventio, ut patet ex eadem *dec.* 118. *Ubaldi*, aliàs 372. *post* 2. *vol. cons. Farin. cum aliis per Leotar. d. q.* 72.

Videatur igitur quomodò hujusmodi contrarietatibus acquiescere valeat intellectus, ut scilicèt in eadem Ecclesia Catholica, & in materia peccaminosa, ac generaliter & intrinsecè mala de jure 30
naturali & divino, itaut neque Pontificia potestas dispensare valeat, neque detur parvitas materiæ, in uno loco sit usura illicita & peccaminosa, & in altero sit licita & valida, cùm tamen in utroque eædem rationes generales pariformitèr vigeant; Quodquè si contingat causam tractari in Curia Ecclesiastica, seu aliàs eam deferri ad Curiam Romanam, nullum interesse judiciale sine dictis requisitis decernatur, passim infirmando sententias de partibus, dum etiam Curiæ Ecclesiasticæ, sequendo stylum Tribunalium sæcularium illud solent decernere; Quodque tales conventiones usurariæ censeantur, decernendo idcircò imputationem talis interesse soluti in extenuationem sortis principalis; Et tamen, quod in dictis aliis locis, utrumque judiciale, & conventionale interesse, passim decernatur, atque tanquam licitum reputetur; Et sic quod res generaliter & intrinsecè mala, vel respectivè, generaliter & intrinsecè bona, nulla data loci, vel personarum diversitate, ex sola diversitate Tribunalium, in uno sit bona, & in altero sit mala; Quod etiam frequenter practicatur in materia censuum, ac etiam conventionum super fructibus recompensativis pretii rei venditæ, ut frequenter *hoc tit.* & in altero *de censibus*: Ideoque meus intellectus in hoc hebetat, neque percipere potest, quomodo hæc possint insimul stare, & quomodo non provideatur, ut ubique inter eosdem Catholicos, una & eadem animæ, & conscientiæ ratio, seù lex servetur.

Reflectendo autem ad veritatem, occasione istius ac similium controversiarum, pro locis, in
quibus, sive benè, sive malè, id de facto servatur, 31
ac publicè & palàm, etiam in judiciis practicatur, considerabam, quod aut agitur de interesse damni emergentis, Et si in loco viget, magisque recepta est opinio, quæ vulgò tribuitur *Ruino cons.* 104. *lib.* 4. quam probabiliorem dicit *Leotar. qu.* 75. *numer.* 14. ubi alios ejusdem opinionis sequaces refert, tunc quatenus pertinet ad forum externum, de quo tantùm meæ sunt partes agendi, nunquam placuit opinio Rotæ & Curiæ Romanæ insistendi mordicùs in altera magis rigorosa opinione, quæ vulgò tribuitur *dictæ dec.* 2. *Mohed. de usuris*, cum qua in Curia regulariter proceditur, quoniam si in loco creditoris & debitoris diverso jure vivitur, cùm id non percutiat substantiam, seu intrinsecam naturam usuræ, sed solùm diversam formam probandi voluntatem creditoris, cui

mora

mora fiat, erogandi scilicèt necnè sibi debitam pecuniam in ejus debitis fructiferis extinguendis, utique cum dicta opinione procedi debet, quoniam durum videtur illum cogere ad vivendum cum diverso jure, quodque scire debeat opiniones, quas tenet Curia, dum se regulavit juxtà opiniones usu receptas in propria regione, undè propterea justam habuit causam negligendi requisita, ex dicta alia opinione necessaria; Ideoque, per modum loquendi, quædam Judaismi species videtur, dictam decisionem *Mohedani*, generaliter & indefinitè attendere etiam in causis regionum & locorum, in quibus dicta alia opinio recepta sit, Et hæc quoad interesse judiciale, quoniam in conventionali hujusmodi difficultates cessant, dum eo ipso quod creditor illud in conventionem deduxit, ita declaravit animum seu destinationem, & consequenter adesse dicuntur requisita juxta *dictam Mohed. decisionem.*

Aut verò agitur de conventionali interesse lucri cessantis, Et tunc aut illud est solutum, ita ut debitor, qui voluntariè solvit, contendat de illius repetitione, seu imputatione in sortem ita exrenuandam, & pariter, non datis particularibus facti circumstantiis malam fidem, ac depravatum animum creditoris in specie redolentibus, mihi neque placuit opinio Curiæ, ut in his regionibus, in quibus hoc interesse absque aliqua dictorum requisitorum speciali justificatione in conventionem deducitur, seu in judicio decernitur, ita reputetur illicitum & usurarium, quod restituendum vel imputandum sit, id quod ex dicto publico & communi usu creditur licitum, undè justam causam habuit creditor illud judicandi licitum, ideoque accessiones in bona fide consumpsit in currentes usus eo modo quo bonorum fructus, ac pecuniarum reditus consumi solent, aliàs non consumpturus ipsam sortem principalem, quam nimium durum est ita insensibiliter per creditorem ad id non cogitantem, atque in bona fide existentem amitti debere, ut ad aliud propositum ponderatur etiam infrà *in Baren. Census, disc.* 17.

Quamvis enim vera sit propositio, de qua in eadem *Baren. Census*, & alibi, quod in materia usuraria, quicquid sit in foro interno, in externo tamen
32 juris ignorantia non excusat, & consequenter, mulieres, minores, rustici, & similes eodem jure, ac alii censentur, quia possunt, ac debent sapientes & peritos consulere, minusque excusat consuetudo ut infrà; Nihilominus id rectè procedit in jure claro & certo, secùs autem in jure, nedum dubio, sed omninò ignoto in regione, in quo potius certum est jus esse in contrarium, Tum ex vera & recepta propositione, quod ignorantia juris dubii assimilatur ignorantiæ facti, & excusat etiam, ubi agitur de lu-
33 cro *Mantic. dec.* 78. *num.* 7. *& seqq. Cavaler. dec.* 81. *num.* 2. *&* 141. *num.* 4. *dec* 360. *num.* 19. *p.* 6. *rec.* 559. *numer* 6, *&* 7 *p.* 5. *Buratt. dec.* 899. *num.* 6. *Altogr. cons.* 99. *lib.* 1. *Redenasch. cons.* 18. *numer.* 25. *& seqq.* Tum etiam ex viva ratione, quod si sapientes & peritos regionis consuluisset, absque dubio dixissent, id esse licitum tanquàm passim receptum, ideòque durum est cogere negotiantes & idiotas, quòd scire debeant illas Romanæ Curiæ opiniones, quas loci sapientes ignorant, atque Tribunalia non servant, itaut isto casu pro medio judicio creditor contendere magis videatur de vitando damno insensibilis, ac involuntariæ consumptionis sortis cum diminutis & in dies consumptis fructibus in statu bonæ fidei perceptis, quàm de lucro captando; Ideòque licèt verum sit in materia usuraria consuetudinem non excusare ex *deduct. per Leotar. quæst.* 99. *n.* 2. *& seqq. & numer.* 6. *cum seqq.* attamen durum videtur, quòd ubi satis dubium est in loco, an dicta consuetudo sit licita, necnè, intret obligatio ad restituendum perceptum & bona fide consumptum.

Aut agitur de eisdem accessionibus seu fructibus ratione dicti interesse assequendis, Et tunc quia creditor contendere dicitur de lucro, atque ita litigando in Curia, & certioratus de veriori vel tutiori opinione, quam illa tenet, constituitur in mala fide, non debet hujusmodi accessiones exigere, ideòque justè debitori datur absolutoria, cùm tunc cessent omnes rationes, de quibus suprà; Ac etiam quia cessante dicto æquitativo motivo excusationis, potius à damno vitando, dicta opinio erronea videtur, dictusque respectivè usus, potiùs abusus, & corruptelæ nomen meretur, quoniam ita usuratum prohibitio remanere videtur merè verbalis, neque datur casus, in quo illa verificetur, cum ita ex vero mutuo quandocumque repetibili, ipsaque sorte assecurata, certum & assecuratum lucrum ratione temporis resultet, in quo propriè usura consistit.

Undè propterea, ut in pluribus disputationibus super similibus contractibus dicere consuevi, & advertitur etiam *in Firmana disc.* 1. de manifesta fatuitate notari mererentur Canonistæ & Theolo-34
gi, ac tot Rotæ aliorumque Tribunalium decisiones, tot quæstiones in hac usuraria materia disputantes, præsertim circà realitatem cambiorum, ac reprobationem eorum, quæ *ficca* dicuntur, sivè circà fructus & usuras dotales, ac fructus recompensativos, ex æquitate *text. in l. curabit, Cod. de action. empti*, ac circà invaliditatem censuum in casibus non servatæ formæ bullæ Pii, sivè ubicumque libertas repetendi sortem suppetit, aut creditor scit fundum esse incapacem, sivè alienum cum similibus, de quibus hoc titulo, & in prædictis aliis, *de cambiis, censibus*, & *dote*, dum absque tot ambagibus & disputationibus, ita cum solo verbali calore interesse damni emergentis vel lucri cessantis, ex puro mutuo, absque periculo, nec sortis, nec fructuum, accessiones percipi possunt.

Et quamvis vera etiam sit propositio, cum qua tenentes hujusmodi opinionem procedunt, quòd scilicèt licitum sit, etiam ab initio certam taxam, justam & verisimilem, habita ratione majoris vel mi-
noris ejus cursus, omniumque aliarum considera-35
tionum statuere tanquam per transactionem super fructibus, ut habetur *dicta decis.* 118. *Ubaldi num.* 8. aliàs 372. *post* 2. *volum. cons. Farin.* cum aliis *per Leotar. dicta quæst*, 72. *num.* 8. *& seq.* ac latius per *Giballin.* de quo *dicto disc.* 1. Nihilominus adhuc manifesta fallacia est in applicatione, quoniam ut eodem *disc.* 1. advertitur, id rectè procedit cum terminis propriis, vel saltem adinstar contractus trini, de quo ibi agitur, seu aliorum, de quibus *in Tusculana, & in Romana nautici fœneris disc.* 2, & 3. Ubi scilicèt interesse seu lucrum est verisimilitèr speratum in magna summa, cujus modica pars creditori tribuatur, reliquum verò, quod debitori dimittitur, dici possit justum, ac proportionatum præmium, seu merx utriusque assecurationis, tam sortis, quàm lucrorum, & non aliàs.

Hoc autem, attento dicto usu, per quem interesse judiciale vel conventionale taxatur ad septem circiter pro centenario, plùs, vel minùs, est omninò inverisimile, & quod immodò impossibile, quoniam ita supponere oporteret magnum & excessivum lucrum mutuantis, si ejus periculo pecuniam

niam negotiationibus exposuisset, *ut eodem disc.* 1. quod lucrum utique praxis non docet, saltem juxtà communes & frequentes occasiones, quæ tanquam notoriæ per tenentes hanc, verè reprobam opinionem, supponuntur; Potissimè quia id indefinitè practicatur, etiam cum creditoribus, mercaturæ & industriis non incumbentibus, eisque minus aptis, ideòque nullum dignosci videtur probabile fundamentum, cui hæc opinio, sivè hic usus innitatur, quoniam principia generalia sunt vera, tam circà licitam conventionem interesse in genere ab initio, quàm circà taxam verisimilem, juxtà probabiliorem opinionem, quamvis etiam in utroque satis contradictam ex relatis *per Leotar. dicta quæst.* 72. *& Ubald. dicta dec.* 18. ac aliios; Sed error, ac fallacia consistunt in applicatione, quoniam intelliguntur sano modo, & cum dictis requisitis.

Ideòque in praxi hæc opinio verificabilis non est, nisi in eo interesse, quod succedit loco fructuum percipiendorum ex investimentis tutis, putà instabilia, sivè ratione frequentioris occasionis, in loca montium, aliaque jura cum Principe vel Republica, ac etiam in census ex deductis per *Leotar. dicta quæst.* 72. *numer.* 7. Non attendendo tamen omnimodam proportionem, sed habita ratione ejus quod interest, ac judicio peritorum æstimari potest, pecuniam investitam esse magis in mutuum repetibile, & absque aliquo periculo peremptionis vel diminutionis sortis, quàm in hujusmodi investimenta, in quibus adsunt onera & pericula respectivè, peremptionis, vel diminutionis, ac etiam irrepetibilitatis sortis. Quibus considerationibus habitis, juxtà currentem usum vix hoc interesse ad tria, vel ad summum quatuor pro centenario & parùm plus substineri posset, ut notorium videtur.

Applicando autem ad casum præsentis controversiæ, attenta dicta distinctione, pro meo judicio, satis probabili, Quando iste mutuator in bona, sinceraque fide versando, publicè & palam ita contraxisset, tunc pro ipso excusando à restitutione vel imputatione accessionum sponte solutarum, ac in statu bonæ fidei consumptarum, reflectendo ad veritarem; responderi debere crederem,
36 Atque ad hunc effectum considerabilis esset circumstantia bonæ qualitatis & famæ ejusdem, quæ ponderatur in ultima decisione 19. *Novembris* 1668. *coràm Albergato*, Et quam ad excludendum fœnus esse considerabilem, advertitur etiam *in Romana locorum montium de Mutis sub tit. de Regalibus, disc.* 32. Ac etiam, considerabiles essent aliæ duæ circumstantiæ in eadem decisione ponderatæ, de quibus infrà in tertio & quarto puncto, laudi scilicèt, seu transactionis ex illius emologatione resultantis, & utilitatis, quam mutuatarius absque suffocatione reportavit ex pecunia mutuata voluntariè erogata in acquisitionem fructiferi & utilis prædii, cùm præmissa coadjuvare seu confovere viderentur dictam bonam fidem excusantem à perceptis & consumptis, ex eadem ratione, ob quam passim in jure receptum habemus, non dominum excusari
37 à fructibus, quos bona fide percepit & consumpsit, quia credebat suos, ad quem effectum neque necessaria est bona fides positiva, sed sufficit abesse malam. ex collectis *apud Merlin. dec.* 663. aliàs *dec.* 3. *par.* 7. *rec. Buratt. & adden. decis.* 184. *Gregor. & add. dec.* 74. *& passim*, Qui termini ad rem adaptabiles quoque videntur.

Sed considerabam ista incongruè applicari huic mutuatori, qui perceptis clàm & occultè anticipatis usuris, expresè professus est facere mutuum gratuitum, & absque aliquo interesse ut suprà, 38
non quidem ut data substantia licitarum accessionum, ista contrahendi forma tollat veritatem, juxta casum, de quo *in dicta Fulginaten. dis.* 16. sed ad desumendam ejus malam fidem, quodque ita credidit hujusmodi conventionem, ac respectivè exactionem tanquam illicitas & usurarias publicè & palàm fieri non potuisse, undè propterea cessante dicto fundamento bonæ fidei & justæ credulitatis, inspecta etiam sola veritate, contrà ipsum probabilius respondendum credebam.

Quoverò ad tertium punctum compromissi, ac successivè acceptationis laudi, duæ separatæ inspectiones desuper cadebant, Una super ipsius compromissi & respectivè laudi nullitate ex defectu habilitatis personæ Arbitri, Et altera super relevantia pacti seu transactionis resultantis à dicti laudi emologatione, in qua solùm magnum fundamentum constituit dicta ultima decisio 19. *Novembris* 1668. *Albergato.*

Prima inspectio erat plana pro laudi & compromissi nullitate, ex dicto motivo inhabilitatis personæ sæcularis, quæ solùm capax est in hac materia cognoscendi & judicandi super iis, quæ facti 39
sunt, super probatione scilicèt exactionis usurarum, sivè super probatione & liquidatione interesse cum suis requisitis ipsarum usurarum recompensativi seu justificativi; secùs autem ubi quæstio est juris super ipsa usura, ac de cognoscendo & decidendo, an conventio sit licita & respectivè usuraria, cùm tunc sivè per viam judicii, sivè per viam arbitrii, in laico urgeat illa omnimoda incapacitas, quæ generaliter in eo militat in materiis Ecclesiasticis & spiritualibus, quoties, ut dictum est, punctus controversiæ consistat in jure, secùs autem ubi in nudo facto temporalitatis *ad text. in cap. contingit de arbitris, & Clementina secunda de judiciis, Imola in cap. innotuit de arbitris*, cum aliis *per Borell. de compromissi.* §. 2. *glos.* 1. *numer.* 113. *Blanch. eodem tractatu quæst.* 4. *num.* 9. *Rot. decis.* 315. *par.* 2. *divers.* & in prima hujus causæ decisione 31. *Martii* 1664. *coràm Taja*, atque ita distinguendo inter jus & factum, ex *Diana* & aliis allegatis admittitur *in ultima decisione coràm Albergato in fine*; Licèt enim deduceretur altera nullitas dicti compromissi ob mixturam unius minoris inter fratres compromittentes, attamen hanc nullitatem ego parvifaciebam, quia non influit in materiam usurariam & malam fidem.

Et circà alteram inspectionem transactionis ex dicti laudi emologatione resultantis, ultima decisio *in* §. *antepenult.* plenè comprobat conclusionem, quod super usuris compromitti & transigi potest, 40
quòdque illæ per transactionem remitti possunt ex collectis *per Mantic. de tacit. lib.* 26. *tit.* 5. *num.* 5. *Giballin. de usuris lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 4. *Leotar. quæst.* 99. *numer.* 19. *& seqq.* apud quos concordantes, & habetur etiam per *Rotam dec.* 38. *par.* 5. *rec.* & in aliis; Verùm pariter in hoc fallacia versabatur in applicatione ad factum ob dictæ transactionis insubsistentiam; Tum ex eo, quòd in animo partium non fuit explicitè procedere per viam transactionis, sed solùm per viam simplicis acceptationis laudi, quæ ex juris fictione vel subintelligentia vim seu speciem transactionis habet; Undè rectè cadere observabam receptam conclusionem super invalida transactione inita ex falso præsuppositio, quod ita adesse dicitur, dum partes credebant dictum laudum validum & obligatorium; Tum clarius, quia ut in prima decisione *coràm Taja*, & in aliis subsequentibus advertitur, Et est principium absolutum,

lutum, de quo in aliis materiis satis frequenter, ad essentiam transactionis, nedum requiritur dubietas rei in transactionem deductæ, quoniam illa non datur in claris, sed etiam ut aliquid hinc inde detur, vel respectivè dimittatur, habita congrua proportione futuri dubii eventus litis; secus autem, ubi unus transigentium obtinet totum id, quod plena, & omnimoda victoria parere posset, quoniam tunc dicitur transactio leonina; Quinimò juxta opinionem, quam tenet Curia Romana, etiam satis largè, & contra D. D. sensum fortè probabiliorem & magis communem, etiam in transactione proceditur cum terminis textus *in l. 2. Cod. de rescind. vendit.* ut *in Romana transactionis* 15. *Decembris* 1659. & 19. *Aprilis*, & 28. *Junii* 1660. *coram Verospio*, de qua in sua materia *sub tit. de emptione & venditione*, & frequenter; Unde cùm hoc laudum omnes usuras jam integrè tunc exactas creditori decreverit, nulla illarum remissione facta debitoribus, quorum favore aliud arbitratum non fuit, nisi reductio in futurum earumdem usurarum ad minorem rationem quinque pro centenario, ita remanebat clarè transactio leonina; Ut enim benè advertitur *per Leotar. dicta quæst. 99. num. 19. & seqq.* neque laudum, neque transactio simpliciter & de per se, vel alia conventio reddere potest licitas usuras, sed vel accedente probabili dubietate, an sint licitæ & debitæ, nec-nè, ad justam proportionem futuri dubii eventus transigatur, ut est vera & propria transactionis natura, vel quod debitor sciens & volens, cessante ratione suffocationis, atque ex omnino spontanea voluntate eas remittat tanquam liberam & gratuitam donationem, quorum neutrum dici poterat tam ex defectu voluntatis, dum debitores adhuc erant tales in sorte, ideoque id in animo nunquam habuerunt, quàm ex defectu potestatis, quia erant pupilli & minores, quibus hæc libera donandi potestas non datur.

Deducebam quoque tanquam Advocatus aliam speciem nullitatis, ex eo quod transactum esset super re non dubia, eò quia clarum est de utroque jure divino & humano, usuras esse illicitas & indebitas, sed reflectendo ad veritatem, istud motivum non erat probabile, cùm ex suprà discursis in secundo puncto, stare more regionis, aliisque supradictis considerationibus, dubietas negari non posset.

Demum quoad quartum & ultimum punctum utilitatis, quæ ex pecunia mutuata debitori resultaverat, mediante acquisitione prædii fructiferi, satis modica, & ferè nulla disputatio desuper cadebat, ex recepto & absoluto principio, quòd in materia usuraria spectatur solùm, quid interfit mutuatoris, non autem mutuatarii, ex deductis *per Leotar. qu. 32. num 30. quæst. 78. num. 14. & quæst* 80. *num.* 18. & omnes; Sicuti èconversò, ubi mutuatarius non est in damno, neque inspicitur utilitas mutuatori ex contractu resultans, ut *in Romana locationis vena supra decis.* 4. quod agnoscunt etiam dictæ contrariæ decisiones, præsertim ultima *coram Albergato*, dum solùm ponderant hanc circumstantiam, non quidem ad effectum justificandi accessiones, sed ad effectum excludendi in debitore præcisam indigentiam, & successivè suffocationem, quod tamen meo judicio neque videbatur considerabile, quoniam adhuc suffocatus dici potest ille, qui, vel ratione affectionis, vel ratione speratæ utilitatis, nollet amittere illam promptam occasionem, quam ob pecuniæ carentiam esset aliàs amissurus. Atque ex his probabiliores videbantur primæ resolutiones, dum ita constabat, creditorem versatum esse in mala fide.

41



# ROMANA
## IMPUTATIONIS FRUCTUUM
## INTER
## COLLEGIUM ROMANUM,
## ET
## FABRICAM ECCLESIÆ
### EJUSDEM COLLEGII.

*Responsum pro veritate.*

An fructus, seu accessiones voluntariè, & absque pacto solutæ pro credito pecuniario sint licitæ, ita ut non extenuent sortem; Et de circumstantiis dictam perceptionem licitam reddentibus.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Pro mutuo vero, vel interpretativo nullæ accessiones recipi possunt, non probatis requisitis interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.*
3 *Intellige ubi ex conventione, secus si debitor absque pacto sponte solvit.*
4 *Pendet ab arbitrio Judicis inspicere, an dicta solutio pendeat a mera liberalitate, nec-nè.*
5 *Eadem distinctio habetur in materia simoniæ.*
6 *Quando dicatur benè justificatum interesse, ob quod accessiones, etiam ex mutuo percipi possunt.*

### DISC. XIII.

FActo insigni legato per Cardinalem Ludovicum Ludovisium scut. 200. m. pro construenda Ecclesia in Collegio Romano Societatis JESU, sub Invocatione S. Ignatii, cum dispositione, ut si quid perfecta Ecclesia, superesset, erogaretur in ejusdem, vel Sacristiæ ornamentum, vel Collegii utilitatem, Executorum seu Commissariorum arbitrio; Cùm ejusdem Societatis Præpositus Generalis, prudenter dictæ fabricæ particularem administratorem deputasset, diversum ab œconomico Procuratore, seu administratore ipsius Collegii, ita ut essent duæ stationes separatæ; Temporum autem conditio, seu qualitas ædificii circa ejus constructionis initia exigeret aliquam pecuniam per testatoris hæredem solutam, remanere otiosam, Collegium verò, ob ejus urgentias pecunia indigeret, quam aliàs ad censum, vel sub alio interesse accipere oportuisset; Hinc idem Præpositus Generalis assentitus est, ut administrator fabricæ mutuaret administratori Collegii scuta sex mille, pro quibus dicto administratori Collegii injunxit, ut pendente restitutione responderet ad beneficium fabricæ fructum ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario & anno, quæ summa tunc temporis erat nimium moderata, & forsan in commercio non

facilis, cum ipsa loca montium Cameralia fructarent ad quinque, vel quatuor cum dimidio; Post plurium verò annorum decursum, aliqui rigorosi Juristæ, negotia Collegii zelantes, motivum excitarunt, quod istud debitum jam extinctum esset, ipsa forte principali extenuata cum dictis fructibus singulis annis solutis, qui ex simplici mutuo repetibili absque requisitis justificatis cum extrinsecis probationibus specialibus interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, dicuntur usurarii & in sortem imputandi, juxtà opinionem, in qua
2 residet Curia Romana ex plenè deductis in *Avenionen. coram Bichio dec. 29. post Merlin. de pignor.* & passim, ac habetur præsertim *disc. præced.* & in aliis *hoc tit. sæpius.*

De super autem per Superiores pro veritate consulrus, in contrariuu ad favorem fabricæ respondi; Non impugnando quidem dictum principium in Curia verum & receptum, sed negando ejus applicationem ad casum, ob ejus particulares circumstantias; Ad id motus ex duplici fundamento; Primò, quòd usuraria & illicita dicitur illa accessio, quam creditor pecuniarius ex causa mutui veri, vel interpretativi exigit à debitore in vim pacti & conventionis, secus autem, si nulla conventione accedente, debitor sponte sua, & in recognitionem hu-
3 jusmodi gratuiti officii, ex mera liberalitate & motivo gratitudinis aliquas accessiones solvat, cùm tunc licitè per creditorem percipiantur, *Roder. de ann. reddit. lib. 3. qu. 4. num. 101. Rebell. de oblig. just. lib 8. qu. 5.* & cæteri apud *Leotar. de usuris, qu. 1. num. 35.* & est propositio communiter recepta apud Canonistas & Morales, apud quos remanet solùm difficultas usuræ mentalis percutientis forum internum, de quo ad Jurisconsultos forenses agere non pertinet, & quæ usura mentalis non cadebat in isto corpore ficto & inanimato.

In foro autem externo remanet solùm quæstio potiùs facti, quàm juris, super verificatione dictæ circumstantiæ, quòd scilicet solutio, non ex conventione, sed ex libera & spontanea voluntate sequuta sit, quod pendet ex facti circumstantiis pro
4 Judicis prudenti arbitrio regulandis, ne aliàs sub hoc pallio, & occultata conventione, fœneratoribus ita usuras fraudare licitum & facile reddatur, atque hanc esse materiam arbitrariam, benè advertitur *per Abbatem in magistrali conf. 113. par. 2.* cum quo cæteri pertranseunt; Eademque distinctio habetur etiam in materia simoniæ, in qua pactum, seu conventio totum facit, quia si sponte, & ex mera liberalitate, ac motivo gratitudinis resignatarius resignanti aliquid præbeat, dummodò sincerè, & sine fraude, illa non intrat ex deductis *in Toletana archipresb. coram Alberg. dec. 40, & 43. apud Zuff. de legit.*
5 *proces.* & pluries in sua materia *sub tit. de benef.* Unde cùm in hac facti specie verificabilis non esset in creditore circumstantia fraudis, ac depravati animi fœnerandi, atque constaret, dictam solutionem ex prudenti, pio, & rationabili motivo, de quo infra, nemine petente, per superiores demandatam esse, mihi videbatur, quòd versaremur in terminis claris, quamvis alii desuper quoque consulti simpliciter innitentes dictæ generali propositioni, magnam desuper haberent difficultatem.

Secundò, quia licèt prudenter hujusmodi negotia, seu stationes, tanquam diversæ, & sub diversis
6 administratoribus existerent, nihilominùs cùm Ecclesia sit pars Monasterii, seu Collegii, atque unum ex membris constituentibus unum & idem corpus, hinc proinde in stricto jure dicebam, non intrare hac distinctionem creditoris & debitoris, sive mutuantis & mutuatarii; Vel quatenus hæc distinctio admittenda esset, adhuc tamen ambo erant sub regimine & administratione eorumdem superiorũ, qui utriusque inanimati corporis, tanquam duorum pupillorum tutores erant, ideoque ipsis tanquam tutoribus & legalibus administratoribus de jure incumbebat onus excrescentem pecuniam non retinere otiosam, sed investire in fructiferas occasiones Ecclesiæ licitas & promptas, ut in Urbe sunt loca montium, aliàs administrator tenetur ad quanti interest, ad communiter notata *in l. si tutor constitutus, ff. de administrat. tutor.* & firmatur *in Romana pecuniaria, 28. Ianuarii, 1636. coram Panzirolo,* & *in alia Romana, 15 Iunii 1665. coram Alberg.* ac agitur qnoque infra *in Viterbien. disc. 15.* Et propterea cùm tunc promptè ista pecunia investiri potuisset & debuisset in loca montium, ex quibus etiam major fructus obtineti potuisset, ita de plano remanebat justificatum interesse, quòd data illius veritate & existentia, etiam in pactum & conventionem ab ab initio deduci potest ex deductis *disc. præced.* Potissimè stante utilitate etiam Collegii, cui aliàs incumbebat pecuniam sub gravioribus fructibus ab aliis accipere, atque hanc dixi mihi videri veritatem, cui credo, quòd pii & prudentes superiores acquieverint, quia verè prorsus improprium erat, istos terminos usurarios ad casum applicare.

# ESINA CENSUS,

PRO

## HÆREDIBUS ADRIANI DE HONORATIS,

CUM

## HÆREDIBUS MARCHIONISSÆ MARGARITÆ GABRIELLIÆ DE FLASCHIS.

*Casus variè decisus per Rotam.*

De interesse damni emergentis, An & quando per creditorem à morosо debitore exigatur licitè, & citra usuram, etiam sine requisitis desideratis, per *dec. 2. Mohed. de usuris.*

### SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Ubi venditæ sunt plures res cum diversis pretiis, licèt in eodem contractu, tot dicuntur venditiones, quot sunt res.*
4 *Emptor non potest dici morosus in solutione pretii, nisi res vendita tradatur.*
5 *Re non tradita, vel tradita & evicta, resolvuntur ejus obligationes etiam favore tertii.*
6 *In incorporalibus consignatio instrumentorum & scripturarum est loco traditionis ipsius rei.*
7 *Quis debeat priùs adimplere contractum, an venditor in traditione rei, vel emptor in solutione pretii.*
8 *Ille, qui primò agit, debet priùs docere de implemento ex parte sua.*

9 *Sine*

9 *Sine mora non datur interesse.*
10 *De requisitis interesse damni emergentis an sufficiat probatio generica, vel requiratur specifica, refertur utraque opinio.*
11 *Refertur casus, in quo rigorosè processum fuit cum decisione* Mohedani *in hac materia interesse damni emergentis.*
12 *De limitatione decisionis* Mohedani, *& quando requisita dicantur concurrere per aquipollens.*
13 *De interesse præstando etiam in fructibus fructuum & in ratione multiplici.*
14 *De distinctione obligationis debitoris in dando, vel in faciendo.*

## DISC. XIV.

1 MARCHIONISSA prædicta, creditrix pro dote aliisque causis hæreditatis Francisci Amici primi viri, omnia ejus credita & jura, mediante Marchione Flasco ejus secundo viro & procuratore, vendidit Adriano Honorato pro pretio scut. 10500. solvendorum in diversis terminis, seu pagis, sub ea lege, quod saltem ex ultima, vel prius, arbitrio ipsius venditricis, teneretur ipsa extinguere quemdam censum in sorte scut. 1000. Cùmque solutis reliquis scutis 9500. emptor recusasset solvere residuum, pluries tamen post sequutum implementum, extrajudicialiter oblatum, ob sibi non traditas scripturas, ac necessarias justificationes cujusdam crediti ipsius venditricis eamdè summam importantis, adversus dictam hæreditatem, à qua proindè recuperari non potuit; Hinc ambobus contrahentibus defunctis, post plurium annorum decursum, hæredes venditricis judicium instituerunt contrà hæredes emptoris, nedum pro solutione dictæ summæ residualis in sorte principali, sed etiam pro fructibus decursis dicti census cum dicto residuo extinguendi, ratione interesse damni emergentis, Et introducta causa in Rota 2 *coràm Cerro* sub die 16. *Iunii* 1664. pro creditore prodiit resolutio, debitorem scilicet addictum interesse teneri, Sed reproposita causa sub die 27. *Februarii* 1665. *coram eodem*, recedendo à decisis, pro debitore responsum fuit, atque huic secundæ resolutioni satis probabili, benèque fundatæ, actores hucusque acquieverunt.

Duæ autem fuerunt hujusmodi disputationum inspectiones; Una potius facti quàm juris, an scilicèt adesset debitoris mora necnè, quoniam illa cessante, tanquam basi & fundamento actionis & interesse, omnis dubitatio cessat; Et altera juris, an scilicèt posita mora, constaret de requisitis hujusmodi interesse justificativis; Secunda autem resolutio, quam scribens pro hæredibus debitoris reis conventis, reflectendo etiam ad veritatem, credebam probabilem benèque fundatam, innixa fuit primo motivo deficientis moræ, cum cujus præsupposito processerat prima decisio, quæ principaliter agit de altera inspectione juris super dicti interesse refectione, undè propterea dicebam, dictam primam decisionem quoque probabilem, beneque fundatam esse in puncto juris, quatenus verificaretur facti præsuppositum, cum quo processum fuerat, & sic defectus erat in applicatione ad factum, non in veritate conclusionum juris.

Quatenus igitur pertinet ad primam inspectionem seu primum motivum; Cùm in contractum deducta essent plura credita, seu jura distinctè cum distincto pretio in singulis, hinc resultare dicebam, quòd tot essent distinctæ venditiones, quot essent species, vel credita in contractum deducta *juxtà* 3 *glos. in l. Ædiles autem §. si plura, & in l. si cum in ea, ff. de Ædil. Edicto. Tiraq. de retract. lignag. §. 23. glos. 1. numer. 18. Mantic. de tacit. lib. 2. tit. 3. nu. 17. Cavaler. decis. 628. n. 1. & 2.* & in sua materia *sub tit. de empt. & vend.*

Quo posito resultabat, nullam dici posse contractam moram ex parte emptoris in hoc residuo, nisi prius ex parte venditoris rei venditæ traditio, vel oblatio sequatur *ad text. in l. Iulianus §. offerri ff. de action. empti, ubi omnes.* Idque adeò verum, 4 ut etiamsi emptor in se accollaverit census aliaque debita venditoris, eaque solvere se obligaverit, vel directè & explicitè ipsis creditoribus, vel implicitè, mediante obligatione camerali continente sub se stipulationem pro omnibus, quorum interest &c. adhuc tamen implicitam habere dicitur conditionem, si res vendita tradatur, vel tradita permaneat, ac aliàs in casu non traditionis vel evictionis, obligatio tanquam causativa, seu occasionalis resolvitur, quoties non intercedat vera & 5 formalis delegatio, quam in his terminis ratò vidi practicatam, ut *ex Dec. cons. 421. Tiraquell. cess. caus. par. 1. numer. 224.* plenè habetur collectum apud *Amat. resol. 21. numer. 1. cum sequen. Rot. decis. 428. par. 1. rec. num. 4.* cum aliis frequenter ex deductis in sua materia *sub tit. de empt: & vendit.* præsertim *in Sutrina*, ac etiam habetur *in Romana extinctionis locorum montium sub tit. de Regalibus discurs. 8. & 9.*

In præsenti autem, licèt practicari non posset 6 vera traditio, prout facti est, cùm ageretur de juribus incorporalibus, nihilominus dicebam, loco traditionis succedere consignationem instrumentorum & jurium, quorum vigore emptor, seu cessionarius jura cessa execere valeat *Caputaquen. decis. 104. numer 1. lib. 1. Greg. decis. 579. numer. 1. dec. 228. numer. 4. post Zacch. de oblig. decis. 114. num. 14. par. 7. rec.* cum aliis per *Oleam de cess. tit. 7. qu. 1. nu. 1. cum sequen. & nu. 7. & 13.* Undè cùm venditrix ad hunc actum, non devenisset, emptor morosus in solutione pretii dici non poterat.

Scribentes pro actoribus, nimium se diffundebant in quæstione disputata per DD. super intellectu *dicti textus in l. Iulianus § offerri*, quis scilicèt 7 debeat primò ex parte sua adimplere, an venditor in traditione vel oblatione rei, vel emptor in solutione vel oblatione pretii, nimium insistentes in iis, quæ firmantur in *Romana grani coràm eod. Cerro decis. 471. par. 9. rec.* cum qua simpliciter processum fuit in prima hujus causæ decisione; Verùm advertebam, extraneum à casu videri hujusmodi quæstionem, in qua variæ habentur opiniones; Aliis volentibus priorem esse obligationem venditoris, Aliis illam emptoris, Aliis demum, & probabilius, quod tanquam in actu correspectivo, & coæquali non detur prius & posterius, sed simultaneum, seu contemporaneum debeat esse implementum, quod tamen nihil faciebat ad rem, quoniam rei conventi non agebant de redarguendo venditorem de mora, ob quam ad aliquod interesse contra ipsum agerent, sed solùm, excipiendo de non traditione, curabant propriam moram excusare, atque ita repellere actores, quibus agentibus ad interesse ratione moræ, in qua erat eorum actionis fundamentum, absque dubio incumbebat prius docere de implemento ex parte sua, ut alterum contrahentem de mora convincere possent, cùm in hoc 8 scribentes concordare videantur, quòd scilicèt non attendatur qui primò contravenerit, sed

qui primò agat, *ut eadem decis.* 471. *num.* 23. *par.* 9. *rec.* & benè 601. *nu.* 25. & 26. *par.* 5. *ubi concordantes*, & est principium verum ac receptum.

Hinc proindè de consequenti corruebat actio ad interesse, cujus primum, ac essentiale requisi-
9 tum est mora ad vulgarem *textum in l. lecta*, ubi omnes *ff si cert. petat. & l. mora ff. de usuris cum concord. congestis per Giurb. obser.* 1. *num.* 3. Et successivè inanis remanebat inspectio, an procedendum esset cum opinione, quæ vulgò tribuitur, *Ruin. consil.* 104. *lib.* 4. quam probabiliorem credit *Leotar. relatis* aliis ejusdem opinionis sequacibus *quæst.* 75. *nu.*
10 14. ut scilicèt sufficiat creditori docere se de facto post debitoris moram subjectum fuisse debitis fructiferis & usurariis, atque ita damnificatum remansisse.

Vel potius procedendum esset cum altera opinione, quæ tribuitur *Mohed. dec.* 203. aliàs *decis.* 2. *sub tit. de usuris*, ut scilicèt data mora, non sufficiat dicta probatio generalis, quod creditor damnum passus sit in solutione usurarum suis creditoribus, seu aliàs, nisi accedat probatio specialis, quod mora debitoris fuerit causa præcisa & immediata damni, ob incertitudinem, seu possibilitatem, an creditor pecuniam à debitore non moroso suo debito tempore solutam, in istam vel aliam causam erogaturus esset necnè, & quam opinionem, licèt nimium rigorosam, sequi profitetur Rota & Curia Romana, ut apud *Coccin. decis.* 498. *decis.* 325. *post secundum volum. cons Farin. dec.* 304. *nu.* 28. *finali par.* 9. *rec. & sæpius*, atque in hujus causæ utraque decisione tanquam certa præsupponitur, eamque in puncto juris esse veriorem latè probare conatur *Cyriac. controv.* 252. *n.* 62. *cum sequen.*

Adeoque mordicus Rota hanc opinionem quandoque sequi professa est, ut juxtà casuum contin-
11 gentias id videretur omni æquitati, & humanæ rationi adversari, ut præsertim me scribente practicatum fuit in una *Lavellen.* 26. *Maii* 1653. *coram Peuting.* de qua causa in proposito dotis restituendæ habetur actum in sua materia *sub tit. de dote*; Cùm enim secundus vir constante matrimonio aliquam pecuniarum summam dedisset ad censum uxoris filiis primi matrimonii sub gravi fructu in regione usitato novem vel decem pro centenario, atque soluto secundo matrimonio sinè filiis, idem vir effectus esset debitor prædictorum filiorum primi pro restitutione dotis in longè majori summa, pluresque anni decurrerint, in quibus sub silentio hincindè processum est, Exorta demum lite coram Ordinario, & deindè in Rota priùs coràm *Corrado* super ipso principali puncto restitutionis dotis, super quo prodiit decisio, quæ habetur impressa *par.* 11. *rec. dec.* 85. repetita *decis.* 96. *post Contrium*, assumptaque deindè disputatione coram *Peutingerio* subrogato super puncto compensationis per me ex parte viri oppositæ dicti debiti dotalis cum fructibus census hoc intermedio tempore decursis, dictisque filiis opponentibus de dictorum fructuum impedito cursu, dum ipse creditor censuarius effectus erat ipsorum debitor, Rota sequuta est rigorosum sensum à me tanquam Advocato viri deductum, ut scilicèt non detur compensatio debiti cum sorte principali census utpotè irrepetibili ab invito debitore, nisi iste animum restituendi, ac censum extinguendi declaret, & consequenter, quod continuante censu, adhuc vivo, continuaverit cursus fructuum ad favorem viri, Econversò autè iste quàvis morosus pro debito dotali, non teneretur ad interesse damni emergentis, ita creditoribus resultans cum seipso, ob dictum cursum fructuum census, stante quod ipsi non declaraverant, quod hujusmodi debitum sibi solvendum in istam causam erogaturi fuissent, Quod mihi quamvis scribenti pro victore, nimis durum & rigorosum visum est, undè propterea Egomet mediator fui concordiæ dicti rigoris nimium moderativæ, cum stante qualitate personarum, aliisque facti circumstantiis, omnino probabile videretur, quod dicti filii, ita creditores & debitores respectivè Victricum non urserint ad restitutionem dotis, ut ita proprium debitum compensarent, in hac bona fide & justa credulitate confirmati, ex ejusdem Victrici silentio in non petendo fructus, potissimè quia in illis partibus notus non est, neque practicatur hæc subtilis & rigorosa opinio, quæ proindè discretè, & pro prudenti arbitrio, juxtà facti circumstantias, non autem ita generaliter, & quodammodò judaicè practicanda videtur.

Quando autem in ista causa, data mora in emptore, ad hunc punctum quæstio restringeretur, Ego reflectendo ad veritatem, justam credebam pri- 12
mam resolutionem, innixam limitationi, quæ *dictæ decisioni Mohed.* tribuitur, ubi scilicèt requisitum interpellationis, ac declarationis animi concurreret per æquipollens, quia nempè aliàs constaret de hac certa destinatione erogandi pecuniam à debitore solvendam in extinctionem æris alieni usurarii, ut aliàs firmavit *Rota in Bononien. damnorum* 4. *Maii* 1612. *coram Coccino*, & habetur deductum *in Romana restitutionis pecuniarum pro creditoribus patrimonii Monaltensium sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc.* 79. & 80. & videtur vera satisque rationabilis declaratio.

In proposito autem hujusmodi interesse lucri cessantis vel damni emergentis reficiendi per debitorem morosum ob non solutionem pecuniæ ad certum effectum ab initio destinatæ, juxtà dictam limitationem; *In una Romana pecuniaria inter Tiberium Ceulum, & creditores illorum de Balleonibus*, cùm isti emissent quamdam tenutam ab auctoribus Ceuli, vel à Congregatione Baronum, sub conventione, quod quoddam residuale pretium ab eis solvendum investiri deberet in multiplicùm pro reintegratione fideicommissi; Prætendebat Ceulus, quod dicti venditores ob solutionem in tempore non factam teneri deberent loco dam- 13
norum & interesse, nedum ad fructus recompensativos, de quibus nulla erat quæstio, sed etiam ad fructus fructuum, & quanti intererat multiplicum factum esse juxta firmata per Rotam in *Romana multiplici dec.* 85. *par.* 4. *rec. tom.* 2. & *dec.* 660. *eadem par.* 4. *tom.* 3. & plenius 18. *Martii* 1654. *coram Meltio*, Verùm scribens pro patrimonio emptorum defenso per creditores, parùm probabilem dicebam hujusmodi petitionem, cùm dictæ decisiones procedant, ubi ipse debitor assumpsisset in se onus faciendi dictum investimentum, & respectivè multiplicum, cum tunc intret dicta obligatio, potiùs ob non factum, quàm ob non datum, & sic ratione non adimpleti suscepti mandati in faciendo, non autem moræ debitoris in non solvendo, juxtà distinctionem plenè deductam & firmatam in *Romana fructu-* 14
*um dotis* 21. *Aprilis* 1651. *Cerro* & 15. *januarii* 1652. *Bichio*, quarum secunda est impressa post *Contrium decis.* 155. & *decisio.* 4. *post Zuffum*, & cum quibus proceditur, ut in proposito usurarum dotalium habetur sæpius in sua materia *sub. tit. de dote*, atque ita congregatio Baronum censuit; Verùm adhuc mihi supererat gravis difficultas ex dicta ratione præcisæ destinationis huius pecuniæ in hanc causam, undè propterea mora debi-

toris

toris, ita fuit causa præcisa, & immediata damni, quia pecunia non poterat ad alium usum converti, & consequenter non videtur intrare rationem, quibus innituntur dictæ decisiones *in Romana fructuum dotis*, sed cum disputatio ulteriorem progressum non habuerit, non potui desuper maturum judicium pro veritate efformare.

# VITERBIEN.

## TRANSACTIONIS,

*PRO*

## HÆREDE PAULI CIOFI,

*CUM*

## ALIIS PARITER DE CIOFIS.

*Casus variè decisus per Rotam, & postea concordatus.*

An sint licitæ vel respectivè usurariæ accessiones, quas donator quantitatis donatario pendente solutione promisit, ac solvit. Et quid de accessionibus pro pretio alicujus mercimonii seù negotiationis, An & quandò intrent fructus recompensativi, juxtà terminos *textus in l. curabit Cod. de action. empt.* Et an substineantur accessiones solutæ pupillo, vel minori per ejus majorem conjunctum, qui de jure esset, seu esse deberet ejus legitimus tutor, seu curator.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *De resolutionibus in causa editis.*
3 *An & quando pro pretio mercium, vel taberna debeantur fructus recompensativi juxtà* text. in l. curabit C. de action. empti, *distinguitur.*
4 *An Testator vel donator disponere possit, ut pro quantitate legata vel donata, pendente solutione, præstentur fructus seu accessiones, distinguitur.*
5 *An alibi procedat distinctio, de qua num. præcedenti.*
6 *De contractu trino remissivè.*
7 *Tutor vel alter administrator non investiens pecuniam administratam tenetur ad interesse.*
8 *Quomodò usuraria materia regulanda sit.*

### DISC. XV.

1 DEfuncto Paulo, qui cum Dominico, & Tullio fratribus de Ciofis in communione vixerat, superstitibus pluribus filiis adhuc pupillis, cum istorum matre & tutrice, firmato statu communis assis in scut. 7500. deventum est ad divisionem, in qua patrui nepotibus promiserunt solvere in pecunia infrà certum tempus eorum portionem, & interim solvere fructus ad rationem quinque pro centenario. Ad plures autem annos defuncto uno ex tribus filiis masculis dicti Pauli, ac filia fœmina nuptui tradita, alii duo, nempè Thomas & Gregorius redierunt ad patruorum domum, vacantes mercimonio, quod isti exercebant, postmodum verò de anno 1634. inter eosdem patruos, ac nepotes respectivè, eorum facultatibus hoc medio tempore ex negotiatione interim notabiliter auctis, deventum est ad transactionem, per quam patrui assignarunt dictis nepotibus, tàm pro antiqua portione paterna, ut supra, quàm pro omni & toto eo quod ratione eorum operæ seu aliàs prætendere possent, ac etiam ex titulo donationis, & benevolentiæ scut. 10. m. ut mercaturæ incumbere possent, solvendos Thomæ majori ætati proximo suam portionem scutor. 5000. infrà terminum duorum annorum, Gregorio autem adhuc minori, postquam compleverit annum 25. cum promissione interim fructuum ad rationem quinque pro centenario, inito etiam fideicommisso conventionali, ac reciproco inter dictos patruos & nepotes respectivè.

Observata fuit pacificè concordia prædicta donec vixerunt patrui, qui non solventes dictam conventam summam, sponte & absque aliqua contradictione solverunt fructus ut suprà conventos; Ipsis autem defunctis, eorum filii & hæredes, præfatam concordiam impugnare voluerunt. Undè introducta causa *in Rota coram Celso*, assumptaque disputatione super ipsius concordiæ validitate, ac super debito in sorte principali *sub diebus* 18. *Iunii* 1657. & 14. *Iunii* 1658. prodierunt resolutiones Thomæ & Gregorio favorabiles super dictæ transactionis validitate & observantia quoad debitum in sorte principali, ut patet ex decisionibus 238. & 263. *inter illas impressas ejusdem Celsi*; Deindè verò assumpta fuit disputatio super fructibus interim ad formam ejusdem concordiæ decursis, an scilicèt deberentur necnè, ita ut non soluti peti non possent, ac soluti imputandi venirent in sortem, quam ita in parte extenuassent, ut prætendebant debitores, quorum favore & juxtà dictam eorum prætensionem binæ prodierunt resolutiones *sub diebus* 2 11. *Decembris* 1658. & 9. *Maii* 1659. excepta rata valoris bonorum stabilium, & fructiferorum, ex eo fundamento, quod cum reliquum creditum esset pecuniarium, & non constaret de requisitis legitimè justificatis lucri cessantis, vel damni emergentis, nullæ accessiones citrà usuram deberentur, ac propterea solutæ imputandæ venirent in sortem, ut patet ex decisionibus 277. & 291. *inter dictas impressas ejusdem Celsi*; Ad quarum normam expedita sententia, & commissa causa in eadem Rota coram *Albergato*, atque in hoc statu me ex parte creditorum ad causæ defensionem assumpto, *sub die* 14. *Iunii* 1660. responsum fuit favore creditorum, vel eorum interim defunctorum hæredum, pro dictæ sententiæ infirmatione, dictorumque fructuum debito, atque exqedita sententia, & commissa denuo appellatione in eadem Rota *coram Verospio*, hæc posterior sententia *Albergati* confirmata fuit, præviis duabus decisionibus *sub dieb.* 3. *Iunii* 1661. & 17. *Martii* 1662. Commissaque iterum causa appellationis *coram Taja*, sub die 4. *Iunii* 1663. ad favorem etiam creditorum prodiit resolutio, sed concessa nova audientia, & repropositis causis, ob difficultates desuper habitas nulla capta fuit resolutio, quod ansam dedit concordiæ, per quam controversia finem habuit.

In istis igitur disputationibus, ac respectivè resolutionibus, tres fuerunt inspectiones super hujusmodi accessionum licito, vel illicito cursu; Primò

an deberentur de natura bonorum, quorum loco ista quantitatis in conventionem deducta est, tanquam per speciem fructuum recompensativorum juxtà terminos *tex. in l. curabit. C. de action. empt.* Secundò quatenus dicta ratio in toto vel in parte non intraret, an deberentur tanquam promissi ex causa donationis; Et tertiò demum, quatenus ex ista causa non substinerentur, an alter adesset titulus illarum justificativus.

Quoad primum, pro rata bonorum stabilium communium inter d. fratres cadentium sub prima divisione, planum erat licitam esse conventionem prædictam ex dicta dispositione *text. in l. curabit*, dum accessiones erant moderatæ & uniformes taxæ legali bonorum stabilium juxta receptam *gloss. in auth. perpetuò C. de Sacrosan. Eccles.* Sed id importabat modicam summam scut. 800. circitèr, in reliquis autem decisio pendebat ex facto, in quo non levis erat discordia ob varietatem testium hinc indè inductorum circà duplicem circumstantiam, Unam scilicèt an augmentum assis dictorum patruorum intermedio tempore inter primam divisionem & transactionem cederet etiam ad commodum dictorum nepotum, qui denuò ad communionem admissi fuissent, ut ex hac parte prætendebatur, vel potius totum ad ipsos patruos pertineret, domi præfatos nepotes retinentes in assistentia & exercitio in taberna mercium tanquam famulos & operarios; Et secundò an dicta summa in conventionem deducta, posita dicta communione & coæquali dominio, proveniret ex pretio tabernæ seù mercimonii considerati tanquam universitas, vel potius ex mercibus aliisque bonis mobilibus singulariter, & de per se consideratis; Totum autem hoc consistebat in nudo facto, de quo partes Advocatorum Romanæ Curiæ sunt non agere, ab hac verò secunda circumstantia, an scilicèt merces, aliaque bona ultrà stabilia constituerent tabernam seù mercimonium tanquam universitatem, vel potius essent bona singularia, pendebat determinatio, an pro isto quoque pretio intraret ratio vel dispositio præfati textus *in l. curabit C. de action. empti.*

Ubi enim agitur de mercibus aliisque bonis mobilibus singulariter & de per se consideratis, absolutum est pro eorum pretio dictæ legis dispositionem vel rationem non intrare, cùm sint bona de sui natura infructifera, & æquipollentia pecuniæ; Si verò ageretur de eisdem constituentibus tabernam seù mercimonium, quod constitueret universitatem, & tunc secus, quoniam ratione auiamenti, hujusmodi tabernæ reputantur fructiferæ, itaut etiam in contractum locationis & conductionis pro annua pensione salva substantia ad instar prædii fructiferi deduci possint, Et ob quam circumstantiam cessat mutuum verum vel interpretativum sine quo non datur usura; Ut in specie fructuum recompensativorum cadentium super pretio hujusmodi tabernarum, vel ex conventione, vel ex dispositione juris, nè emptor retineat rem & pretium juxtà terminos *d. tex. in l. curabit* habetur *apud Riminal jun. cons.* 177. *numer.* 16. *cum seqq. Borgnin. dec.* 13. *numer.* 61. *& 66. par.* 2. *Rot. decis.* 189. *numer.* 3. *post secundum vol. cons. Farinacc. decis.* 490. *numer.* 4. *& 540. numer.* 11. *par.* 2. *recent.* & conferunt deducta per *Leotar. de usur. quæst.* 41. *num.* 32. cum aliis in hujus causæ decisionibus *coram Verospio & Albergato*, atque est principium hodiè receptum, adeò ut *in Fulginaten.* de qua *disc. sequenti*, Egomet scribens pro emptoribus, ac respectivè debitoribus pretii cujusdam fundachi, aliarumque mercium volentibus accessionum debitum evitare, id admitterem pro rata cadente in pretio fundachi, negarem tamen pro alia rata pecuniarum & mercium, juxtà dictam distinctionem quæ est hodiè vera & recepta; Et consequenter in ista causa, quæstio remanebat potiùs facti & applicationis, quàm juris, An scilicèt versaremur in una, vel altera distinctionis parte, seù bonorum specie, dum circa ratam respondentem pretio mercium singularium aliorumque mobilium infructiferorum, Ego & cæteri pro hac parte scribentes non impugnabamus conclusiones deductas in præfatis decisionibus *coram Celso* utpotè in Curia receptas ex deductis supra in *Savonen. disc.* 12. & in aliis hoc eod. tit.

Quo verò ad alterum punctum, in quo principaliter dictæ posteriores decisiones *coram Albergato, Verospio & Taja* fundamentum constituere videntur, quod scilicèt ista quantitas in conventionem deducta esset per viam donationis, pariter difficultas consistebat, magis in facto & applicatione, quàm in jure; Siquidem ut in proposito frequenter actum habetur occasione legatorum quæ donationem quoque continere videntur; In ea quæstione, an exigi possint usuræ pro legato quantitatis ex judicio testatoris gravantis hæredem, ut pendente legati solutione annuum fructum seù interesse ad rationem tot pro centenario solvere deberet legatario; Communis, ac recepta distinctio est, quod aut in facultate legatarii positum est sortem quandocumque petere & assequi, & tunc ob mutuum interpretativum cum dilatione, quod ità inesse dicitur, præfatæ accessiones illicitæ & usurariæ reputantur, quia testator non potest reddere licitas usuras illicitas, & intrinsecè malas; Aut legatarius jus non habet ex judicio ejusdem testatoris petendi sortem, & tunc secùs, quia legatum interim consistere videtur in ipsis annuis usuris seù accessionibus, principaliter & de per se consideratis, tanquam per speciem annui legati arbitrio hæredis extinguibilis, seù redimibilis, cum quantitate per ipsummet testatorem taxata, ut ità distinguendo habetur *apud Cavaler. dec.* 591. *adden. ad Buratt. dec.* 144. *Leotar. de usur. qu.* 18. apud quos cæteri, & in hujus causæ decisionibus prædictis, atque est distinctio recepta per scribentes hinc indè admissa *in Romana pecuniaria de Matthæu & Sancta Cruce* in qua agebatur de hoc puncto, *ut in Rom. pecun.* 15. *Iunii* 1665. *coram Albergato.*

Qua theorica sic stante ac in præfatis decisionibus benè firmata ad favorem hujus partis, mea difficultas erat circà applicationem ad factum, de cujus defectu benè opponebant scribentes in contrarium, quoniam prohibitio, nè creditores sortem principalem petere possent, restricta erat ad certum tempus uni scilicèt infrà biennium, & alteri usque quò compleret ætatem 25. annorum, usque ad quæ tempora respectivè motivum rectè procedebat, non autem posteà quam in creditorum libero arbitrio repositum erat sortem petere, ideoque motivum remanebat periculosum ab hoc tempore citrà.

Est benè verùm quod isti rigores procedunt solum in Curia Romana, & successivè in Curiis inferioribus, ab ista normam recipientibus, ob opinionem quæ hic retinetur, ut interesse lucri cessantis, data etiam mora peti non valeat illo non probato in specie cum requisitis *Castren. in l.* 3. *ff. de eo quod certo loco*, ita ut non sufficiant probationes generales super qualitate creditoris, quod esset solitus negotiari, & qualitate loci circà promptas

occa-

occasiones, ut advertitur in hujus causæ decisionibus *coram Celso*, cum aliis *in d. Savonen.* & in specie legatorum infra *in Marsicana legati disc.* 29. Inanes autem hujusmodi inspectiones remanerent in illis regionibus, in quibus ista requisita tanquam notoria habentur pro probatis; unde propterea data mora regulari, vel irregulari, illicò intrat cursus interesse, quia tunc istud indefinitè currit & decernitur, ut in locis proximè allegatis habetur, ac etiam *sub titulo de feud. disc.* 108.

Demum quoad tertium punctum, seu inspectionem, an scilicet non subsistente uno vel altero ex prædictis fundamentis, adesset alter titulus d. accessionum justificativus; Ultima decisio 4. *Iunii*, 6 1663. *coram Taja*, discurrit, ita sub hujusmodi conventione contineri illum contractum trinum, de quo habetur particulariter actum *in Firmana disc.* 1. *hoc eod. tit.* societatis scilicet, & duplicis assecurationis sortis & lucrorum; Sed pariter istud motivum mihi videbatur periculosum; Tum quia non data explicita conventione sub hac specie contrahendi, satis difficile est in foro externo id subintelligere, cùm aliàs numquam daretur casus usuræ, atque omnes contractus usurarii cum hoc subterfugio salvari possent; Tum etiam, quia non videtur ad praxim deducibile, ut pecunia tantum lucrum verisimiliter dare possit, quod summa excedens quinque pro centenario creditoris favore conventa, dici valeat congrua recompensa utriusque assecurationis, ac periculi, quod debitor in se suscipit, dum in foro utique non inveniretur tertius negotiator, qui faceret hanc assecurationem, ut advertitur *in d. Firmana disc.* 1.

Tutius verò ac solidius motivum pro hujusmodi accessionibus subsistendis mihi videbatur illud resultans ab interesse, ad quod tutor, vel alter legalis administrator tenetur erga pupillum, seu eum, 7 cujus bona administrantur, ob non investitam pecuniam in tutas occasiones fructiferas, putà in bona stabilia, census, vel loca montium, ex latè deductis per *Sperell. dec.* 90. *Leotard. de usur. qu.* 18. *num.* 36. ubi cæteri, *Rot. in Rom. pecun.* 28. *Ianuarii*, 1636. *Panzirolo*, & *de patre legitimo administratore filiæ habetur in dicta Rom pecuniaria* 15. *Iunii* 1665. *Albergato*; Cùm enim isti essent patrui, ac successivè legales tutores, & curatores istorum nepotum ex fratre prædefuncto, prudenter ac laudabiliter has partes impleverunt, retinendo istas penes se ob minorem ætatem, imprudentiis ac dissipationibus subjectam, malè autem ac dolosè gessissent illas retinere otiosas, atque sub promissione fructuum, quos adolescentes à sponte dantibus receperunt in alimenta, & substentationem erogatos, ut ita paulatim ipsa sors principalis præter voluntatem domini consumpta remaneret, dum eadem pecunias investiendo in bona stabilia, census, vel loca montium, idem fructus obtineri potuisset. Potissimè, quia non erat quæstio de assequendo hoc interesse à dictis patruis invitis, sed de ab eisdem sponte solutis, & nunquam contrarium animum declarantibus, unde propterea fuit potiùs recognitio veritatis & bonæ fidei, quòd ita scilicet dicti patrui se agnoverint de jure obligatos ad hoc interesse, ratione illorum fructuum, qui aliàs percipi poterant à dictarum pecuniarum investimento, quod eis incumbere videbatur, atque ista videbatur via magis tuta, & plana absque necessitate assumendi tot subtiles, ac dubias inspectiones.

Et quidem, ut aliàs hoc eodem titulo advertitur, 8 ista usurarum materia videtur potiùs facti quàm juris, non uniformem generalem determinationem recipiens, sed juxta singulorum casuum particulares circumstantias, inspecta qualitate personarum, ac aliis circumstantiis, ex quibus desumatur, an concurrant præcipua usuræ requisita, consistentia in depravata intentione fœnerandi ex parte creditoris, & in suffocatione ex parte debitoris, non quòd simplicitas, vel bona fides mutuantis salvet usuram, ubi illa reverà adest, quoniam receptum est id non suffragari, sed ad regulandam naturam actus, sive interpretandum, quid partes facere voluerint.

Non datur enim usura sine mutuo vero vel interpretativo, ut plenè habetur *in Romana locationis coram Verospio, decis.* 63. *num.* 13. post colluctationes *Bondeni*, ac in aliis hoc eodem titulo frequenter, & est principium absolutum; Ac ulteriùs cum mutuo, vel expresè, vel implicitè ac præsuppositivè concurrere debent dicta alia usuræ requisita consistentia, copulativè vel saltem alternativè in depravata intentione mutuantis, & in suffocatione mutuatarii, quæ omnia in præsenti deficere videbantur, dum in origine nullum aderat mutuum, nullaque suffocatio ex parte debitorum, qui sponte creditoribus adhuc pupillis, vel minoribus non requirentibus istum contractum fecerant, absque eo, quòd in ipsis creditoribus excogitabilis esset aliqua depravata intentio fœnerandi; Unde propterea omnibus facti circumstantiis insimul ponderatis, præsens casus habere videbatur de indubitabili, potissimè quia ipsi principales debitores conscii veritatis, nunquam in vita conquesti fuerunt, neque declararunt animum in materia usuraria præsumptum, quòd potiùs coacti quàm volentes usuras solverint, suffocationem timentes, *juxta firmata decis.* 69. *num.* 14. & *seqq. par.* 9. *recent. cum aliis in d. Savonen. disc.* 12.

Illa etiam considerabili circumstantia accedente, quod, ut in facto justificabatur, ipsi patrui & debitores, hoc medio tempore, quo hujusmodi pecunias in manibus habuerunt, ex illorum traficis & negotiationibus notabile lucrum fecerant, eorumque patrimonium magnum incrementum receperat; Licèt enim in materia usuraria non spectetur utilitas debitoris, sed attendatur interesse creditoris, *ut sup. disc.* 12. Attamen id satis conferre videtur ad effectum probandi, quòd gesta per debitores solvendo dictas accessiones fuerint citra suffocationem pro recognitione veritatis & bonæ fidei, ut supra, atque hæc mihi videbatur veritas.

# FULGINATEN.

## PECUNIARIA,

*PRO*

CAROLO CAMILLO ET SOCIIS,

*CUM*

DETIO RONCALLO, EJUSQUE FILIIS.

*Casus decisus per Rotam pro Roncallo, & pendet.*

De eadem materia Discursus præcedentis, An scilicet, & quando debeantur, seu in conventionem deduci possint fructus, vel accessiones pro pretio mercium, vel tabernæ, ad terminos *text. in l. curabit, C. de action. empti.*

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Ex pretio taberna, seu fundachi debentur fructus recompensativi ex* l. curabit, *tanquam de prædio fructifero, remissivè,*
3 *Secus dilatione conventionali pendente non data eorum conventione.*
4 *Si non adest conventio expressa, sufficit quod aliundè constet de voluntate, quod isti fructus debeantur.*
5 *Pretium rei fructiferæ si convertatur in aliam speciem debiti, vel contractus, non est amplius fructiferum ex* l. curabit, *sed ex alio contractu cujus requisita concurrere debent.*
6 *Declaratur conclusio, de qua* num. 2. *quando procedat.*
7 *Quid ubi mutuum pecuniarum, seu venditio mercium haberet correspectivitatem cum venditione rei fructiferæ.*
8 *De contractu trino remissivè.*
9 *Mutuator citrà usuram convenire potest de accessionibus ratione interesse lucri amissi ex investimento pecuniæ aliter faciendo.*
10 *De circumstantiis salvantibus accessiones ab usura.*
11 *An & quando emptor teneatur ad fructus recompensativos pretii non soluti si res vendita non produxit fructus.*

## DISC. XVI.

1 DECIUS Roncallus possidens in Civitate Fulginaten. tabernam, seu fundacum mercium, quem Carolus Camillus & socii exercebant tanquam ejus mi istri, prævia narrativa donationis per ipsum factæ Petro ejus filio infanti, aliisque masculis nasciturisscut. 30. m. ad effectum investiendi in tot mercibus, vendidit per publicum instrumentum præfatis sociis dictum fundacum, seu tabernam pro pretio scutorum 18000. circiter, solvendum sub expressa dilatione biennii absque aliqua fructuum, vel accessionum solutione; Eademque die, coràm eisdem notario & testibus, per apocam privatam, promisit eisdem emptoribus dare ad cambium in termino 18. mensium scuta 12. m. ad effectum ut constitueretur negotium scut. 30. m. Cumque infrà annum præfatam summam dedisset, partim in pecunia, & partim in mercibus, ad aliam diversam conventionem deventum est, per quam dicti socii se constituentes debitores dictæ summæ scut. 30. m. promiserunt illam solvere infrà annos 29. ac interim fructus ad rationem scutor. quinque pro centenario, cum distinctione eorum cursus, ex tunc scilicèt pro rata 12. m. pro reliquis autem 18 m. in fine biennii, juxtà formam primi instrumenti; Prætendente autem præfato Decio ad breve tempus præfatorum debitorum deterioration em, eisque juratis suspectis, illatisque molestiis in persona, & fundaco, concorditer recessum est à contractu, omnesque merces, aliique fundaci effectus restituti fuerunt, remanente solum inter partes discordia super quibusdam summis residualibus, pro quibus introducta causa coram A. C. atque ab isto relaxato mandato pro quibusdam partitis, commissa per Signaturam justitiæ causa appellationis *in Rota coram Cerro* cum clausula translativa *si quid exequendum*, assumptaque disputatione super consueto dubio ab ipso rescripto resultante, *An mandatum A.C. esset exequendum*, sub die 28. *Novembris* 1667. relictis in suspenso tribus partitis, responsum fuit pro nunc exequendum esse pro scut. 667. Adversus quam decisionem, reassumpta per utramque partem respectivè disputatione, in bina propositione dilata fuit resolutio, quæ pendet.

In hujusmodi autem disputationibus super partitis hinc indè controversis, cùm plures ex istis consisterent in nudo facto, in quo juxtà Romanæ Curiæ stylum, nullæ sunt Advocatorum partes, sed totum incumbit causæ Patronis, idcircò de illis ego non egi; Quatenus verò pertinet ad ea quæ sunt juris, tres erant inspectiones; Primò, super usuris, seu accessionibus partitæ scut. 18. m. pro pretio fundachi juxtà primam venditionem, an scilicèt deberentur durante biennali conventa dilatione; Secundò, super fructibus alterius partitæ scut. 12. m. quæ juxta dictam conventionem tradita fuerunt in pecunia & mercibus usque quo contractus duravit; Et tertiò super usuris, seu accessionibus pro utraque partita, seu earum residuo in sorte post dictum contractum dissolutum, ac negotium restitutum, undè funda cum stetit clausum.

Quoad primum scribens pro debitoribus dicebam, clarè fundatam esse eorum intentionem super hujusmodi fructuum indebito, stante expressa dilatione per biennium, in cujus casu, ubi etiam aliud dictum non esset, nulli fructus debentur, quamvis ageretur de pretio rei fructiferæ; pro quo sine dubio debiti essent fructus recompensativi ex æquitate *text. in l. curabit C. de action. empti*, (& 2
quorum bonorum jure egomet scribens pro debitoribus admittebam, hujusmodi tabernam regulandam esse juxta deducta *in Viterbien. discurs. præced.*) quoniam dilatio dicitur pars pretii, & consequenter, ubi ea concessa, non est expresè conventum de fructibus interim decurrendis, receptum est eos non deberi, quoniam censetur ab initio istud emptoris commodum & respectivè incommodum venditoris cum ipso majori pretio compensatum esse, ut per *Gabr. conf. 52. num. 5. lib. 1. adden. ad Gregor. decis. 204. num. 32. Leotar. de usur. quæst.* 3
27. *numer.* 31. *& seq.* apud quos concordantes; Multò magis ac extra omnem ambiguitatem dùm in ipso venditionis instrumento id specificatum fuit, quod scilicèt interim nulli deberentur fructus.

His tamen non obstantibus, Rota fuit in contraria sententia, ex eo quod ex partitis librorum ipsorummet emptorum, aliisque probationibus, vel adminiculis, sufficienter constare videretur, quod ad quamdam exuberantem cautelam ita in instrumento specificatum esset, re vera tamen de 4
eisdem fructibus interim solvendis ad dictam rationem quinque pro centenario conventum esset, undè cum rejectis aliquorum præsertim Moralium dubitationibus, in foro omninò receptum ac absolutum sit, etiam in casu expressæ dilationis conventionalis de hujusmodi fructibus posse conveniri, ex iis quæ in tot alis causis hoc eodem titulo habentur, idcircò dictum fuit non curandum esse de cortice & figura verborum, dum constat de substantia veritatis, ut in decisione desuper edita.

In repropositione autem causæ adversus decisionem, non impugnabam veritatem hujus assumpti in abstracto, dicebam tamen in concreto resolutionem non subsistere ex duplici motivo, uno ordinis, & altero justitiæ; Ordinis etenim, quoniam in rota strictè disputabatur de exequutione mandati, quod in processu executivo in vim obligationis cameralis creditor obtinuerat ad nor-

mam

mam instrumenti dictam obligationem continentis; Unde cùm in dicto instrumento dicti fructus essent expressè remissi, idcircò in subsistentia mandati erat omnino plana, quamvis attenta justitia iidem fructus in vim præfatarum aliarum probationum deberentur, cùm istarum vigore in judicio ordinario peti debuerint; Atque inspecta etiam sola veritate, motivum erat solidum, sed quia concernebat solum ordinem, seu exceptionem dilatoriam, hinc propterea pro meo stylo & genio, parum seu lentè in eo insistebam.

Et quoad justitiam, cùm in eisdem libris, ex quibus actor, asserens amississe apocam, dictam probationem deducebat, insinuaretur dictos fructus solvendos esse pro cambiis, ita limitatis; Dicebam, quòd nisi creditor doceret de spacciis, seu justificatione cambiorum realium, ad formam *Constitutionis* 118. *Pii V.* nihil prætendi poterat, quamvis ageretur de pretio rei fructiferæ, pro quo aliàs debiti essent fructus recompensativi, ad normam *d. text. in l. curabit*, quia si pretium transfunditur in diversum contractum, putà cambii, vel census, ratione implicitæ solutionis sub tali novatione subintellectæ, extincta dicitur prima causa debendi, 5 solùmque attenditur altera, qua non justificata cum suis requisitis, nullæ accessiones debentur, *ut per Surd. cons.* 269. *num.* 18. *Socein. cons.* 139. *circa fin. lib.* 2. *Ciriac. controv.* 252. *num.* 52. *Testaii alleg.* 16. *num.* 36. *Leotar. de usur. d. qu.* 27. *nu. fin.*

Verùm quamvis dicta conclusio pariter abstractè esset vera, adhuc difficultas erat in applicatione, ob defectum verificationis dictæ formalis novationis, seu transfusionis in diversam causam contractus, cùm id solùm deduceretur ex illo verbo *pro cambiis*, quod est æquivocum, quoniam inter negotiantes hujusmodi fructus, seu accessiones sub hoc vocabulo quandoque explicari solent, etiam extra verum contractum cambii; unde propterea, nisi per debitores benè doceretur de dicta novatione, seu formali transfusione, inspecta veritate, credebam istam partitam deberi, quòdque solum gravamen consisteret in ordine judicii, & in incompetentia processus executivi.

Quoverò ad alteram partitam fructuum pro reliquis scut. 12. m. datis in pecunia & mercibus ad complementum capitalis scutor. 30. m. Dicebam hujusmodi conventionem nullo pacto substineri posse, cùm istud creditum importet clarum, ac expressum mutuum pecuniarium, pro quo absolutum est, non dato titulo justificativo interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, nullas accessiones citra usuram posse in conventionem deduci, cùm in hac partita non caderet ratio, quæ ob auiamentum, sive quòd in contractum locationis & conductionis deduci possit, militat in taberna, seu mer- 6 cimonio, quòd consideretur tanquam universitas, juxta distinctionem, de qua *in Viterbien. disc. præced.* ac in decisionibus in ea causa editis *coram Celso, inter suas decis.* 277. & 291. non impugnatis in aliis subsequentibus *coram Albergato & Verospio.*

Et quamvis *in hujus causæ decis. §. fin.* pro fundamento dictorum fructuum ponderetur motivum correspectivitatis, quod scilicet conventio mutui dict. scut. 12. m. licèt per scripturam separatam, nihilominus sequuta sit contextualiter eadem die, coram eisdem Notario & testibus, & cum intentione 7 constituendi unum capitale, seu negotium scut. 30. m. cujus pars integralis esset etiam ista summa; Atque quoad correspectivitatem ego crederem, quòd decisio benè diceret; Attamen fallacia consistere videbatur in applicatione, seu in consequentia exinde deducta; Stant enim benè simul, partes habuisse hoc in animo agendi utrumque contractum, emptionis scilicet & fundationis fundachi pro pretio scut. 18. m. & mutui scut. 12. m. pro constituendo negotio scut. 30. m. ita ut unus sine altero gestus non esset; Non inde tamen resultare videtur, ut pecunia data sub nomine & contractu mutui, transmutari possit in pretium rei fructiferæ venditæ, dum iste contractus ex defectu subjecti, seu requisitorum substantialium non est verificabilis; dando in hoc practicum exemplum.

Si enim quis emere velit fundum, seu prædium intentione tamen illud meliorandi, seu animalibus aliisque industriis instruendi, unde propterea cupit obtinere à venditore aliquam summam pecuniariam, ad effectum id adimplendi, atque ita constituendi dictum prædium majoris valoris, majorisque fructus, utique istud mutuum erit correspectivum ad emptionem & venditionem, non inde tamen resultabit, quòd dicatur pretium fundi fructiferi, neque circa hoc in decisione, vel per scribentes in contrarium adducebatur auctoritas, vel ratio, quæ captivaret intellectum; nam etiam in casu *d. Viterbien. disc. præced.* ac in decisionibus in ea editis, præsertim *coram Celso* agebatur de majori correspectivitate, quinimò de unicitate contractus, continentis bona fructifera & infructifera, & tamen dicitur fructus, seu accessiones percipi solùm posse pro rata fructiferorum, non autem aliorum sterilium, quamvis esset unicus actus, multò magis in præsenti; Credebant aliqui ex D.D. idem quod motivatum fuit *in Viterbien. transactionis* 4. *Iulii* 1663. *coram Taja, de qua d. disc. præced.* quòd scilicet respectu istius ratæ non intrarent termini *text. in l. curabit*, sed illi contractus trini, seu termini *text. in cap. per vestras, de donat. inter vir. & uxor.* sed in contrarium ego ponderabam eadem, quæ habentur *d. disc. præced.* & *in Firmana disc.* 1. Non obstante, quòd ex hujusmodi pecuniis & mercibus negotium impinguantibus ipsi mutuatarii lucrum, ac utilitatem reportarent, ex recepto principio, de quo locis citatis, quòd scilicet in materia usuraria non spectatur, quid interfit mutuatarii, sed solùm interesse mutuantis, vel è contra; & sic non videbatur adesse probabile motivum, cui dicta resolutio quoad istas accessiones inniteretur. 8

Adhuc tamen reflectendo ad veritatem, difficultatem mihi inferebat illa circumstantia in decisione, ac per scribentes in contrarium non ponderata, quòd hæc summa ex donatione facta per patrem filiis infantibus destinata esset ad perficiendum, seu constituendum dictum capitale scut. 30. m. fructiferum, unde dici posset pecunia destinata in emptionem, seu investimentum, verisimiliter producturum hunc fructum, utpotè moderatum & respondentem fructibus, qui ex stabilibus, vel censibus, aut locis montium verisimiliter obtineri potuissent; Et consequenter, quòd licitè inter mu- 9 tuantem & mutuatarium conveniri potuerit de illo interesse, quod mutuator ita patitur in amissione illius utilitatis, quam aliàs ex investimento pecuniæ reportaturus fuisset, negligendo aliud investimentum in gratiam mutuatarii, quia debet quidem mutuum esse gratuitum, atque officii causa præstari, sed non convenit esse damnosum, ut aliis relatis habetur apud *Leotar. de usur. qu.* 72. *num.* 4, & 8. *cum seqq.* & sæpè alibi *hoc tit.*

Potissimè, quia contractus gerebatur ex parte creditoris, non per ipsum, sed per ipsius infantis legiti-

legitimum administratorem, atque in debitoribus
10 sui mutuatariis non cadebat ratio indigentiæ & suffocationis, dum id voluntariè fiebat ad industriam, ac longè majorem utilitatem ab eis verisimiliter speratam; unde propterea, licèt singulæ juris conclusiones singulariter consideratæ, juxta opiniones, quas tenet Curia, rigorosè assisterent debitoribus, attamen inspecta tota facti serie, ac massa, omnibusque insimul consideratis, stante præsertim moderatione dictarum accessionum, ut suprà, quædam non scripta æquitas ad favorem creditoris contrarium suadere videbatur, quæ tamen de stricto jure non procedit, dum pupilli & minores in hoc non sunt privilegiati, & aliud est agere in damnum ipsius administratoris, de quo in *d. Viterbien.* aliud verò cum tertio.

De tertio puncto cursus scilicet dictorum fructuum seu accessionum pro dictis partitis, vel earum altera, post secutam restitutionem fundachi & mercium, istaque lite pendente, non agitur in decisione, sed deductum fuit in posterioribus disputationibus occasione illius revisionis, seu reservatorum; In hoc autem scribentes pro creditore di-
11 cebant, quòd licèt fundacus fuerit clausus & dissolutus, unde propterea nullos fructus pxoduxerit, nihilominùs cùm id provenerit facto & culpa ipsius debitoris, ob cujus defectum non percipiuntur illi fructus, quos aliàs ipsa res vendita de sui natura poduxisset, tunc haberi debeant pro perceptis in odium non percipientis, *Cagnol. in eadem l. curabit, num.* 35. *Soccin. Natta, Lupus, Surd. & cæteri apud Leotar. quæst.* 27. *num.* 44. & supponitur *decis.* 564. *num.* 1. *par.* 1. *recent.* ubi de cessatione vel diminutione fructuum aliàs quàm ex facto & culpa emptoris, & cum eodem sensu processum fuit *in Barem Census coram Verospio & Bourlemont. ut infra disc. sequenti*, cum aliis plenè collectis in hac materia *per Sperell. decis.* 118. super denegando vel diminuendo cursu hujusmodi fructuum recompensativorum ob rei sterilitatem; Omnes enim procedunt cum præsuppositio, qnòd res vendita ex aliquo accidentali & casu sterilis vel minus fructifera facta sit. Et cum eodem sensu procedunt omnes in proposito contractus census, quoties fundus censitus reddatur sterilis, vel minus fructifer & capax. Atque revera est principium certum, scripto ac naturali juri innixum; Si enim fundus ex sui natura sit aptus fructus producere, possessor autem negligit illum colere, aliaque necessaria gerere pro eorumdem fructuum productione, & perceptione: sive domum locari solitam negligat locare, seu reficere, ac habitabilem reddere, tunc absque dubio id cedere non debebit in damnum venditoris & creditoris pretii respectivè; Ideoque non negabam conclusionem, sed benè impugnabam applicationem ad factum, dum fundachi clausura non pervenerat ex electione ac facto merè voluntario, & de directo culposo debitorum, ita ut dici posset, quòd esset culpa ordinata ad casum, de quo etiam culposus de jure tenetur, sed potiùs id provenerat ex facto ipsius creditoris, qui concepta suspicione de debitoribus, eorumque deterioratione, eos jurando suspectos, posuit in fuga, & causavit fundachi clausuram; Unde quando etiam suspicio habuisset probabile fundamentum, ponderabam id suffragari posse ad effectum excludendi ipsius creditoris dolum seu culpam, ita ut dici non posset culposus, & consequenter aliàs erga debitores obligatus ad damna & interesse, sed non per hoc è converso sequitur, quòd ipsi debitores dici possent positivè culposi, ita ut intraret dicta conclusio, quam, reflectendo ad solam veritatem, credebam ex facti circumstantiis incongruè applicari ad casum, Ideoque pro hoc tempore, videbatur improbabilem esse hujusmodi fructuum seu accessionum prætensionem.

# BAREN. CENSUS
## PRO
# MARINO DE CORDE,
## CUM
# JACOBO SALUTIO.

*Casus variè decisus per Rotam, ut infrà.*

De eadem materia fructuum recompensativorum pro pretio rei venditæ, ad terminos *text. in l. curabit, C. de action. empti*, Et quatenus illi sint regulariter debiti, quia de pretio rei fructiferæ exigantur, attamen ad majorem taxam seu rationem, quam ipsius rei fructus importent, An & quando intret imputatio in sortem, eaque extincta etiam repetitio indebitè soluti, Et de differentia imputationis & repetitionis indebiti, & an in hoc bona fides creditoris, seu justa credulitas excuset? Et quid si pro pretio constituatur census, sed nulliter, an debeantur fructus tamquam damna & interesse, & ad quam rationem.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Ubi creatur census ex pretio rei fructiferæ, non servata forma Bullæ Pii, debentur tamen fructus ad ratam fructuum ipsius rei venditæ.*
3 *Quando denegetur sanatio census, etiamsi constet de vero credito.*
4 *Quòd in Regno Neapolitano servari debeat forma Bullæ Pii V.*
5 *Distinguuntur puncti seu capita quæstionis.*
6 *Damna & interesse in censu nulliter creato sunt ad eamdem rationem fructuum, qui conventi erant.*
7 *De differentia inter fructus census, & damna, & interesse, quamvis ad eamdem rationem, & de effectibus exinde resultantibus.*
8 *Quando imponitur census super re aliena vel incapaci debentur fructus ad eamdem rationem tanquam damna & interesse.*
9 *Idem ubi census est invalidus ob inhabilitatem personæ impositoris.*
10 *Quid ubi nullitas provenit ex defectu formæ.*
11 *Declarantur conclusiones, de quibus num.* 8. *&* 9.
12 *Licitum est ab initio pro quocumque credito pecuniario pacisci de interesse, etiam illud taxando ad certam summam.*
13 *Pro pretio rei venditæ possunt conveniri fructus vel redditus etiam ad majorem rationem quam ipsa res fructet.*
14 *Declaratur conclusio, de qua num.* 12.
15 *Declaratur conclusio, de qua num.* 13.
16 *Ubi pretium rei fructiferæ convertitur in alium contractum. si istius requisita non concurrunt pro cursu fructuum, nulli debentur.*

17 De-

17 *Declaratur quando id procedat.*
18 *De differentia inter censum & cambium, vel conventionem de interesse.*
19 *De probatione exactionis usurarum ad effectum repetitionis, vel imputationis respectivè.*
20 *Rusticitas vel sexus aut minor ætas an excusent in materia usuraria, distinguitur.*
21 *Ignorantia juris dubii assimilatur ignorantiæ facti, & excusat.*
22 *Quando creditor excusetur exigendo fructus recompensativos in excessu.*

## DISC. XVII.

CUM Joseph Salutius Bituntinus in pupillari ætate constitutus possideret in Civitate Barii quandam domum ex successione forsan patrui, qui priùs Episcopus Motulensis, fuit deindè Prior illius satis insignis Collegiatæ, ac Regalis Ecclesiæ S. Nicolai, ejus tutor de anno 1629. illam vendidit Cæsari de Cordè pro scutis 3000. ex quibus promptè solutis mille, & pro reliquis bis mille imposuit censum super eadem domo ad rationem sex pro centenario, atque solutis, tam à primo emptore, quàm à Martino ejus hærede fructibus usque ad annum circitèr 1654. ex tunc denegata solutione judicium instituit coram Ordinario super nullitate dicti census, super qua sententiam reportavit, declarantem fructus solutos extenuasse sortem principalem, quæ sententia in gradu appellationis confirmata fuit per A. C. Unde introducta causa *in Rota coràm Verospio, sub die* 15. *Junii* 1661. pro eodem Martino responsum fuit, super dicti census nullitate, ob non servatam formam pecuniæ numeratæ à Bulla *Pii V.* in censibus præscriptam; Verùm dictum fuit deberi fructus recompensativos ad terminos textus *in l. curabit Cod. de action. empti* juxtà taxam legalem desumptam *ex vulgari gloss. in auth. perpetua Cod. de Sacros. Eccles.* ad rationem quinque pro centenario, Sed obtenta per Martinum remissoria, factisque probationibus, quod dicta domus locari solita esset pro pensione, quæ habita proportione ad dictum pretium constitueret fructum ad rationem trium pro centenario, idcircò repropositа causa *sub die* 4. *Julii* 1663. responsum fuit ad istam solam rationem dictos fructus calculandos esse, juxtà quem calculum *sub die* 23. *Junii* 1664. *coràm eodem Verospio* dictum fuit ex fructibus excessivè solutis, sortem extinctam remanere, atque debitori jus competere repetendi scut. 500. excessivè solutos denegata etiam per alteram decisionem eadem *die* 23. *Junii* 1664. *coram eodem Verospio* præfati census sanatione concessa per Signaturam Gratiæ cum clausula *arbitrio*, quod dictum fuit non intrare stantibus, dictis sententiis absolutoriis, ob quas res non erat amplius integra; Ad quarum decisionum normam expedita sententia, & commissa causa appellationis in eadem Rota coràm *Ninot*, atque in istius interim ad Episcopatum assumpti locum subrogato *Bourlemont*, datoque dubio *An dicta sententia Rotalis esset confirmanda vel infirmanda, sub die* 2. *Aprilis* 1666. responsum fuit pro infirmatione circà ducat. 513. qui prætendebantur excessivè soluti & repetibiles, non tangendo aliam partem sententiæ circà extinctionem debiti & imputationem fructuum in sortem, cùm desuper adessent tres conformes; Qua decisione edita creditor curavit assumere disputationem super altero dubio, *an constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum* circà dictum alium punctum, eoque proposito *sub die* 5. *Decembris* 1668. prodiit resolutio huic parti favorabilis super re judicata, & denegatione restitutionis in integrum, atque in hoc statu causa reperitur.

In hujusmodi igitur disputationibus, cùm neque scribentes pro ipso venditore controverterent nullitatem census ex defectu dictæ formæ præscriptæ per Bullam *Pii V.* quam in Rota & Curia receptum est servandam quoque esse in Regno Neapolitano, quicquid super illius non usu dicant Regnicolæ, ac practicent ea Tribunalia sæcularia, ut pluries in sua materia *sub tit. de Censibus*, Idcircò principalis, ac penè tota quæstio fuit; Primò, an stante expressa stipulatione damnorum & interesse in casu nullitatis census, deberentur dicti fructus tanquam damna & interesse ad eamdem rationem, non obstante, quòd probatum esset fructus ipsius rei venditæ tanti non importare; Secundò, an posito, quod non deberentur nisi ad ratam fructuum ipsius rei juxtà dictos terminos textus *in l. curabit*, suffragaretur tamen justa credulitas & bona fides, ob quam creditor fructus excessivos & consumptos facere potuerit suos, ita ut non teneretur eos imputare vel restituere; Et tertiò demùm circa probationem exactionis, ad utrumque imputationis, ac respectivè repetitionis effectum.

Quatenus pertinet ad primum, scribentes pro creditore vim principaliter constituebant in conclusione, de qua apud *Seraph. decis.* 787. *Greg. decis.* 564. *decis.* 271. *& 273. par.* 7. *& plenius decis.* 48. *par.* 8. *recent.* quod scilicèt ubi contractus censualis de stricto jure tanquam talis substineri non potest, adest tamen explicita, vel implicita, & virtualis stipulatio ad damna & interesse, Tunc ista taxandæ veniunt ad eamdem rationem, ad quam ipsius census fructus taxati & conventi erant, Quod in Curia Romana in effectu idem importat, quoniam hæc differentia, an isti fructus debeantur tanquam fructus census validi, & vivi, vel tanquam damna, & interesse census invalidi vel rescissi, est considerabilis in illis regionibus, in quibus pro fructibus census currit interesse, quod non currit pro altero interesse, ut est in Regno Neapolitano, ut in specie advertitur per *Rovit. in pragm.* 3. *de cessione bonorum*, quæ distinctio nullius operationis est in Curia, ubi receptissimum ac absolutum est neque pro fructibus census aliquod interesse deberi, non concurrentibus benè justificatis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis, ut in dicta sua materia *sub tit. de censibus.*

Verùm, cum sensu etiam veritatis, dicebam hanc prætensionem omni fundamento destitutam esse, atque fallaciam consistere, non in dicta conclusione juxtà præfatas decisiones in suis casibus vera, sed in ejus incongrua applicatione ad casum, unde propterea procedebatur cum æquivoco claro; Ad quod convincendum advertebam ad plurium casuum distinctionem reflectendum esse, ut benè ponderatur *per doctissimum Leotar. de usur. qu.* 80. *ex numer.* 22. Quorum primus est, ubi nullitas non provenit ex defectu formæ; sed ex defectu rei super qua census impositus est, putà super re aliena seu alienari prohibita, aut aliàs incapaci seu infructifera in toto vel in parte, & tunc ubi creditor est in bona fide, quia nempè sit dicti defectus ignarus, undè sequatur fidem impositoris, asserentis rem censitam esse propriam, liberam, & capacem, & tunc licèt non substineatur tanquam census ob de-

defectum ſubjecti; Attamen in od um mendacis impoſitoris, & nè ex proprio mendacio & delicto commodum reportet in præjudicium creditoris innocentis, qui ſibi credidit, ejuſque fidem ſequutus eſt, debentur iidem fructus ad eamdem rationem, ſi non tanquam fructus cenſus, attamen tanquam damna & intereſſe, remanente ſolùm quæſtione, ubi creditori ex intervallo ſupervenit dictæ incapacitatis ſcientia, an ex tunc ob apertam facultatem ſeu actionem repetendi ſortem ceſſet necnè curſus etiam damnorum & intereſſe, ſuper quo Rota, ut infrà ſequenti caſu variavit, pro meo tamen judicio probabilior videtur opinio creditori favorabilis, ex iis, quæ habentur in ſua materia *ſub tit. de cenſibus*, atque iſti ſunt termini, in quibus loquitur *d. deciſ. 787. Seraphini.*

Alter caſus eſt, ubi nullitas cenſus non provenit ex defectu formæ, minuſque ex defectu rei, ſed ſo-9 lùm ex defectu perſonæ inhabilitatæ ad contrahendum, an ſcilicèt ad eamdem rationem deberentur damna & intereſſe per fidejuſſores vel recognoſcentes bonam fidem contrahere non prohibitos, & hic eſt caſus, de quo apud *Greg. dicta deciſ. 564. & in allegatis deciſ. 271. & 273. par. 7. & 48. par. 8. rec.* in quo etiam proceditur cum dicta diſtinctione.

Tertius demum eſt caſus noſter, ubi ſcilicèt nullitas provenit ex defectu formæ à Conſtitutione 10 Piana præſcriptæ, & tunc, aut nulla adeſt ſtipulatio ad damna & intereſſe in caſu nullitatis, & nihil debetur, niſi deindè, nullitate detecta, creditor per interpellationem conſtituat debitorem in mora ad reſtituendam ſortem, aliaque juſtificet requiſita lucri ceſſantis vel damni emergentis; Ubi verò adeſt ſtipulatio, Tunc iſta ſupplet requiſitum moræ ac declaratæ voluntatis creditoris aſſequendi dictum intereſſe, ſed juxtà opinionem, in qua reſidet Curia, de qua infrà, & pluries in præcedentibus & ſequentibus, accedere quoquè debet extrinſeca & ſpecialis juſtificatio requiſitorum, tàm circa ſubſtantiam, quàm circà quantitatem, quoniam data nullitate ab initio ex defectu formæ, & ſic de jure, cujus ignorantia excuſabilis non eſt, agi dicitur à principio de contractu mutui ſaltem impliciti, ſeu interpretativi, & conſequenter iſtud intereſſe regulandum eſt, tanquam illud, quod ex mutuo debetur; Idemque in omnibus procedit, ubi nullitas proveniat juxtà primum vel ſe-11 cundum caſum inhabilitatis rei vel perſonæ, quæ ab initio ipſi creditori innoteſcat, cùm tunc ipſe rectè ſciat non inire contractum cenſualem, ſed alterum mutui, juxtà diſtinctionem inter ſcientiam ab initio, & aliam ex intervallo, de qua apud *Rojas deciſ. 458. numer. 5. deciſ. 29. numer. 6. & 7. par. 9. rec. deciſ. 175. numer. 5. par. 11.* in quibus concordantes; Et quamvis etiam in caſu quo ſcientia poſtmodum ſuperveniat, recedendo à dicta deciſione *coram Rojas* quæ eſt *in una Romana vineæ*, contrarium dictum fuerit *ſub die 2. Aprilis 1666. coràm Carpinea*, quaſi quod etiam ſcientia ex intervallo ſuperveniens conſtituat creditorem in terminis mutuatoris, undè propterea idem dicendum ſit, ac in caſu ſcientiæ ab initio, nihilominus ut ſuprà inſinuatum eſt, hæc ſecunda deciſio videtur parùm probabilis, ut advertitur in dicta ſua materia *ſub titulo de cenſibus*, Sed ubi agitur de nullitate ex defectu formæ, tunc ceſſat omnis dubitatio.

Dicebant ſcribentes in contrarium, de jure prohibitum non eſſe in quocumque debito deducere in pactum ab initio intereſſe lucri ceſſantis vel damni emergentis, etiam illud taxando ad certam ſummam juxtà firmata per *Apont. de poteſtate Proreg. Gattum de credito, & alios, de quibus ſuprà in Savonen. diſc. 12.* Multomagis iſto caſu, in quo agebatur de pretio rei fructiferæ, pro quo, præſertim apud Regnicolas receptum eſt, conveniri poſſe fructus vel intereſſe etiam ad majorem rationem, quàm importent ipſius rei fructus juxtà deducta per *Merlin. lib. 2. controv. 50. cum aliis, de quibus in Lucana diſc. ſequen.* & alibi pluries. Verùm facilis erat reſponſio, quoniam ut advertitur in mox allegatis *Savonen. & Lucana*, dicta concluſio dellicita conventione, ac taxa intereſſe ab initio pro quocumque debito etiam merè pecuniario, & ex cauſâ mutui, eſt vera quoad ipſam conventionem in genere, accedente tamen alia qualitate, quæ neceſſaria eſt ad executionem, ut ſcilicèt non ex ſola partium aſſertione vel conventione, ſed aliundè juſtificetur, quod tanti revera intereſt; Atque in hoc verſatur æquivocum, capiendo etiam quoad executionem generaliter & indeterminatè illud principium, quod ita qualificatè illud intelligendum eſt. Prout quoad illud aſſumptum paciſcendi de annuo redditu excedente fructus rei venditæ, ex cujus pretio idem redditus conſtituatur, adhuc adeſt æquivocum procedendi cum doctrinis *Decii, Covarr.* & aliorum antiquiorum loquentium in puris terminis juris communis, ſeu antiquarum Conſtitutionum Apoſtolicarum in materia cenſus, antequam emanaret Bulla *Pii V.* præſcribens certam formam, ſine qua, cenſus, aliique redditus pro ſorte data in pecunia, ſeu mercibus aliiſque pecuniæ æquipollentibus, in quibus cadere poteſt mutuum verum vel interpretativum, conſtitui non poſſunt, quoniam dicta forma non ſervata corruit illa converſio pretii debiti ex contractu emptionis, & venditionis in aliam diverſam ſpeciem contractus cenſualis, ſeu annuorum reddituum, & in quæ converſione fundamentum conſtituunt dicti antiquiores, ac etiam moderniores, præſertim Hiſpani, loquentes attento uſu illarum regionum, ſeu provinciarum, in quibus certum creditur, dictam Bullam *Pii* non eſſe receptam, cùm ab iſta circumſtantia ſeu principio totum in propoſito pendeat.

12 13 14 15

Quinimò ſcribens tanquam Advocatus, atque acuendo ingenium ad cauſæ opportunitatem, dicebam, quod cum in hac facti ſpecie, partium clara & expreſſa intentio fuerit non relinquendi iſtud pretium in terminis pretii debiti ex ipſo contractu 16 emptionis & venditionis, ſed illud tranſmutandi in diverſum contractum cenſualem, ſi iſtius requiſita neceſſaria non concurrunt pro curſu fructuum & defectu formæ, vel defectu ſubjecti, nulli fructus debeantur, neque ad ratam fructuum ipſius rei, quoniam titulus pretii evanuit per hujuſmodi novationem, per quam occultatur actus ſolutionis, ac extinctionis prioris cauſæ debendi, & efformationis novi contractus, tanquam ex pecunia numerata, & conſequenter iſte ſolus contractus ſpectari debet, ut in ſpecie *ex Soccino*, & aliis antiquioribus *Surd. conſ. 269. n. 18. Teſtaii. alleg. 16. n. 36. Leotar. de uſuris q. 27. n. finali*, & habetur in aliis ad hanc eandem materiam pluries inſinuatam, undè intrat regula, *quod potui nolui &c.* Quod ſcilicèt non debeantur fructus recompenſativi ex contractu emptionis & venditionis ex æquitate textus *in l. curabit*, utpotè pro jam extincto & adimpleto, mediante ſolutione pretii, ita occultati, & non debeantur ex novo contractu cenſus, utpotè non habente neceſſaria requiſita fructuum ſeu acceſſionum juſtificativa.

Verùm reflectendo ad veritatem, motivum con-

tine-

tinebat fallaciam, parti tamen, seu ejus agentibus insinuatam, non circa veritatem conclusionis in suis casibus rectè procedentis, sed circa applicationem ad casum; Illa enim rectè procedit, ubi contractus, in quem pretium jure novationis convertitur seu
17 transfunditur, est ab initio validus & perfectus, non exigens aliam formam vel actum quoad ejus validitatem & perfectionem, sed solùm alter actus requiritur pro executione, & ut producat effectum à partibus volitum, ut exemplificando in eo, quod frequentiùs practicari solet, si pretium convertatur in cambium, ut habetur *in Fulginaten. hoc titulo, disc. præcedenti*, quoniam ipse contractus ex ipsa partium conventione est illicò validus & perfectus, solùmque ad cursum & realitatem cambiorum, requiruntur deinde litteræ, seu spaccia, quæ continent quid extrinsecum & accidentale, quod in uno eodemque contractu adesse & abesse potest citra subjecti corruptionem, quia nempe spaccia transmitti possunt in unis nundinis, & non in aliis, atque ita cambia pro unis nundinis deberi, & pro aliis non; Sive quòd venditor habens in animo pecuniam ex venditione rei stabilis, modicum vel nullum fructum reddentis, erogare pro majori ejus utilitate in mercaturam, & negotiationes, paciscatur cum emptore de interesse lucri cessantis pendente solutione, quoniam pactum est licitum, atque contractus ab initio est validus & perfectus, sed pro illius executione, seu effectu in ordine ad exigendum interesse conventum, requiritur extrinseca illius justificatio, juxta opinionem, in qua residet Curia, sequendo firmata apud *Ubald. decis.* 118. *ut frequenter hoc tit. præsertim in dictis Lucan. & Savonen.* Et sic ob perfectionem contractus, resultat dictus effectus extinctionis prioris causæ debendi.

Hoc autem dici non potest in casu, de quo agitur, ubi scilicet talis conversio seu transmutatio fit in contractum censualem, non servata dicta forma, quoniam adesse dicitur nullitas in radice, atque actus habetur pro omninò infecto, itaut sit quid magis, quàm reducere causam ad non causam ex subsequuto casu resolutivo; nam ita nunquam cessat prior causa ex defectu initii, & consequenter resultare non potest dictus effectus extinctionis prioris causę debendi, qua firma remanente, intrant de plano termini, seu æquitas dicti textus *in l. cura-*
18 *bit*; Ideoque magna differentia est inter unum casum & alterum, in præcedenti enim, nedum urget dicta ratio extinctionis prioris causæ debendi per novum contractum in ipso sui limine in substantia validum, & perfectum, sed etiam intrat altera, quòd uterque contrahens aleam æquè utilem, ac respectivè damnosam tentare voluit, dum in contractu cambii dari potest etiam lucrum debitoris cum sortis diminutione, & econversò juxta contingentias, dari potest magnum lucrum creditoris; Idemque pariter circa interesse, seu exitum illius negotiationis, in quam creditor aliàs pecuniam fuisset erogaturus; unde multoties creditoris interest, non transmittere spaccia, & non uti facultate cambiandi, sed habere creditum otiosum & infructiferum ad evitandum periculum ex temporum contingentia verisimiliter timendum jacturæ & diminutionis sortis, quæ rationes non intrant in altero casu contractus censualis, ideoque firmum remanebat, non deberi majores fructus, quàm ad ratam fructuum ipsius rei, sed istos absque dubio deberi.

Quoverò ad tertiam inspectionem probationis exactionis ad utrumque respectivè effectum impu-
*Card. de Luca de Usur. & Interess.*

tationis vel repetitionis in disputationibus processum fuit cum eisdem doctrinis, terminis, & distinctionibus, in quibus *in dicta Savonen. disc.* 12. ea circumstantia ad creditoris favorem isto casu accedente, pro tempore scilicet ejus, ac sui auctoris minoris ætatis, unde strictiùs circa probationem exactionis proceditur, præsertim quoad repetitionem, non probata versione; Quinimò & mihi aliqua difficultas remanebat etiam circa imputationem in sorte, quoniam cùm ageretur de pretio rei stabilis erogato in partium intentione in censum, qui loco rei stabilis habetur, exinde ita cum diminutis imputationibus fructuum, seu usurarum, quæ in quotidianos usus consumuntur, resultat, quòd alienetur res stabilis, & consumatur sors principalis, quod in minoribus, vel aliis alienare prohibitis, non de facili admittitur, ut advertitur *in Neapolitana, hoc eod. tit. disc.* 21. *seu* 30.
19

Major igitur in meo sensu difficultas erat in secunda inspectione, An scilicet iste creditor excusandus esset ratione bonæ fidei, tam à restitutione, quàm etiam ab ipsa imputatione in sortem dictorum fructuum excessivè exactorum, utpote consumptorum, itaut, nec in specie, nec in æquipollenti dici posset effectus ex eis locupletior.

Et in hoc scribendo, tanquam Advocatus dicebam, quòd posita exactione usurarum de facto, 20
nulla dari poterat excusatio ratione minoris ætatis, sexus, vel rusticitatis, quoniam hæc est ignorantia juris, quæ in proposito non excusat ad lucrum captandum, ac evitandum restitutionem vel imputationem; cùm ea, quæ in jure habentur circa excusationem non sagacium seu mulierum & rusticorum percutiant pœnas usurariis inflictas, aliosque effectus pœnales, seu pœnæ speciem habentes, secus autem ad effectum retinendi usuras exactas, ac evitandi restitutionem seu imputationem, ut in individuo bonæ fidei non excusantis mulieres, rusticos, vel minores à restitutione fructuum perceptorum ex censu nulliter creato, non servata forma Bullæ *Pii* firmatur *apud Seraphin. decis.* 10006. quæ reputatur in materia magistralis, relata per *Cenc. de cens. quæst.* 88. *num.* 12. Et generaliter in omni materia usuraria, ita distinguendo *ex Farinaccio & aliis Leotar. de usur quæst.* 100. *num.* 57. *cum seqq. ad* 62. ubi de distinctione rustici, vel mulieris sagacis, nec ne, ac etiam de dicta altera distinctione ad effectum pœnarum retentionis exactis.

Verùm reflectendo ad veritatem, mihi supererat aliqua difficultas, Tum ob suprà insinuatum motivum inducendi in minore indirectam alienationem bonorum stabilium, cum insensibili consumptione pretii in usus quotidianos; Tùm for- 21
tius, quia juxta ea, quæ habentur *decis.* 444. *par.* 4. *recent. tom.* 2. in proposito evitandi restitutionem fructuum perceptorum bonorum Ecclesiæ malè alienatorum, ignorantia juris dubii assimilatur ignorantiæ facti, & excusat, Et generaliter *Mantic. decis.* 78. *Rot. decis.* 559. *p.* 5. *recent. Cavaler. decis.* 81. *& 141. & frequenter*; Hujus autem juris ignorantia est absque difficultate probabilis tanquam juris nimium dubii, dum non solùm apud rusticos, mulieres, minores, & illiteratos, sed etiam apud literatos & Jurisconsultos primarios ibi habetur hæc opinio, quòd Bulla *Pii* ibi non sit in usu, atque in Tribunalibus laicalibus etiam majoribus & primariis isti census habentur tanquam validi, ideoque nimia asperitas videtur dictum rigorem attendere.

Fortiùs verò, quoniam fructus seu usuræ in substantia sunt licitæ, tanquam pro pretio rei

fructiferæ, juxta terminos *dicti text. in l. curabit, C. de action. empti*, unde data validitate conventionis in substantia, contractus dici non potest infectus in radice, sed licitus; infectio autem est in excessu, qui consistit in facto, atque potest esse ignotus creditori, qui credere potuit rem tanti fructariè ob diminutum pretium in sorte, juxta ponderationem, de qua *in Neapolitana, disc. 21. seu 30.* Potissimè verò ex duplici circumstantia, Una pupillaris ætatis venditoris, unde non concurrit scientia fructuum, quos res vendita produceret. Et altera, quòd diminutio fructuum non adesset de tempore contractus, sed potiùs fuisset accidentalis ob diminutionem populi ex causa pestis; unde dubitari potest, an id cedat damno creditoris, juxta ea quæ habentur *in Lucana disc. sequenti*, ideoque rectè objici posse videtur ipsi debitori, cur conscius diminutionis fructuum sponte solverit fructus seu usuras ad majorem rationem creditori, qui ita continuando in bona fide, credere potuit tanti fructus ipsius rei importare, juxta ea quæ à simili ponderantur *sub tit. de cambiis in Rom. pecuniaria, seu cambiorum pro Benettis, disc. 7. ac etiam alibi hoc tit.*

Illa etiam consideratione accedente, quòd ratio, ob quam per Rotam & Curiam magis recepta est opinio, ut usuræ indebitæ, quamvis voluntariè solutæ imputentur ipso jure, non autem repetantur per viam repetitionis indebiti, consistit in eo, quòd censetur debitorem, ita magis coactè quàm voluntariè solvisse ob formidatam suffocationem ad restituendam sortem; Ac etiam, quia ita censetur voluisse magis commodè à debito sortis, cum diminutis solutionibus se exonerare, ut plenè *decis. 69. par. 9. rec.* quæ reputatur in Curia magistralis, cum aliis *in d. Savonen. disc. 12. & aliis hoc tit.* Sed hæc non videbantur ad rem congruè applicabilia, quoniam stante communi opinione, ac usu saltem de facto, quòd isti contractus in Regno substineantur, ita non videbatur dici posse, debitorem habuisse hunc animum, dum contrariæ opinionis Curiæ ignarus erat, atque ob irrepetibilitatem sortis in censu habere non poterat dictum timorem suffocationis; Verùm quamvis hæc aliquam probabilitatem habere viderentur, adhuc tamen probabiliùs videtur immorari in dicto rigore, ad extirpandam radicem dicti abusus.

# LUCANA.

## *Responsum pro veritate, suppressis nominibus.*

An & quando fructus vel usuræ conventæ pendente solutione pretii rei fructiferæ, possint excedere ipsius rei fructus. Et quid, ubi de tempore conventionis adæquarent, sed postea accidentaliter ipsius rei fructus diminuti sunt.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Ex quibus pendeat resolutio controversiæ.*
3 *De conventione excedente rei fructus absque usura.*
4 *Reprobatur opinio Baldi, ut usuræ pretii excedere possint fructus ipsius rei venditæ.*
5 *De opinione, quòd neque ad ratam fructuum rei venditæ in casu expressæ dilationis accessiones debeantur.*
6 *De substinenda taxa conventionali, & an illa possit excedere taxam legalem, quinque pro centenario.*
7 *Quid ubi pretium convertitur in contractum census, seu annui redditus.*
8 *Potest pacisci de interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, etiam ultra metam fructuum ipsius rei.*
9 *Fructus dotis possunt esse majores vel minores taxa statutaria, si plus vel minus interest remissivè.*
10 *Quomodo intelligenda & practicanda sit conclusio, de qua num 8.*
11 *Industriæ & negotiationes sunt periculosæ, & habent lucrum incertum.*
12 *Tutores vel administratores non possunt pecunias pupillares negotiationibus exponere.*
13 *Si conventio fructuum pretii de tempore contractus sit justa & proportionata fructibus rei, quid dicendum, si fructus rei minuantur.*

## DISC. XVIII.

FActa venditione domus de anno 1641. pro scutis 1600. sub conventione solutionis annuæ præstationis ad rationem 1
sex pro centenario, pendente solutione pretii; Cùm de anno 1648. ob quamdam insolitam mortalitatem, quæ populi notabilem diminutionem causavit, pensiones domorum essent satis diminutæ, adhuc tamen empror plurium annorum spatio continuasset in spontanea dictæ præstationis solutione; Hinc prætendere deinde cœpit, imputari debere in sortem totum id, quod in excessu singulis annis solutum fuerat, atque desuper suppressis nominibus, & sic incertus, an ex parte creditoris, vel debitoris, pro veritate consultus.

Respondi, quæstionis decisionem nimium pendere ab eo, an Bulla *Pii V.* super forma creandi census, in loco usu recepta sit, nec-nè, circa formam 2
pecuniæ numeratæ; Sive, an circa interesse lucri cessantis, vel damni emergentis procederetur cum rigorosis Curiæ Romanæ opinionibus circa necessitatem probandi specialiter requisita lucri cessantis, posita per *Castrensem. in l. 3. ff. de eo quod certo loco*, vel potiùs illa tanquam notoria habeantur pro probatis, juxta Regnicolarum, ac aliquorum Hispanorum opinionem; Cùmque de his essem incertus, idcircò tradendam censui theoricam generalem, inspecto tempore contractus, & subsequenti non accidentali, ad effectum ut juxta opiniones, cum quibus in loco viveretur, congrua applicatio fieri posset, agendo deinde de tempore accidentali, ut infrà.

Dicebam igitur pro clara & distincta hujus materiæ notitia, tollendisque illis æquivocis, cum quibus procedere solent aliqui insimul commiscentes doctrinas, quæ diversos casus percutiunt, ac propterea se involventes, ut præsertim facere videtur *Carleval.* infrà allegandus; Observandum esse, quòd hujusmodi conventiones super certa annua præstatione per emptorem venditori solvenda loco pretii, juxta quatuor species in conventionem deduci solent vel possunt; Quarum prima est, à casu tamen quæstionis extranea, ubi nullo convento certo pretio, nullaque accedente conventione 3
redemptionis ad certam rationem, unde pretii in sorte certitudo resultet, quis concedat alteri rem fructiferam sub annua præstatione excedente ipsius rei fructus; Et tunc non intrant termini emptionis,

&c

& venditionis, in qua unum ex tribus substantialibus requisitis est pretium certum. Sed potius dicitur contractus censualis in censu reservativo, sivè livellarius, aut perpetuæ locationis, quo casu non intrat materia usuraria, dum nullum intercedit mutuum verum vel interpretativum, sine quo usura non datur, sed solùm intrant termini læsionis, seu injustitiæ reducendæ ad justitiam, juxtà ea quæ benè in hac materia discurrit *doctus Leotar. de usuris quæst.* 41. quod ita obiter ad casus distinguendos insinuabam, non examinando veritatem, utpotè extrà casum quæstionis, cadentis solùm in contractu emptionis & venditionis sub certo pretio, cujus solutionis dilatio data sit, cùm ita inesse dicatur mutuum interpretativum, sine quo ut supra non datur.

Secunda contrahendi species est, ubi agitur de emptione & venditione pro certo pretio, cujus solutione pendente, simpliciter conveniatur de usuris vel accessionibus alio non expresso; Et tunc quamvis *Bald. in l. 2. numer. 3. Cod. de usuris* credat, etiam pro re sterili, seu minorem fructum reddente majores accessiones pendente solutione
4 pretii in stipulationem deduci posse, quia non dicuntur deberi propter fructus, sed propter emptoris perfidiam in non solvendo promissa, & sequuntur alii relati *per Sperell. dec. 118. num. 67.* Attamen hæc opinio in isto simplici casu, utpotè omni fundamento destituta, videtur magis communiter rejecta, etiam in sensu *Decii, Ruini, Parisii, Covarr.* & aliorum, de quibus infrà in tertia & quarta contrahendi specie, ut cæteris relatis *Leotar. de usuris quæst. 27. num. 45. & seq. Carleval. de judiciis tom. 2. disput. 8. sect. 5. fol. 190. & seq.* (ubi tamen non distinguendo species conventionum nimium se involvit) *Sperell. dicta decis. 118. numer. 68. cum seqq.* atque hanc opinionem constanter & perpetuò tenuit *Rota*, præsertim *dec. 453. par. 4. rec. tom. 2.* ubi in specie examinatur, & rejicitur dicta doctrina *Baldi*, & satis frequenter in aliis, præsertim *in Baren. census 16. Junii 1661. coràm Verospio, de qua disc. præcedenti*, ut scilicèt ex pretio rei sterilis nullæ accessiones conveniri vel exigi possint, pro illo verò rei fructiferæ non nisi ad rationem fructuum, quos ipsa res producit, potius ex æquitate textus *in l. curabit, Cod. de action. empti*, quàm ex partium conventione, quoniam aliàs esset percipere accessiones ex pecunia de sui natura sterili ratione dilationis & temporis, tanquam ex mutuo interpretativo, & habetur *in Romana seu Massan. pretii minutorum sub tit. de Regalibus discurs. 81.*

Adeòque strictè isto casu proceditur, quod aliqui Morales in hac materia nimium rigorosi censores, ex dicta ratione mutui interpretativi admixti
5 cum dilatione conventionali, crediderunt, quod in casu expressæ dilationis, quoties rei dominium perfectè in emptorem translatum est, nihil debeatur, etiam ad mensuram fructuum, stante quod venditor, & respectivè creditor non subjacet ipsius rei periculo, quod est dominii sequela connexa cum altera sequela fructuum, undè propterea una sine altera danda non sit; Et consequenter quod insit contractus mutui interpretativi producentis accessiones ratione dilationis, undè credunt procedendum esse per viam locationis & conductionis durante solutione pretii, cùm tunc rei periculum sit venditoris seu creditoris; Sed quicquid sit de ista opinione in foro interno, de quo juxtà sæpius protestata, forensium partes non sunt agendi, in foro tamen externo receptum, ac hodie omninò absolutum est, hujusmodi conventiones licitas & validas esse, quoniam tales accessiones non dicuntur lucrativæ tanquam fructus pecuniæ, sed potius recompensativæ illius damni, quod venditor patitur in amissione fructuum, quos aliàs ex re propria percepisset, ut benè discurrit *Leotar. dicta quæst. 27. Sperell. dicta dec. 118. num. 2. cum seqq.* ubi latè se diffundit in hac materia *l. curabit, & dec. 119.* ubi disputat formiter, ac patet ex tot decisionibus & auctoritatibus deductis in aliis discursibus hoc titulo ad istam materiam *l. curabit.*

Undè propterea quæstiones isto casu solent esse magis facti quàm juris, super probatione scilicèt quantitatis fructuum, quos ipsa res producere potuisset, atque de sui natura esset apta & nata produ-6 cere, ad effectum inspiciendi, an taxa conventionalis esset eis proportionata necnè. Licèt enim Rota & Curia passim sequatur in materia taxationis fructuum vulgarem *gloss. in auth. perpetua, Cod. de sacros. Eccles.* super quantitate adæquante sortem spatio 20. annorum, Et sic ad rationem quinque pro centenario, ut in his specialibus terminis advertitur *in dicta Baren. census 16. Junii 1661. coràm Verospio* cum aliis *per Sperell. dicta decis. 118. numer. 59. & seqq.* Nihilominus omninò verius est, istam dici taxam legalem & præsumptivam; attendendam solùm in dubio, & ubi nulla partium conventio accedit, contraria tamen probatione elidibilem; Secùs autem taxa conventionali accedente, quoniam licèt ista quoque ex contraria probatione de injustitia vel excessu convinci possit, nihilominus non probato contrario, præsumptio est pro justitia conventionis, Ut de taxa conventionali pro pretio domus venditæ ad rationem 6. pro centenario etiam in Urbe habetur *in Romana multiplici 18. Martii 1654. coràm Mellio*, Et de majori taxa ad rationem septem habetur *in Baren. Salviani 10. Junii 1652. & 24. Martii 1653. coràm Bichio*, & advertitur infrà *in Neapolitana disc. 21.* ex duplici ratione ibi ponderata; Una quòd non implicat rem majorem fructum quàm ad dictam taxam legalem producere posse, ideoque stante possibilitate, præsumptio assistit conventioni in exclusionem læsionis & injustitiæ; Et altera, quia cùm dari possit circumventio intrà dimidiam justi pretii, possunt stare simul, quod attento vero, & intrinseco valore, fructus non excedant dictam taxam, & tamen quòd sint longè majores habita proportione ad diminutum pretium in contractum deductum, quoniam si res juxtà proprium & intrinsecum valorem e. g. valet mille, & consequenter ejus fructus juxtà dictam legalem præsumptionem importat 50. si vendatur pro 600. vel 700. ita dictus fructus importans 50. repartitus super hoc pretio importabit 7. vel 8. pro centenario; Ac etiam, quia ipsa major, ac excessiva fructuum taxa fieri potuerit correspectivè ad diminutionem pretii in sorte, & tanquam illius pars, undè propterea sinè extrinsecis probationibus hujusmodi conventiones non videntur de excessu redarguendæ, ut *dicto disc. 21.*

Tertia contrahendi species est, ubi pretium non remanet in simplicibus terminis pretii, cujus solutione pendente accessiones debeantur ex eodem contractu emptionis, sed expresè convertitur in 7 alium contractum census consignativi, quem Hispani appellant annuorum reddituum, atque Hispanos (ut in omnibus) imitando, ita quoque nunc appellant Neapolitani, & hic est propriè casus, de quo agunt *Covar. lib. 3. variar. cap. 4. num. 6. Mantic. de tacit. lib. 4. tit. 24. nu. 27. & cæteri*, cum quibus pertranseunt *Galeot. lib. 1. controv. 61. num. 48. cum seq. & Merlin. lib. 2. controv. 50. num. 23.*

*& seqq. cum seqq.* firmantes hunc redditum non subjacere proportioni fructuum, juxtà terminos textus *in dicta l. curabit*, quia in effectu non sunt fructus vel accessiones pretii rei venditæ, sed sunt fructus novi & diversi contractus censualis, quos juxtà Bullam *Nicolai V.* prohibitum non est convenire usque ad decem pro centenario; Et isto casu, retenta opinione, cum qua procedunt Regnicolæ sæculares, ac etiam Hispani, quod Bulla *Pii V.* super forma creandi census in pecunia numerata non sit usu recepta, atque procedendo cum solis terminis juris communis, vel antiquarum Constitutionum Apostolicarum, dictoque præsuppositio retento, benè loquuntur, secùs autem attenta dicta Bulla ut *in Baren. disc. præced.* Ideòque insinuavi, quod quatenus per hanc contrahendi speciem processum esset, controversiæ decisio penderet à dicto puncto, an dicta Bulla Pii in loco esset usu recepta necnè, ut ubi non est recepta, conventio substineatur, secùs è contra.

Quarta demùm contrahendi species est, ubi dominus & possessor rei sterilis vel parùm fructiferæ, ad majorem utilitatem reportandam ex pretio 8 investiendo in occasiones fructiferas, seu in id, quod magis expedire credat, ipsam rem vendit, sed pretium incontinenti obtinere non potest in destinatum investimentum erogandum, Et tunc licitè absque dubio conveniri potest de eo quod interest, quamvis ipsius rei fructus longè excedat, quoniam tunc non dicitur stipulatio super fructibus recompensativis ad normam textus *in l. curabit*, sed super damnis & interesse, de quibus, verè concurrentibus, etiam mutuator pecuniæ & in puro, ac expresso mutuo stipulari potest, ut benè istos casus seu terminos distinguendo advertunt *Dec. in cap. Venerabilis numer.* 14 *de except. Ruin. cons.* 73. *numer.* 4. *& 6. lib* 1. *Paris. cons.* 60. *numer.* 28. *& seq. lib.* 1. *de Marin. resol.* 20. *numer.* 5. *lib.* 2. *Galeot. dicta controv.* 61. *num.* 22 *& seqq. & nu.* 47. *Merlin. dicta controv.* 50 *lib* 2. *nu.* 21 *& seqq. Staiban. de interesse lib.* 2. *tit.* 9. *numer.* 122. *cum seq. Leotar. dicta quæst.* 27. *num* 22. *& 61. cum seqq.* Et in specie cujusdam controversiæ ejusdem Civitatis Lucensis firmat *Dec. consil.* 111. *numer.* 14. *& per tot.* ut scilicèt etiam pro pretio mercium, ac rerum de sui natura sterilium liceat per mercatorem & negotiari solitum pacisci de certo interesse etiam ad rationem 12. pro centenario, si constet tanti interesse, quod deducit occasione disputandi quæstionem, an liceat vendere merces cariori pretio propter dilationem ad solvendum pretium, atque ut vulgò dicimus, *ad credentiam*, & habemus in omni materia, præsertim dotali, ut in sua sede *sub titulo de dote*, quod licèt adsit statutum vel consuetudo taxans fructus dotis constante matrimonio debitos ad terminos 9 *textus in cap. salubriter de usuris*, attamen si extrinsecus constat viri ob retardatam solutionem plus interesse, illud debetur, atque in conventionem deduci potest. Et econtra, si constat interesse minus, tunc taxa statutaria minuitur; Ut e. g. in Urbe usuræ dotales taxatæ sunt per statutum ad septem cum dimidio pro centenario, sed si constituitur dos in specie, putà stabilibus vel locis montium, vel etiam in quantitate, quæ ex conventione illicò in stabilia vel loca montium investienda sit, tunc retardata consignatione vel solutione, aliud prætendi non potest, nisi id quod interest id sequutum esse, & sic ad ratam fructuum dictarum specierum vel investimenti, cum interesse dicatur fictio suppletiva veritatis, quam excedere non potest, nec debet.

Æquivocum autem plurium in ista conclusione seu principio ita generaliter & abstractè verissimo, consistit in applicatione, an scilicèt posita licita conventione, requiratur nec-nè specialis extrinseca justificatio, quod revera tanti interesit, vel 10 potius sufficiat sola partium conventio, Atque in hoc discrepant Regnicolæ & cæteri ab opinione Rotæ & Curiæ Romanæ, quæ omninò verior videtur, discretè tamen, non autem ad litteram practicanda, Quoniam, ut aliàs insinuatum est hoc eodem titulo, si sola partium conventio, ac respectivè assertio sufficeret, actum esset de usura, neque daretur casus, in quo illa verificabilis esset, cum suffocati debitores, magis inviti quàm volentes, pacisci, ac fateri soleant totum id, quod depravatis fœneratoribus ad cohonestandas usuras videatur, & placeat.

Ideoque deducendo rem ad praxim, Aut agitur de interesse damni emergentis, quia nempè habens quis rem sterilem, vel parùm fructiferam, intendat ex ejus pretio extinguere census vel alia debita usuraria, quibus subjacet, & tunc omninò planum est hoc interesse per emptorem absque alia justificatione deberi juxtà casum, de quo *in Senen. discurs. sequen. & in Æsina discurs.* 20. quoniam ut habetur suprà *in alia Æsina dis.* 14. etiam juxtà magis rigorosam opinionem Rotæ & Curiæ, sufficiunt existentia ipsius damni, & declaratio animi creditoris convertendi pecuniam debitam in hujus damni reparationem, ac debiti usurarii extinctionem, cùm sola dubitatio cadit, ubi non concurrit animi declaratio.

Aut agitur de altero interesse lucri cessantis, Et tunc si pretium destinatum est in occasiones fructiferas certas, quæ omninò certum & determinatum fructum habeant, ut sunt loca montium, quorum occasio semper prompta & notoria est, cum solo spatio adsummum aliquorum dierum pro parandis diligentiis, & paritèr planum videtur conventioni absque alia justificatione deferendum esse; Aut in alias occasiones, quarum fructus in substantia sit certus, sed incerta sit quantitas, ut est in bonis stabilibus vel censibus, quorum occasio non ita prompta & certa reputatur, Et tunc licèt pragmatici in Curia desiderare videantur probationem specialem certæ & promptæ occasionis, ita ad litteram & judaicè intelligendo traditionem *Castrens. in l.* 3. *ff. de eo quod certo loco.* Nihilominus verius semper credidi, ac etiam apud doctos & sensatos judices admitti practicavi, inspiciendum esse, an partium taxa esset verisimilis necnè, juxtà illas occasiones fructus moderati, quæ deficere non solent, Tunc enim leguleicam simplicitatem credidi illam opinantium, ad hunc effectum necessariam esse illam cautelam, quæ frequentius adhiberi solet, habendi attestationem proxenetarum, quod prompta adesset occasio, quoniam ita esset reducere usuram ad formalitates, dū simplex attestatio proxenetæ, quæ ad complacentiam requirentis, vel pro mercede unius Julii fieret, redderet licitas illas usuras, quæ aliàs essent illicitæ, ideoque substantia verisimilis voluntatis magis attendenda est, potissimè ubi non agitur ad effectum interesse, quod de jure creditor à morosо debitore absque alia conventione assequi velit, sed ad justificandum taxam conventionalem.

Aut demùm venditor se non restringit ad hujusmodi investimenta, quæ fortè in animo non habeat, sed sub generali assertione fieri solita, quod non est solitus tenere pecunias otiosas, quodque intendat istas traficis & negotiationibus exponere, cōveniat de interesse lucri cessantis, & tunc omninò 11

ve-

verior videtur opinio, quam tenet Curia, ut requiratur extrinseca specialis justificatio, juxta *dec.* 118. *Ubaldi*, & sæpiùs in aliis *hoc eod. tit.* Et è conversò damnanda est opinio aliquorum Regnicolarum, & aliquorum, quoniam ut benè etiam advertit unus ex ipsismet Regnicolis, vel Hispanis, *Carleval. de judic. tom. 2. disp. 8. sect. 6. num.* 103. industriæ & negotiationes non semper sunt lucrosæ, neque lucrum est certum, cùm frequenter damnum, atque ipsius sortis principalis jacturam, vel diminutionem causare soleant; Et ex qua ratione in jure dis-
12 positum habemus, tutoribus, vel aliis legalibus administratoribus interdictum esse pecunias pupillares hujusmodi negotiationibus exponere, ex plenè deductis per *Magon. dec. Florentin.* 1. *Sperell. dec.* 90. *Hodiern. controv.* 22. *& passim*; Ideoque non videtur, quomodo unquam ista conventio certi & determinati lucri in summa certa & uniformi, citra usuram, absque alia justificatione substineri possit, nisi quando congruè daretur concursus trium contractuum, & illius duplicis assecurationis sortis & fructuum, de qua *in Firmana disc.* 1. quod tamen, ut ibi advertitur, nimium difficile est, ut ad praxim deduci valeat.

Hæc discurrebam in genere, attento tempore conventionis, ac rebus in eo statu permanentibus; Pro successivo autem tempore accidentali, in quo ipsius rei fructus, ita notabiliter diminuti erant, non ad breve tempus, sed cum longo tractu successivo, ponderabam, quòd quicquid esset in casu primæ formæ contrahendi ut suprà per viam livelli, vel censuationis, quod non respicit materiam
13 usurariam, sed potiùs illam injustitiæ & læsionis, & de quo in sua sede *sub tit. de emphyteusi*; Quoties adest certum pretium, cujus dilati ratione inesse potest ut suprà, mutuum verum, vel interpretativum, adhuc procedendum est cum eadem distinctione dictarum quatuor specierum, seu formularum contrahendi; Si enim esset juxta secundam speciem supra exemplificatam, permanendi scilicet in simplicibus terminis emptionis & venditionis, & successivè in terminis *textus in d. l. curabit*, tunc quia isti fructus recompensativi dicuntur imago, vel ficta suppletio veritatis, excedere non possunt id, quod ipsius rei fructus veri important, ut suprà; Aut juxta tertiam speciem, per viam scilicet transfusionis pretii in diversum contractum censualem, & tunc posito, quòd contractus esset validus, quia nempe Bulla *Pii V.* non sit in usu, vel quia cum speciali Apostolica dispensatione per Breve concedi solita, creatus esset census absque tali forma, & tunc si ipsa res vendita solùm constituta est pro fundo censito, diminutio fructuum proportionabiliter cedit damno creditoris, cùm census substineri non valeat, nisi ad limites capacitatis fundi, ut in sua materia *sub tit. de censibus*, ubi præsertim id advertitur in eadem *Baron.* de qua *disc. præced.* Secus autem, si cautus venditor curaverit censum constitui super aliis fundis magis capacibus, quorum capacitas adhuc duret; Aut demum processum est juxta quartam speciem stipulationis damnorum & interesse ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ob impeditum ex facto & mora emptoris illud investimentum, in quod pretium destinatum erat, & tunc casus diminutionis rei venditæ cedere debet damno emptoris, tanquam domini, neque ulla videtur subesse ratio, cur venditor de illo participare debeat, dum è converso excrescentibus ipsius rei venditæ fructibus, de istis venditor participationem prætendere non potest, sive neque cogere emptorem ad supplendam illam diminutionem, quæ casualiter resultaret ex diminutione fructuum investimenti, ad quod dictum pretium erat destinatum, & hanc dicebam mihi videri veritatem.

Quatenus verò processum esset juxta dictam secundam speciem ad limites regulæ resultantis ex *l. curabit*, unde propterea usuræ excedere non possint ipsius rei fructus, atque excrescentes tanquam indebiti imputandi veniant in sortem, tunc remaneret etiam difficultas, de qua *disc. præced.* an scilicet ignorantia facti, vel juris dubii excusaret à dicta imputatione, atque excluderet malam fidem positivam, quam sufficit abesse ad inducendam excusationem à fructibus perceptis & consumptis, quamvis non suis, ut ibi.



# SENEN.
## SEU
# FLORENTINA,
## PRO
# MONTE PIO FLORENTIÆ,
## CUM
# HÆREDIBUS PANDULPHI PETRUCCII.

## *Responsum in casu resoluto pro Monte.*

An interesse per emptorem debitum ratione pretii non soluti excedere possit ipsius rei venditæ fructus; Et quid, ubi emptor non est in mora.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *In alternativis ad electionem creditoris, non facta electione, debitor dici non potest in mora.*
3 *Si debitor suscipit in se onus cambiandi intra certum tempus; an eo elapso teneatur, & num.* 6.
4 *Quare debeantur fructus recompensativi ex pretio rei fructiferæ, etiam sine mora.*
5 *Debentur etiam si emptor culpa venditoris sit impeditus solvere.*
6 *De eadem conclusione, de qua num.* 3.
7 *Observantia dicitur interpres etiam contractuum, & voluntatis contrahentium.*
8 *Fructus pretii ratione damnorum & interesse excedere possunt fructus ipsius rei.*
9 *Etiam in mutuo paciscì potest de interesse, quod debetur.*
10 *Potest debitor etiam teneri ad interesse alterius interesse in ratione multiplici.*

### DISC. XIX.

SEquuta inter Federicum & Pandulphum de Petrucciis, de anno 1616 permutatione aliquorum bonorum stabilium, cùm Pandulphus pro adæquatione refundere deberet Federico in pecunia scutos 450. quos iste destinaverat in extinctionem æris alieni fructiferi, quod habebat cum 1

Monte Pio Florentiæ ad rationem scut. quinque, & quatuor ex quinque partibus alterius scuti pro quolibet centenario & anno, cum conversione etiam fructuum decursorum in sortem singulis 18. mensibus, conventum est, ut Pandulphus pendente dicti pretii solutione, pro qua data erat dilatio biennii, solvere deberet dicto Monti præfatum interesse, & post biennium sortem, vel eidem Monti quatenus talem summam ei deberi comperiatur, vel ipsi Federico præstanti idoneam cautionem evictionis, vel hujus loco ad effectum investiendi in bona stabilia; Deindè verò de anno 1620. inter easdem partes initus fuit alter contractus emptionis & venditionis aliorum bonorum pro scutis 1300. solvendis dicto monti cum dictis solitis accessionibus pendente solutione præstandis per Pandulphum emptorem, qui donec vixit, eoque defuncto hæredes à dicto tempore usque ad annum 1664. non soluta utraque sorte, accessiones prædictas dicto monti solverunt; Ab indè verò prætendere cœperunt non teneri pro dicta prima partita scut. 450. quinimò ab ea in sorte, ac etiam à parte alterius sortis liberatos esse ob indebitam solutionem dictarum accessionum, cum quibus sors extincta fuisset.

Eorum fundamentum consistebat in deficiente mora post completum dictum biennium, ad quod dicta conventio restricta erat, quasi quod ex tunc cessata conventione intraret solùm dispositio juris, qua attenta debitor dici non poterat morosus, dum obligatio solvendi sortem alternativè concepta erat, vel scilicèt in extinctionem dicti debiti in toto, vel in parte, quatenus subsisteret, cujus contrarium ipse venditor putare asseruerat, vel ad effectum solvendi ipsimet venditori cum cautione, vel ad effectum investiendi in stabilia, unde propterea cum creditor elapso dicto biennio non declarasset modum, juxtà quem dicta solutio facienda erat, emptor dici non poterat in mora, ex regu-
2 la, quod in alternativis quorum electio, in loco, tempore, vel modo, est creditoris, electione non facta, debitor dici non potest morosus, *Alex. cons. 45. num 4. lib 5. Fab. de Ann. cons. 95 numer. 2. & seqq. Mantica dec. 171. numer. 5. Rot. dec. 577. par. 2 rec. num. 1.*

Atque ad probandam, quòd conventio non progrederetur ultrà biennium, scribentes pro eisdem hæredibus fundamentum constituebant *in Rotæ decisionibus editis in Romana cambii 8. Aprilis & 4. Decembris 1658. coram Cerro*, in quibus firmatur, quod inito contractu cambii ad triennium, in
3 quo debitor suscepit in se onus cambiandi; ob cujus oneris non implementum debentur cambia etiam sine spacciis, seu litteris, si non tanquam cambia, tanquam damna & interesse, ob non factum, sive ob non adimpletum cambiandi mandatum ab ipso debitore susceptum, juxtà firmata *dec. 7. post Salgad. in labyrint.* & frequenter, ut in sua materia *sub tit. de cambiis*, id procedat dicto triennio durante, quo elapso, tanquam ex cessante obligatione per debitorem suscepta, nulli fructus, seu cambia debeantur, ob non sequutam transmissionem litterarum, seu spacciorum.

His tamen non obstantibus, requisitus ex parte, Administratorum montis ad scribendum causa pendente coràm Magistratu in Civitate Senarum in causis ejusdem montis particulariter delegato, contrarium dicebam probabilius, etiam cum sensu veritatis, qualem habuit quoque judex, qui pro hac parte pronunciavit, Atque distinguendo quæstionem in duas inspectiones, Unam quoad dictas accessiones, seu usuras ad ratam, seu proportionem fructuum ex ipsis bonis per emptorem, seu permutantem perceptorum, Et alteram circà eorum excessum.

Quatenus pertinet ad primam, dicebam prorsus improbabilem, malèque fundatam esse debitorum prætensionem, quoniam fructus recompensativi, qui juxtà æquitatem, seu terminos *textus in l. curabit Cod. de action. empt.* debentur per emp- 4
torem venditori durante solutione pretii ad limites fructus ejusdem rei, non proveniunt à mora, neque illam exigunt, sed producuntur ex æquitate, ne quis eodem tempore habeat rem & pretium, unde propterea venditor non dicitur eos percipere tanquam lucrosas accessiones, sed tanquam restaurationem illorum fructuum, quos aliàs ex re sua fuisset percepturus; Et ex qua ratione resultat, quòd ubi etiam ex parte debitoris nulla intercedit mora, vel culpa in non solvendo, sed potius id provenit ex 5
culpa & facto ipsius venditoris non adimplentis ex parte sua, id quod prius adimplere tenebatur, putà non præstando fidejussorem, vel alia promissa non adimplendo, adhuc tamen hujusmodi fructus debentur, ut cæteris allegatis habetur apud *Gregor. dec. 297. num. 2. ubi adden. num. 12. Leotar. de usur. q 27. nu. 20. cum seq. & nu. 29. & 30.* cum aliis, quæ in fortioribus terminis habentur infrà *in Ravennaten. disc. 22. & in alia Senen disc. 23.* & est conclusio hodie in foro receptissima & plana.

Quarè aliqua dubitandi ratio restringebatur ad excessum, circà quem, in primis advertebam ad fallaciam dicti fundamenti cessantis conventionis 6
post elapsum biennium juxtà dictas decisiones *in Romana cambii coràm Cerro*, dum ab eis me scribente recessum fuerat *sub die 24. Aprilis 1662. & 23. Februarii 1663. coram eodem*; Et meritò, quoniam terminus adjectus non erat gratia extinguendæ, seu terminandæ obligationis, sed prorogandæ restitutionis sortis, & tanquam dilatio in gratiam ipsius debitoris, ne interim morosus dici posset, atque ad debiti solutionem urgeri, undè propterea potius ex lapsu termini resultare dicitur moræ incursus, atque ex tunc & non antea efficitur debitor morosus, Prorsus autem improbabile est, quod pro tempore dilationis, in quo debitor in nulla est culpa, vel mora subjacere debeat usuris, vel interfuriis, ab eis verò esse debeat immunis pro tempore, quo est in culpa & mora, dum ita esset reportare lucrum & commodum ex delicto, ut latius in eadem causa in sua materia *sub tit. de camb. disc. 9.* Omnem difficultatem in proposito removente subsequuta observantia, in proposito etiam ponderata *in d. Romana cambii*, quòd scilicet emptor elapso etiam 7
biennio, agnovit se dictarum accessionum debitorem, cùm observantia dicatur de jure optima interpres, nedum legum & statutorum, vel testamentorum, sed etiam contractuum & voluntatis partium, ut *decis. 324. num. 13. par. 11. rec. dec. 199. num. 12. & 13. par. 10 & passim.*

Posito igitur, quòd dicta conventio tractum successivum haberet, dicebam, quòd licèt regula sit, juxta probabiliorem opinionem, quòd hujusmodi usuræ, seu accessiones pretii excedere non possunt ipsius rei venditæ fructus, ex deductis *in Lucana disc. præced.* & frequenter in aliis, Attamen 8
ut *in eadem Lucana* habetur, ac etiam post hæc disputata, magis distinctè examinatum *in Æsina disc. seq.* Secus dicendum est, quando debitum non remanet in terminis simplicis pretii productivi accessionum ex sola æquitate *dictæ legis curabis*, sed vel legitimè transfunditur in alium contractum majorum fructuum, seu accessionum productivum, vel

intrat

intrat ratio interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, non ex sola partium conventione & assertione, sed extrinsecus justificati; Si enim de tali interesse conveniri potest etiam pro credito merè
9 pecuniario inter mutuantem, & mutuatarium, ex deductis *per Ciriac. controv.* 378. *num.* 16. *cum seq. & contr.* 526. *num.* 24. *cum seq. Leotar. q.* 72. *num* 5. *& 6.* & frequenter in aliis *hoc eod. tit.* Multò magis in isto casu, à quo magis abest usura, quia non intervenit mutuum verum, sed potiùs fictum & interpretativum. Et in fortioribus terminis obligationis emptoris, nedum ad ipsos fructus percipiendos ex effectibus, in quos pretium investiendum erat, sed
10 etiam ad longè gravius interesse fructuum ad formam multiplici, cujus onus ipse susceperat, firmatum fuit *in Romana multiplici, coram Remboldo & Ubaldo dec.* 85. *& 668. p.* 4. *rec. tom.* 2. *&* 3. & latiùs *in eadem* 18. *Martii* 1654. *coram Meltio*, quia non dicitur interesse alterius interesse ob non datum, & tanquam à debitore, sed ob non factum, tanquam à procuratore, seu mandatario ob non impletum susceptum mandatum, unde justa visa fuit determinatio.

# ESINA
## FRUCTUUM,
### *PRO*
## FRANCISCO MASSUTIO,
### *CUM*
## N. GUGLIELMO.

*Casus disputatus coram A. C. seu Prælato deputato, & resolutus pro Guglielmo.*

De eodem puncto, An fructus debiti per emptorem pendente solutione pretii excedere possint, tanquam damna & interesse fructus ipsius rei, quia nempe conventum fuerit, ut ex pretio extinguerentur census, vel alia debita usuraria venditoris ad majorem rationem; Et quid ubi emptor justam non solvendi causam habuit, ob litem, vel molestias sibi illatas.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Transactio extinguit priora jura, prioresque actiones.*
3 *Agi non potest ex prioribus juribus, nisi priùs tollatur de medio transactio per rem judicatam, & nu.* 5. *ubi declaratur.*
4 *Emptor cui lis mota est, non tenetur ad aliquod interesse lucri cessantis, vel damni emergentis pro pretio, nisi ad limites fructuum rei, & num.* 10. *ubi declaratur.*
5 *Declaratur conclusio, de qua num.* 3.
6 *Læsio dicitur enormissima, ubi est ultra bessem, & causat nullitatem.*
7 *Non potest tamen dici nullitas incontinenti probata, & de ratione.*
8 *De ratione, ob quam in transactionibus difficilè verificatur læsio præsertim enormissima.*
9 *Quando transactio afficiat successores venientes independenter ex persona propria remissivè*
10 *Expenditur conclusio, de qua* num. 4. *& contrarium verius probatur, cum auctoritatibus.*
11 *Ac etiam cum rationibus.*
12 *Quando lis vel molestiæ excusent emptorem à cursu fructuum seu damnorum & interesse ultra ipsius rei fructus.*
13 *Accollans in se census reputatur eorum debitor, ac si ipse imposuisset.*
14 *Quid importet, an accollatio sequatur per viam delegationis, nec-nè.*
15 *Quid dicendum sit in conclusione, de qua* num. 4. *& 10. quando lis & molestiæ moventur ab ipso venditore, vel ejus hærede.*
16 *Molestiæ quæ dantur ab ipso contrahente, non veniunt sub pacto, ut non teneatur liberare à molestiis.*

### DISC. XX.

VEndidit Antonius Fabrus prædium Guglielmo, qui in partem pretii in se 1
accollavit quosdam census per venditorem debitos ad rationem 8. pro centenario; Cùmque Cæcilia de Sanctis, Antonii uxor, ejusque hæres mediata ex persona Joannis Baldi filii, ex juribus, vel propriis, vel dicti filii litem excitasset contra emptorem super dicto prædio, post aliquod intervallum deventum est ad concordiam, quæ non obstante, eaque impugnata, eadem Cæcilia, vel Franciscus Massurius ejus hæres, in vim dictæ accollationis pulsavit Guglielmum in judicio executivo in vim obligationis cameralis coram A. C. seu Prælato deputato ad solutionem fructuum decursorum dictorum censuum, sed prodiit sententia rei conventi absolutoria ab observatione judicii, in cujus ferendæ limine, & quando Judex jam erat determinatus, requisitus fui per actorem ad scribendum, supplendo partes ejus soliti Advocati, qui ad aliud munus satis dignè evocatus fuerat.

Duo autem erant rei conventi fundamenta per Judicem amplexa, Primò & principaliter transactio, quæ tanquam species sententiæ, quinimò rei 2
judicatæ extinguere seu vulnerare dicitur priores actiones & jura, ita ut non nisi ejus vigore, ac pro ejus executione agi valeat, *cap.* 1. *de transact. l. non minorem, & l causam, C. eodem, Mantic. de tacit. lib.* 26. *tit.* 7. *num.* 4. *Burat. decis* 464. *num* 7. unde de consequenti resultat, quòd etiam in casu impugnationis ad effectum, ut ex prioribus juribus agi valeat, illa priùs tollenda est de medio per rem judicatam, vel tres conformes, ut antiquioribus collectis habetur apud *Cavaler. dec.* 150. *num* 4. *decis.* 86. 3
*num* 9 *par.* 6. *rec. Faventina primogenituræ* 21. *Junii* 1666. *Bevilaqua Urbinaten. pecuniaria coram Verospio decis.* 41. *post Patell. num.* 4. *& frequenter.*

Et secundò, quòd fructus pro tempore, quo pretium fuit penès emptorem, cui lis in re empta mota est, excedere non possunt ipsius rei fructus, quibus non liquidatis, attendenda venit taxa legalis, non obstante, quòd pretium convertendum esset in ex- 4
tinctionem æris alieni majoris fructus, vel in acquisitionem censuum, seu aliorum effectuum majoris redditus, ex specialibus auctoritatibus *Speculi decis.* 118. *num.* 72. *& Concioli alleg* 54. *num.* 30. *& seq.*

Quamvis autem Ego pro actore succumbente scribens, quatenus pertinet ad primum fundamentum transactionis, more Advocati deducerem conclusionem in abstracto veram, quòd scilicet transac- 5
tio dictum effectum vulnerativum operatur, quando habet implicitum statum validitatis, unde oporteret eam rescindere; secus autem, ubi est nulla ipso jure, quoniam non entis nullæ sunt partes,

atque nullum & nihil æquiparantur, ut admittitur in eadem *Faventina primogenitura*, & cum eodem sensu processum fuit in posterioribus decisionibus editis *in d. Vrbinaten. coram Verospio* revocatoriis præcedentis superius allegatæ apud *eumdem Paitell. decis.* 42. & 46. Et quam distinctionem receptam in simili habemus in materia vulnerationis obligationis Cameralis, seu litterarum Apostolicarum, aut alterius processus executivi resultantis à sententia absolutoria; Nihilominus reflectendo ad veritatem, motivum mihi videbatur solidum, & consequenter probabilis visa est sententia absolutoria, quoniam plures nullitates ex defectu solemnitatum deductæ non videbantur subsistentiam habere.

Illa verò solidior, quæ deducebatur ex læsione ænormissima ultrà bessem, quam in Curia, sequendo firmata apud *Fontanell. decis.* 64. *cum seq.* 6 receptum est inducere nullitatem ratione doli præsumpti, qui inesse dicitur juxtà firmata *in Romana transactionis* 15. *Decembris* 1659. & 19. *Aprilis* 1660. & in sua materia *sub tit. de empt. & vend.* dici non poterat clara & incontinenti probata, sed erat altioris indaginis, atque exigebat eamdem terminationem in judicio ordinario per rem judi- 7 catam, vel tres conformes super extrinsecis probationibus, ex quibus pendet inspectio, an adsit læsio ænormissima necnè; & sic dubietas non est super puncto juris, an illa posita resultet nullitas cum pluribus ejus consequutivis effectibus, sed est super ipso facto, ac firmanda qualitate talis læsionis, super qua ejusque justificatione requiritur declaratio judicis, qui potest decipi, potissimè verò ubi non agitur de simplici contractu emptionis & venditionis vel permutationis, aut simili, sed de transactione, in qua licèt juxtà opinionem in Rota & Curia hodie absolutam, intrent termini textus *in l.* 2. *Cod. de rescind. vendit. & in cap.* 2. *& 3. de emptione & venditione*, Attamen nimium 8 difficile, atque quodammodò moraliter impossibile videtur talem læsionem concludere, dum attendendus non est ipsius rei intrinsecus, & naturalis valor cum arithmetica proportione inter ipsum valorem, ac pretium seu aliam æquivalentiam in contractum deductam, sed valor metiri debet ab æstimatione dubii & incerti litis eventus, quæ æstimatio videtur impossibilis, dum quotidiè experimur, quòd etiam post tres conformes Rotales latas præviis multis decisionibus per tres instantias editis, ac etiam post earum executionem ex judicio Signaturæ rescribentis cum clausula, *sinè præjudicio trium conformium*, adhuc diversus est causæ eventus, ut præsertim patet ex casu de quo *in Bonon. fideicommissi de Pepulis sub tit. de fideicommissis*, Atque frequenter retractari videmus res judicatas, etiam quæ diuturnam observantiam habuerunt, revocando etiam antiquas decisiones coràm *Seraphino, Cavaler. & aliis*, Ideoque non videtur quomodò dubius litis eventus ita æstimari valeat, quod desuper cadere possit læsio ænormissima, nisi ageretur de lite omnino calumniosa vel collusiva, ita gerendo voluntariam prohibitam alienationem sub palliato nomine transactionis & cum lite affectata, ut pluries in hac materia, ita distingu- 9 endo habetur *sub tit. de fideicommissis*, super articulo, an & quando transactio afficiat successores ex propria persona venientes, de quo etiam habentur aliqua in terminis feudalibus in *Camerinen. Castrorum sub tit. de feudis disc.* 49. & in materia emphyteutica *in Bononien. de Pepolis sub tit. de emphyteusi disc.* 52. Et in specialibus terminis læsionis, cujus ratione transactio ab eodem transigente vel ejus hærede impugnari valeat, habetur *in d. Romana transact. pro Honorato sub tit. de empt. & venditione.*

Quoverò ad alterum fundamentum, quod fructus debiti per emptorem habentem pretium in manibus, non obstante ejusdem pretii destinatione in extinctionem vel respectivè acquisitionem censuum, aliorumque effectuum majoris redditus, excedere non possint ipsius rei fructus, si ob litem vel ex alia causa excusatur à mora, duas constituebam inspectiones, Unam generalem super veritate dictæ propositionis in abstracto, ac super subsistentia dictarum doctrinarum, in quibus eo ipso quod sunt speciales, absque alia discussione hodiernus stylus est immorandi, Et alteram specialem seu in concreto, quid scilicèt in isto præciso casu dicendum esset, ob ejus particulares circumstantias.

Circa primam, cum sensu etiam veritatis, dicebam doctrinas prædictas nulla consideratione dignas esse, siquidem apud *Sperell.* non iste sed alter articulus principaliter disputatus fuit, solumque 10 *nu.* 72. incidenter cum regulis generalibus id enunciatur, undè liquet in hac parte obiter, ac indigestè, non gustato articulo Auctorem loquutum esse; Idemque observabam dici posse de auctoritate docti quidem & elaborati mei amici *Conciolì*, in cujus casu agitur de emptore excusando ab hujusmodi fructibus in genere ob rem non traditam, atque ob illius casus particulares circumstantias, de quibus in aliis duabus subsequentibus allegationibus, benè ipse fundat & tuetur jura sui clientis, solumque *numer.* 30. incidenter, & cum illis verbis, *omisso quod opinio non est tuta*, refert *Sylvan. cons.* 10. *Molinam* & alios mutuatos, ut ipse ingenuè testatur, ex *Leotar. quæst.* 71. *numer.* 13. sed hanc opinionem *Sylvani* & sequacium esse minus turam, magisque probabilem esse illam *Hondedei cons.* 30. *numer.* 23. *& sequen. & cons.* 44. *numer.* 9. *& sequen. lib.* 1. benè probat cum auctoritatibus, & rationibus *doctissimus Leotar.* cujus auctoritas in hac materia usuraria magnifacienda videtur, utpotè per eum satis maturè & accuratè tractata *dicta quæst.* 71. *num.* 15. *cum sequen. ad* 23. Potissimè ubi, ut in præsenti, non agitur de interesse lucri cessantis, itaut venditor contendat de lucro, sed de altero damni emergentis, in quo distinguendo inter lucrum, & damnum, iidem *Sperell. & Conciol.* id admittunt.

Atque *Hondedei* & sequacium opinionem esse probabiliorem, ut scilicèt emptor non obstantibus molestiis & lite super re empta passis, interim teneatur ad hoc interesse, quamvis excedat ipsius rei fructus, fuit specialiter decisum per *Rotam apud Martin. Andr. decis.* 31. *repetit. post Cenc. de cens. decis.* 191. & cum qua proceditur *apud Merlin. tom.* 2. *controv.* 50. *num.* 37. & sic attentis auctoritatibus, ista videtur opinio melius fundata.

Idemque dicendum esse advertebam attentis rationibus potius attendendis, quoniam si in simplici 11 & vero mutuo pecuniario, in quo accessionum substantia generaliter est prohibita, adhuc tamen licitè pacisci potest de interesse lucri cessantis vel damni emergentis, quoties istius justificatio aliàs quàm ex partium conventione & assertione concurrat, Multomagis dicendum est in hac specie crediti, in qua accessionum substantia in genere est licita, solaque dubitatio cadit circà plus & minus, ut advertitur in aliis hoc *eodem titulo*, præsertim *in Lucana discur.* 18.

Et quidem nimis asperum, ac irrationabile videtur, ut habens rem parùm fructiferam, & ad

so-

solum oblectamentum, putà villam Tusculanam, vel conspicuum palatium, volensque domui suæ meliùs consulere, privando se oblectamento ac existimatione ex hujusmodi bonis resultantibus, talem rem vendat, destinato pretio in extinctionem censuum, vel alterius æris alieni, quo prematur, sive in acquisitionem bonorum, vel jurium fructiferorum, debeat ita elusus remanere per litem, quam emptor ita affectare posset, ut interim absque cursu fructuum bursalium, habeat in manibus pretium, ac obtineat illum oblectamenti, ac existimationis fructuum, qui ex hujusmodi bonis reportari dicitur, contra legem conventionis, ac propriæ obligationis, à qua liberari poterat, deponendo pretium, non liberandum, nisi cum debitis cautelis, seu aliàs ejus indemnitati consulendo, bona tamen fide, ac citra conventionis violationem.

Tunc autem superventæ lites & molestiæ in proposito operativæ videntur, quando ageretur de illo interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, 12 quod ex dispositione juris resultaret ex sola ratione moræ, pro qua tollenda sufficiunt hujusmodi causæ, seu excusationes, & quo casu, cessante mora, nullum debetur interesse, solùmque intrant isti fructus recompensativi ad limites fructuum ipsius rei, tanquam illorum loco subrogati, ex æquitate *textus in l. curabit, Cod. de action. empt.* Sed ubi accedit conventio, potissimè verò per viam accollationis, quia nempe emptor in se accollaverit census, quibus venditor super ipsamet re vendita, vel aliis bonis premebatur, tunc contrarium omnino dicendum est, quoniam accollatio importare dicitur formalem novationem, sive transfusionem debiti de una specie in alteram, perinde ac si emptor directè ipsos census imposuisset, occultatis actibus 13 solutionis, & novæ impositionis, respectivè *ex deductis per Ceno de cens. quæst. 73. num 16. Merlin. decis. 543 num. 1. Rot. decis. 135. num. 23. par. 6. rec. Anconitana census 3. Junii 1658. Verospio, & sæpius.* Ideoque interim quòd non sequatur evictio, neque resoluto contractu, causa reducatur ad non causam, emptor perseverat in rei dominio, & possessione, atque dicitur esse in statu debitoris censuarii, etiam in spe lucri, quod reportare posset, si fundus censitus interim chasmate periret, & consequenter debet subjacere etiam damno fructuum, ex regula *secundùm naturam, &c.*

Et quamvis per scribentes in contrarium motivaretur, dictam rationem occultatæ solutionis & conversionis debiti in causam omnino diversam intrare, quando interveniret formalis delegatio, secus autem ista cessante. Nihilominùs re- 14 plicabam, istam considerationem rectè procedere in ordine ad punctum liberationis ipsius emptoris à debitis accollatis in casu sequuræ evictionis, ut ejus obligatio tanquam causativa, cessante causa, resolvatur juxta *cons. 421. Decii cum aliis per Rotam in Parmen. Datii coram Coccino decis. 428. num. 4. par. 1. rec. Bonon. census 4 Februarii 1654. Meltio Amat. resol. 21. num. 1.* quod in casu formalis delegationis in plurium sententia non intrat, ut *ex Cuiaccio*, & aliis ex professo subsitnet *Merlin. lib. 1. controv. 91.* & de quo articulo habetur particulariter actum *in Sutrina, sub tit. de emptione & venditione*; Sed circumscripto isto effectu, donec emptor possidet, atque contractus perseverat in suo implicito statu, dicta distinctio nullius operationis videtur.

15 Difficultatem tamen in hac facti specie mihi faciebat contra actorem illa circumstantia, quòd non ageretur de lite mota per tertium, quam venditor dicere posset injustam, & quo casu urget dicta probabilis ratio, quòd ipsemet emptor ita studiosè lites & molestias affectare posset, sed ageretur de molestiis illatis ab ipsomet venditore, seu eo qui venditorem repræsentabat, unde propterea duplex ratio contra ipsum urgere videbatur; Una, quòd non poterat ipsemet propriam turpitudinem allegando dicere, quòd lis esset injusta & calumniosa, à qua in se suscepta, ipse venditor eum liberasset, & sic emptor rectè dicere potest credidisse ex facto ipsius actoris causam censeri redactam ad non causam.

Et secundò ob regulam, quòd in quocunque actu semper exceptæ remanent illæ molestiæ, quæ proveniunt ab eo, qui contractum servare tenetur, 16 atque potiùs aliorum molestiis occurrere; Unde propterea habemus, quòd si quis vendat vel cedat bona vel jura, talia qualia, absque aliqua obligatione evictionis, vel liberationis à molestiis, adhuc tamen sub ista protestatione non veniunt molestiæ, quæ directè vel indirectè ab ipso cedente, seu aliàs contrahente proveniant ex deductis *apud Merlin. decis 874.* repetit. *post Zacch. de obl. camer. dec. 237.* & conferunt deducta *apud Celsum decis 78. num. 5. & seqq.* atque istud motivum me tenebat dubium.

# NEAPOLITANA PECUNIARIA,

*PRO*

## PASCHALE CARACCIOLO,

MARCHIONE MACCHIE-GODENÆ.

*CUM*

## HORATIO MANCINO.

*Casus disputatus in Signatura Justitiæ, & resolutus pro Caracciolo.*

De fructibus recompensativis pro pretio rei fructiferæ, An possint à principio conveniri & taxari ad certam summam, Et quando hæc dicatur justa, vel excessiva.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Executio debiti jurati non retardatur per exceptionem usuræ.*
3 *Licita est conventio super fructibus recompensativis pro pretio rei fructiferæ etiam ad certam summam.*
4 *Quoties accessiones vel usuræ debentur in genere seu substantia, non prohibetur earum conventio ad certam taxam, & quando secus.*
5 *De differentia inter fructus recompensativos vel dotales, & interesse lucri cessantis ex mutuo.*
6 *Ad quam rationem fructus recompensativi conveniri possint, & an ad majorem, quam importent ipsius rei fructus.*
7 *In dubio præsumptio est pro taxa, & quando isti fructus debeantur juxta taxam legalem.*
8 *De ratione, ob quam in conventionalibus non attenditur taxa legalis.*

9 *Casus*

9 *Casus in quo tales fructus excedere possunt illos rei venditæ.*

10 *Quare pendentibus his disputationibus retardandus non est processus executivus pro solutione fructuum.*

## DISC. XXI.

1 VEndidit Caracciolus quædam bona Mancino, atque pendente solutione pretii, quæ in arbitrium & facultatem emptoris collata fuit, conventum est de fructibus ad rationem octo pro centenario; Cùmque in plurium annualitatum solutione morosus fuisset debitor, contra eum, vel per Curiam Archiepiscopalem, vel per Nuntiaturam Neapolis, in vim pacti exequutivi relaxatum fuit mandatum, adversus quod, & pro ejus executione impedienda obtenta fuit ab A. C. inhibitio vigore appellationis, pro cujus moderatione adita Signatura, acerrima assumpta fuit disputatio, prætendente debitore ex plurium Doctorum sententia, hujusmodi fructuum conventiones ab initio ad certam uniformem taxam esse usurariam & prohibitam; Et quòd ubi etiam licita esset, adhuc tamen dicenda esset nimium excessiva ad rationem octo pro centenario, cùm bona stabilia præsumantur solùm fructare ad rationem quinque, ita ut fructus spatio viginti annorum sortem adæquent, juxta receptam *gloss. in auth. perpetua, Cod. de sacrosanct. Eccles.* unde propterea ejus defensores inferebant, illum excessum plurium annorum spatio solutum, imputandum esse in sortem principalem, ita notabiliter extenuatam, & ex cujus extenuatione ita paulatim facta, resultabat etiam cessatio fructuum currentium, qui soluta sorte deberi non possunt.

Pro creditore scribens circa initia assumptæ professionis, ultra regulam deductam *ex cap. debitores, de jurejur.* 2 quòd scilicet debiti jurati executio retardari non possit per exceptionem usuræ, ex deductis per *Graff. de except. cap. 28. num. 6. Seraph. de privil. juram cap. 116. num. 4. & sequen. Surd. cons. 327. num. 15. & sequen.* quam tamen regulam nunquam vidi in Curia admissam & practicatam, nisi dato fumo boni juris creditoris, vel saltem reducendo oppositam usuræ exceptionem ad casum dubium, itaut dici possit exceptio altioris indaginis. Vel ad summum, ubi agitur de debito sortis, non autem de ipsius fructibus, qui usurarii prætenduntur.

Dicebam dictam exceptionem deduci ex abundanti, cùm inspecto etiam bono jure, justitia creditori assisteret; 3 Quicquid enim aliqui dubitaverint, omnino verior est opinio, recepta etiam in Curia Romana, quæ cæteris omnibus Mundi Tribunalibus in hac usuraria materia est rigorosior, licitum esse de hujusmodi fructibus pretii rei fructiferæ ab initio convenire, quamvis in facultate venditoris positum esset ipsum pretium reperere; Facilius verò, quando secus, quoniam in effectu tales fructus non dicuntur accessiones ob retardatam pecuniæ solutionem, ita ut dici valeat commodum resultans ex mutuo vero, vel interpretativo, sed dicuntur restaurativi illius damni, quod venditor interim passus est, carendo re & pretio, sive sunt subrogati loco illorum fructuum, quos venditor percepisset, si rem venditam pendente solutione pretii retinuisset, *ad text. cum ibi notatis in l. curabit, C. de action. empt.*

Quoties autem fructus vel accessiones debentur 4 in genere, vel in substantia, prohibitum non est, eos ad justam & verisimilem summam ab initio taxare, ad communiter notata per *Canonistas in cap. conquestus, de usuris. Dec. in cap. venerabilis, num. 65. de except. Covarr. lib. 3. variar. cap. 4. num. 5. Mantic. de tacit. lib. 4. tit. 24. num. 22. cum sequent. Leotar. de usuris, quæst. 27. Rota dec. 13. par. 5. rec.* & passim, cùm sit hodie conclusio, quæ tanquam absoluta præsupponi potest; Licèt enim circa interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, mutui veri vel interpretativi, Rota & Curia admittat quidem hujusmodi conventiones ab initio ad certam uniformem taxam, 5 non tamen admittat exactionem, nisi illa extrinsecus, & in specie justificata, ut Regnicolæ & alii admittunt; Attamen id non provenit ex negatione dicti principii, ut scilicet dato debito in substantia seu genere, liceat ab initio pacisci, sed provenit ex eo, quòd Curia exigit talis interesse requisita extrinsecus justificari debere cum probationibus specialibus, itaut non sufficiant generales occasiones, seu partium assertiones & conventiones, ex deductis apud *Ubald. decis. 118. & hoc tit. sæpius*; Hæc autem difficultas cessat in hujusmodi fructibus compensativis debitis pro pretio rei fructiferæ, eo modo, quo in fructibus restaurativis onerum matrimonialium, & similibus, dicta extrinseca probatio necessaria non est, atque in hoc differt iste casus ab illo crediti merè pecuniarii pro mutuo vero vel interpretativo, & hoc jure passim vivitur.

Quoverò ad alterum punctum taxæ, in quo aliqua major fuit difficultas, licèt *Dec. & Covarr. ac alii*, de quibus suprà, senserint hujusmodi fructus 6 conveniri posse, etiam ad octo, & decem pro centenario, præsertim ubi pretium convertitur in contractum annui redditus, in quo illud ex parte venditoris fiat irrepetibile, & cum qua opinione pertranseunt Regnicolæ, ac alii, de quibus *in Lucana disc. 18.* Nihilominus quoties pro eodem pretio validè non creatur census cum interventu pecuniæ numeratæ, juxta formam præscriptam à Bulla *Pii V.* Curia nunquam recepit hanc opinionem, sed decernit hos fructus ad ratam, & proportionem fructuum, quos ipsa res vendita produxit, quacunque contraria conventione non obstante, ut longè post hæc tractata habetur *in dicta Lucana*, ac etiam *in Baren. Census, disc. 17.* & in decisionibus in ista editis.

Est benè verum, quòd interim præsumptio est pro taxa conventionali, quam nullibi jure cautum est, præcisè restringendam esse ad illam inductam *ex dicta gloss. in auth. perpetua*, quoniam ea tanquam præsumptiva admittitur solùm in ea taxa, quæ ces- 7 sante partium conventione, facienda est per Judicem adversus emptorem morosum hujusmodi fructuum debitorem ex juris dispositione; Sicuti enim ista præsumptio non tollit, quin fructus esse possint minores, itaut emptore id probante, veritas tali præsumptioni prævaleat, *ut d. disc. 17.* ita èconversò non concludit, quin esse possint majores ex more regionis, seu alia facti circumstantia, ideoque non constito de contrario, præsumptio assistit conventioni, præsertim juratæ.

Aliam quoque ponderando rationem, meo judicio convincentem, ob quam non data contraria probatione, taxæ conventionalis, executio retar- 8 danda non est, quòd scilicet res vendi potuerit pro minori pretio, quàm in effectu valeat, ob licitam circumventionem infrà dimidiam justi pretii, juxta terminos *textus in l. 2. Cod. de rescind. vendit. & in cap. 3. de empt. & vendit.* & sic res, quæ valeat mille, & consequenter juxta dictam legalem præsumptionem fructet 50, vendi potuerit pro 600.

quo-

quorum fructus licitè conveniri possunt ad septem vel octo pro centenario, quia hæc major summa repartita in vero valore non excedit taxam legalem.

Sive etiam quod major fructuum taxa dici possit pars pretii, quia nempè isto intuitu res vendita esset minus quàm in effectu valeat, cum tunc non dicatur accessio prohibita & usuraria, sed potiùs dicatur pars pretii, seu dicantur fructus restaurativi damni, quod patitur venditor, vel econversò compensativi lucri, quod ita emptor percipit in pretio correspectivè diminutio, dummodò augmentum sit dictæ diminutioni proportionatum, atque absit usurarum fraus, itaut dici non possit color quæsitus, Undè propterea regula generalis & indeterminata desuper dari non potest, sed totum pendet ex singulorum casuum individuis circumstantiis pro judicis prudenti arbitrio regulandis.

Et ex his pro creditore prodiit resolutio super inhibitionis moderatione, facilius in his casibus concedenda, cum debitori ex processu executivo nullum causetur præjudicium, quia si ratione fructuum solvit in excessu ac ultrà debitum, sibi consultum est cum sorte principali, quam habet in manibus ita diminuendam, Et econtrà si fructus debentur, irreparabile est creditoris præjudicium ex retardatione.

Ex eisdem fundamentis idem longè post hæc obtinuit in Rota in una *coràm Bichio Baren. Salviani* pro Laura Barone & Isabella Regna contra Leonardum de Rubeis, ubi agebatur de pretio domus cum taxa conventionali fructuum recompensativorum ad rationem septem pro centenario, in qua causa prodierunt decisiones 10. *Iunii* 1652. & 24. *Martii* 1653. *coràm præfato Bichio.*

# RAVENATEN.
## FRUCTUUM,
*PRO*
## PP. JESUITIS RAVENNÆ.

*Responsum pro veritate.*

An fructus recompensativi debiti ex æquitate *l. curabit* pendente solutione pretii rei fructiferæ, debeantur, si emptor per Judicis sequestrum, vel inhibitionem impeditus fuit nè solveret.

### *SUMMARIUM.*

1 *Casus controversiæ.*
2 *Dictum punctuale alicujus Doctoris absque contradicente, an & quandò attendi debeat pro casu legis.*
3 *Consulentium auctoritas suspecta.*
4 *Fructus recompensativi ob quam rationem debeantur.*
5 *Debentur etiam cessante mora vel culpa debitoris in solvendo.*
6 *Ampliatur etiamsi emptor protestetur.*
7 *Non debentur ex dilatione conventionali.*
8 *An impedimentum ex facto Iudicis excuset.*
9 *Quandò emptor à dictis fructibus excusetur.*
10 *An sequestrum excuset.*
11 *De alio casu controversiæ.*
12 *Et de alio casu consimili, & quod excuset depositum.*
13 *Sequestrum sive justum, sive injustum excuset, & de ratione.*
14 *Non excusat si est collusivum, & affectatum.*
15 *An excuset si supervenit post moram.*
16 *Non excusat à fructibus recompensativis, nisi fiat depositum ut supra nu. 8. & 9.*
17 *An depositum non benè factum excuset.*
18 *Quomodo in hac materia judicandum sit.*

### DISC. XXII.

FACTA per PP. Collegii Societatis Jesu Ravennæ venditione cujusdam prædii fructiferi pro scutis 2000. Petro de Petris, ex quibus delegarunt scut. 1200. solven. quibusdam de Morettis, cùm ad instantiam eorumdem venditorum factum esset sequestrum, seu judicis inhibitio emptori, nè dictas pecunias delegatas solveret, sed penes se retineret, donec aliàs per ipsum judicem demandatum esset, undè sequutum est, quòd emptor spatio annorum sex, rem & pretium tenuerit, dubitatum fuit, an hoc medio tempore ad fructus recompensativos teneatur, & cùm pro parte emptoris allegaretur punctualis auctoritas *Pacian. cons.* 111. de jure interrogatus pro veritate. 1

Respondi, quòd licèt apud nostros receptum sit, ut dictum punctuale alicujus Doctoris absque contradictore pro casu legis haberi debeat *Mart. voto 6. num. 7. Rot. dec.* 122. *in fine par.* 5 *rec.* cum aliis copiosè cumulatis *per Adden. ad decis.* 20. *num.* 42. *par.* 3. *rec.* juxtà secundam impressionem, Attamen id intelligendum est, ubi tale dictum aliquod habet juris fundamentum, vel legalem rationem, itaut à juris principiis non deviet, secùs si absque fundamento, seu cum non veris præsuppositis loquatur, ut *per Castill. tom.* 2 *contrv cap.* 23. *numer.* 16 *Cyriac. contr.* 50 *numer.* 3. & *Rot. decis.* 438. *numer.* 10. & 13. *par* 9 *rec.* ubi concordantes; Et hoc maximè, ubi tractatur de dicto Consulentium, quorum fides semper suspecta est, cùm ad pecuniam vel clientis affectionem scribere soliti, multa minùs vera assumant, proindeque integri testes habendi non sunt, ut per *Caball. resol. crim.* 287 *nu.* 85. & *Rot.* 3 *d. dec.* 438. *numer.* 12. *par.* 9. *rec.* Undè benè *Franch. decis.* 260. *num.* 5 *in fine*, & *seq.* advertit, quòd ubi allegantur consilia, opus esset videre decisiones in eo casu emanatas, quod etiam habetur per *Rotam in Lauden. census* 21. *Junii* 1666. *coram Taja in fine*; Quotidiè siquidem experimur, quod Advocatorum munus exercentes, atque ad causæ servitium scribentes, multa ingeniosè in puncto juris assumunt, quæ in judicando rejiciuntur; Nec aliàs dicta propositio intelligenda est, nisi ubi agitur de puncto satis dubio, in quo juris principiis vel rationibus hincinde colluctantibus, vel deficientibus, omninò incertum remaneat, quid jure statutum sit; Tunc enim punctualis decisio Doctoris spectanda est, aliàs enim esset dare auctoritatem Imperialem cuilibet Doctori ejus scripta imprimere volenti, faciendi leges, quod utique omninò absurdum est, undè propterea benè fundati, & veri Doctores per juris principia magis quàm per Doctorum præsertim modernorum & consulentium multò minùs collectorum dicta veritatem perquirere solent.

Quicquid ergò Clienti inserviendo dicat *Pacian. consil.* 111. cujus tantùm, non gustato nec examinato articulo, relator est *Paitell. jun. in addit. ad expeditionem senioris annot.* 30. *num.* 10. loquendo

do cum solo sensu veritatis, Respondi, omninò de jure verius videri, emptorem, qui non soluto pretio rem emptam retinuit, & fructus percepit, cessante conventionali dilatione, teneri ad fructus recompensativos, quamvis ex judicis sequestro vel quocumque alio legitimo & justo impedimento
4 fuerit excusabilis, ita ut de mora redargui non valeat, quoniam, quicquid voluerint aliqui de quibus *Pacian. d. cons.* 111. omninò receptum ac verius est, hujusmodi fructus non deberi ratione moræ, sed propter usum rei, qui ex impedimento diminutus non est, & nè contingat emptorem ita esse in lucro de re aliena, & cum alterius jactura locupletari.

Undè propterea venditor hujusmodi fructus consequi dicitur, non tanquam usuras vel interesse ratione retardatæ solutionis, sed tanquam rem propriam, quasi quod interim quod pretium non solvitur, ex quadam legis æquitate & fictione, ad istum effectum fructuum, res vendita perseverare dicatur in priori dominio venditoris; Atque hinc sequitur, quod etiamsi ex istius facto vel culpa positiva pretium non solvatur, adhuc
5 receptum est, fructus deberi, ex deductis *per Gabr. cons. 56. num. 3. lib. 1.* latè *Surd. cons.* 101. *num.* 23. *cum seq Leotar. de usur. quæst.* 27. *num.* 27. *cum duobus sequen. Grätian. discept.* 588. *numer.* 22. *& sequen.* benè *Rota decis.* 370. 397. *&* 424. *par.* 3. *rec.* quod etiam dixit *apud Duràn. decis.* 34. *num.* 26. *cum sequen. In Romana Cambiorum* 28. *Aprilis* 1651. §. *Siquidem coram Verospio*, & omnium meo judicio melius *Beltramin. ad Greg. decis.* 297. *nn.* 12.

Idque adeò verum, ut procedat etiam si prævisо
6 casu impedimenti, expressè emptor sibi ex pacto consuluerit, ut non teneatur pretium solvere, donec ex parte venditoris implementum sequatur, ut *ex Rota Gratian. & aliis locis citat. Leotar. dicta qu.* 27. *num.* 30.

Atque uno tantùm casu emptor ab hujusmodi fructibus non soluto pretio excusabilis videtur,
7 ubi scilicèt concurrit dilatio conventionalis, non alia ratione, nisi quia hæc dicitur pars pretii, quod intuitu fructuum interim solutione pendente percipiendorum præsumitur esse majus, ut benè *Leotar. loco cit. & Rot. in alleg. decis.* præsertim *dicta decis.* 424. *par.* 3. *rec.*

Nec refert, quod omnes dictæ auctoritates & decisiones, loquantur de impedimento proveniente
8 ex non implemento seu alio facto venditoris, non autem ubi agitur de impedimento proveniente ex præcepto judicis, quoniam inter unum casum & alterum nulla de jure dignoscitur differentia; Quinimò majus est factum partis, nempè venditoris, qui volens poterat majorem dilationem emptori gratiosè concedere, ac fructus condonare, quod dici non potest de judice, cui non conceditur de alienis disponere. Et nihilominus, quamvis in venditore non adimplente seu aliàs emptorem impediente, tacita dilatio resultare dicatur, attamen quia non est de illa dilationis specie, quæ ab initio in contractum deducta, dici possit pars pretii, non excusat, ex jam dicta irrefragabili ratione, quod hujusmodi fructus non debentur propter culpam vel moram debitoris, sed propter usum rei, quem non soluto pretio habere non debuit, sivè solutionis defectus provenerit ex uniusvel alterius culpa, quia semper idem resultat effectus perceptionis hujusmodi fructus sine causa cum illicita locupletatione de alieno, habendo eodem tempore, rei & pretii usum duplicatum.

Eoque magis in hanc sententiam omninò deveniendum dicebam, quia tractabatur de fructibus temporis notabilis, ita ut emptor verè de alieno locuples fieri diceretur, poterat enim venditor inhibitus de facili impedimentum removere, atque se ab hujusmodi onere eximere, deponendo pretium penes eumdem judicem inhibentem; Atque pro clarius refellenda opinione *Paciani*, quem non habemus inter milites adeò gravioris armaturæ, observabam, quod ipse innititur falso & rejecto fundamento, quod scilicèt isti fructus ratione moræ potiùs deberentur; Undè tanquam innitens minus vero fundamento non est attendendus.

Uno autem tantùm casu (cessante conventionali 9
dilatione) emptor non soluto pretio ab hujusmodi fructibus excusandus videtur, sivè impedimentum proveniat à præcepto judicis, sivè à non implemento, vel alio facto venditoris, ubi scilicèt constaret eum interim tenuisse otiosam pecuniam ad hoc paratam, aliis usibus non applicabilem, itaut si hujusmodi fructus solvere cogeretur, esset in damno & jactura, quibus subjacere non debet ex culpa venditoris; Quod frequenter in praxi contingere solet, quia nempè quis vendat ejus bona, seu aliàs pecuniam obtineat vinculatam ad effectum investiendi, & quæ destinata in emptionem rei fructiferæ deponatur in banco ad effectum illam solvendi venditori, postquàm adimpleta fuerint ea, quæ in contractum deducta sunt, tunc enim emptor non dicitur esse in lucro, atque pretium ex ejus parte dicitur jam solutum, itaut cesset duplicatus usus, tam rei, quàm pretii, & in qua duplicati usus ratione consistit istorum fructuum debitum, & hæc mihi videbatur certa & genuina veritas.

Et nè desit auctoritas punctualis, dum juxtà modernum abusum, potiùs dicta indigesta vel malè fundata DD. attenduntur, quàm juris vera 10
principia & propositiones, ita in individuo fructuum recompensativorum pretii non soluti, ut debeantur non obstante sequestro advertit *doctissimus Leotar. de usur. quæst.* 38. *numer.* 26. *vers. vel nisi pecunia debeatur*; Et mirificè idem comprobatur *ex decisione* 103. *Caput. par.* 1. ubi quod fructus census debentur, quamvis debitor esset promptus restituere sortem, impeditus à sequestro, quam decisionem refert & sequitur *Carrocc. de sequestro p.* 3. *quæst.* 23. *Leotar. dicta quæst.* 38. *numer.* 26. *in principio.*

Eumdem punctum post hæc scripta disputandum habui in Signatura justitiæ *in una Forosempronien.* 11
*pecuniaria pro Valerio Zanca* emptore prætendente non teneri ad hos fructus ob sequestrum sibi factum, contra quem A. C. relaxavit mandatum; Isto autem casu videbatur adesse aliqua major probabilitas, quoniam sequestrum factum erat ad instantiam unius ex creditoribus, & respectivè venditoribus, sed nisi probaretur verè emptorem habuisse solutioni promptam pecuniam, quam ex hoc impedimento retinuerit otiosam, adhuc idem dicendum credebam, quia non potest factum unius aliis præjudicare, atque de facili emptor posset cum uno ex pluribus colludere, ideoque totus punctus esse videtur, an emptor sit in lucro habendi rem & pretium.

Longè autem post hæc scripta consimilem controversiam disputavi coràm Prælato judice commissario *in una Eugubina* pro Cenciattis, cum Comite Francisco de Benis; Cùm enim iste vendidisset illis de anno 1654. prædium pro scut. 2700. ex quibus soluti fuerunt 2000. data dilatione pro residuo, 12
qua pendente, ad instantiam aliquorum creditorum venditoris factum fuit mandatum sequestrativum

rivum emptoribus, ne solverent sub pœna duplicatæ solutionis, dictique emptores illinc ad triennium, de anno scilicet 1637. mense Septembris, dictum residuum deposuissent penes idoneum publicum campsorem, à quo de mense Novembris sequentis venditor habuit scut. 200. sub obligatione, vel illos restituendi, vel excomputandi in dicto depositio, quod jam sibi fuerat intimatum; Hinc ad plures annos venditor prætendere cæpit fructus recompensativos sub dicta rata cadentes pro toto tempore decurso, atque mandatum executivum in prima instantia obtinuit, per A. C. in secunda instantia cum sententia absolutoria revocatum; Unde commissa causa alterius appellationis Prælato, hic difficultatem habebat ex motivo nullitatis dicti sequestri ex eo, quòd per Judicem incompetentem, ac non servatis de jure servandis, illud appositum esset.

Hanc autem difficultatem ego in hac tertia instantia pro emptore scribens, etiam cum sensu veritatis, minus probabilem dicebam, quoniam se-
13 questrum sive justum, sive injustum excusat, ut in specie *Seraphin. decis.* 912. *num.* 1, & 2. confirmata coram eodem *dec.* 919 *Leotar. de usur. quæst.* 38. *num.* 25. *in fine*, ex ea clara ratione, quòd Judicis inhibitio sive justa, sive injusta timenda est, neque in facultate inhibiti repositum esse debet, Judicis partes assumere, atque judicare de nullitate vel injustitia ejus, quod judex & superior præcepit, minusque tenetur se exponere periculo reiteratæ seu duplicatæ solutionis resultantis à spretu mandati sequestrativi, sed cogiter creditor ad revocationem; Ea enim quæ in jure habentur de sequestro sine justa causa, & partis citatione non apponendo, procedunt, vel ubi est in fieri ad effectum impediendi, ne apponatur, Vel ad effectum revocationis concedendæ, non autem ut sequi non debeat excusatio moræ in inhibito, nisi constaret de collusione
14 & mala fide, quia nempè ab ipso debitore affectatè id procuratum esset, ex deductis *per Cancer. var. resol. par. 2. cap. 4. numer.* 28. Potissimè verò ubi, ut in præsenti, sequestrum supervenit re integra, & antè moram incursam, quo casu cessat illa difficultas, quæ in proposito cadere solet, ubi supervenit post moram incursam ex collectis hincindè *per*
15 *Cancer. ubi suprà num.* 29 Atque ita distinguendo habetur etiam in alia quæstione, an & quando solvens alteri quàm vero creditori de mandato judicis excusetur nec-nè, juxtà *decis.* 150. *Afflict.* cum aliis *per Praturn obser.* 5. & 6. & pluries in sua materia *sub titulo de credito.*

Difficultas verò contrà eumdem emptorem rectè cadebat pro dicto tempore triennii, in quo rem & pretium retinuerat, quoniam sicuti sequestrum cessare non facit cursum census, seu alterius annui
16 redditus, ita pariter impedire non debet hos fructus, qui ex veriori, ac probabiliori sententia non sunt usuræ debitæ ratione moræ & quæ pœnales dicuntur, sed succedunt loco fructuum ipsius rei, quos nec justum, nec æquum est, ut percipiat emptor, qui pretium non solvit, ut benè advertitur *per Leotar. superius citatum q.* 38. *num.* 26. & *q.* 27. *numer.* 14. In utroque tamen loco advertitur cessare tales fructus post depositam pecuniam, cùm tunc cessare videatur unica ratio retentionis rei & pretii, undè supereset solùm ratio moræ, quæ ex solo sequestro tollitur, multòmagis ubi accedit etiam reale depositum, quod omnem affectationis, vel collusionis suspicionem tollit.

Motivabatur de præfati depositi invaliditate ob omnia ejus requisita non benè servata, præsertim circà non præviam ipsius creditoris interpellationem, per quam constitueretur in mora, sine 17
qua debitori licitum non est ad depositum procedere, quia deponere non est solvere, ex iis quæ in hac materia collecta habentur *per Cenc. de cens. q.* 111. *Gregor.* & *Add. dec.* 146, & 214. *Rovit. prag.* 4. *de instrum. liquid. nu.* 7. & *seq. Prat. obser.* 25, & 26. *Merlin. dec.* 744. *dec.* 2. *par.* 10. *rec.* & *frequenter d. tit. de credito*; Ponderando etiam nullitatem resultantem à non integritate, quod est unum de ejus essentialibus requisitis, dum depositata sorte principali neglectum fuit deponere fructus dicti triennii probabilius debitos; Verùm id neque obstare videbatur, quoniam ex supra deductis in alio casu juxtà punctuales auctoritates *Paciani* & *Pastelli*, saltem negari non potest esse probabiliter dubium, an hujusmodi fructus debeantur necne, quod sufficit, ut non interet dicta obligatio deponendi, cùm intelligatur de liquidis, & quos omnino certum est esse debitos, non autem de incertis & illiquidis, quorum indebitum justè & probabiliter prætendi potest ex plenè deductis *per Rotam dec.* 228. *nu.* 14. *par.* 9. *rec. repet. dec.* 70. *nu.* 10. *post Merlin. de pignor.* quod summam habet rationem, quia non tenetur quis facere se judicè contra se ipsum, atque non exspectata judicis determinatione solvere id, quod probabiliter prætendit non debere.

Ac etiam quoad alios defectus, quod hic rigor procedit in eo depositio, quod cessare facit cursum fructuum, quos aliàs jure actionis certum est deberi, ut est exempli gratia in contractu censuali, vel simili, secus autem in præsenti, in quo sufficit de facto cessare dictum inconveniens, quod aperit locum æquitati *text. in l. curabit C. de action. empti*, ut scilicèt emptor eodem tempore non sit in lucro habendi rem & pretium; Et multòmagis dum dictum depositum approbatum videbatur ab eodem creditore, qui recipiendo partem pecuniæ se obligavit illam in ejus causam excomputare, ut in proposito depositi defectivi sanandi ex consensu creditoris firmatur *in Romana fructuum dotis* 28. *Ianuarii* 1661. *coram Verospio*, licèt in eo casu, de quo agitur *sub tit. de dote in Romana fructuum dotis de Magdalenis, disc.* 51. hæc propositio fortè non benè cade-
ret; Ideoque ista videtur quæstio, potiùs facti quàm 18
juris, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda, principaliter habendo respectum ad bonam, vel malam fidem, sivè ad sinceritatem actus à collusionis suspicione alieni, quia nempe emptor verè & realiter deposuerit pecuniam, & non habuerit simultaneum commodum ejus, ac rei emptæ, in quo consistit præcipuum, ac essentiale requisitum hujusmodi fructuum, seu ratio *text. in d. l. curabit.* Verùm ex dicto motivo depositi in stricta juris censura malè facti etiam hic Judex pronunciavit contra emptorem.

# SENEN.
## FRUCTUUM,
*AD*
## PETITIONEM EQUITIS AMERIGHI DE AMERIGHIS,
*CUM*
## MARTINIS.

*Responsum pro veritate extra Curiam.*

An emptor, in cujus facultate positum fuit, post lapsum certum terminum conventionalem, deponere pretium penes publicum Officialem, vel etiam penes seipsum tanquam depositarium ad sui electionem, cum pacto, ut etiam in casu electionis de se ipso, ad aliquos fructus non teneatur, remaneat à dictorum fructuum cursu liberatus, eo ipso quòd dictus terminus expiravit, absque alia interpellatione, vel declaratione, quod retineret in titulum depositi.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Ubi pretium convertitur in alium contractum, non intrat dispositio* l. curabit, *& non debentur fructus recompensativi.*
3 *Regulariter dicti fructus debentur etiam sine mora, & quamvis emptor justam haberet excusationem non solvendi.*
4 *Emptor potest esse depositarius pretii, & ita non teneri ad fructus recompensativos.*
5 *Quod judiciale sequestrum excuset emptorem à fructibus recompensativis.*
6 *Ut emptor efficiatur depositarius, seu aliàs pretium in diversum contractum transeat, est declarandum, & venditori denunciandum.*
7 *Ponderantur circumstantiæ exclusivæ dictæ novationis.*
8 *Fructus recompensativi non possunt excedere veros ipsius rei fructus.*

## DISC. XXIII.

1 EMIT de anno 1655. Eques Amerigus de Amerighis ab hæredibus de Martinis quædam bona, pretii parte soluta, reliquatus verò solutione dilata ad terminum 20. mensium, sub conventione interim fructuum recompensativorum ad quinque pro centenario, quòdque dicto termino elapso, licitum esset emptori, ad effectum se liberandi à dicto interesse, deponere dictum residuale pretium penes quæstorem Montis pascuorum Civitatis Senarum, vel quòd ad ejus electionem ipsemet emptor habeatur loco & vice depositarii, depositario nomine conveniendi, quo casu ad præfatum interesse ampliùs non teneatur, non obstante, quòd haberet in manibus rem & pretium.

Elapso termino prædicto, nullaque declaratione per emptorem facta, quòd dictum residuale pretium penes dictum quæstorem non depositatum, penes se ipsum pro depositato haberi vellet; Orta est quæstio, an ex dicto tempore fructus prædicti ad conventam rationem deberentur, vel potiùs obstaret prænarratum pactum, unde desuper ab ipso Amerigo emptore pro veritate consilium expetitum fuit.

Pro ipso emptore excusando, considerari posse videbantur firmata in his terminis *per Leotar. qu.*
2 *27. nu. fin. & Testay alleg. 16. num. 36.* quòd licèt isti fructus recompensativi non debeantur ratione moræ, sed ex sola æquitate non retinendi eodem tempore rem & pretium, & ne se locupletaret emptor cum aliena jactura, percipiendo fructus ex re aliena, cujus pretium solutum non est, itaut etiamsi em-
3 ptor justum non solvendi impedimentum habens à mora esset immunis, adhuc ad eos teneatur, ex deductis per *Leotar. d. qu. 27. num. 27. cum seq. Surd. cons. 101. num. 23. cum seq. Gratian. discept. 588. num. 22. & seq. Duran. dec. 297. num. 12. & dec. 370. 397. & 424. par. 3. recen. & hoc titulo frequenter.*

Nihilominùs id procedit, ubi emptor remanet in terminis emptoris, atque pecunia debita est ex eodem contractu emptionis, itaut pretii speciem, seu qualitatem retineat; Secus autem, ubi ex novatione transmutetur in aliam speciem contractus, quia nisi concurrant legitima accessionum requisita in isto novo contractu necessaria, nulli fructus debentur, neque privilegium causæ originariæ habetur in consideratione; Utputà, si pars pretii convertatur in cambium, cujus realitas per litteras non justificetur cum similibus; Quod etiam locum habet in pecunia dotali, excepto casu, in quo conversio in alium contractum fiat solùm simulatè pro cautela exercendi magis promptam viam executivam, prout usitari solet in Regno Neapolitano convertendi quantitatem pro dote promissam in mutuum, ut non semel in sua materia *sub tit. de dote*, ubi agitur de usuris dotalibus.

Et hic videbatur casus, quoniam non dubitatur emptorem legitimè deponentem pretium, ab hujusmodi fructuum, seu interfuriorum cursu liberari, neque de jure prohibitum videtur, eumdem em- 4
ptorem in depositarium ex conventione eligi posse, ob reduplicationem personarum, quæ in uno eodemque subjecto passim in jure datur, cùm ita non personam emptoris ampliùs, sed diversam depositarii gerere dicatur, neque pecunia retineat naturam pretii ex causa emptionis debiti, sed conversa sit in diversum contractum depositi, pro quo nullæ accessiones per depositarium deponenti de jure debentur, itaut intret dicta conclusio cessationis fructuum ob transfusionem in alium contractum, ex deduct. *per Leotar. d. qu. 27. num fin.* ubi allegantur *Soccin. Surd. & cæteri.*

Motivando etiam, eidem emptori assistere posse firmata per *Pacian. cons. 11.* cum quo relato per- 5
transit *Paitell. jun. in annot. ad alterum Paitell. annot. 30. num. 10.* quòd scilicet judiciale sequestrum emptori factum ne solvat, ab hujusmodi fructuum debito excuset, multò magis ubi ex conventione adest expressa transfusio in diversum contractum, cum specifica conventione, ut interim nulli fructus deberentur, licèt dicta opinio sit parum tuta, ut hoc *eod. tit.* specialiter de hoc actum habetur *in Ravennaten. disc. præced.*

His tamen non obstantibus, contrarium de jure probabilius contra ipsum emptorem requirentem respondi ex defectu applicationis præmissorum, quæ aliàs vera credebam in suo casu, ubi scilicet ipse emptor sibi concessam alternatam facultatem ad exercitium deduxisset, declarando se depositarium, idque venditoribus denunciando; Quo casu stante immutatione, tam personæ, quàm debiti, credidissem illum ampliùs non teneri, sed punctus erat, quòd id non fecit; unde propterea venditores credere potuerunt, illum in priori conventione continuasse, ob quam certi de cursu fructuum ad honestam rationem, neglexerunt esse solliciti de investimento, aliàs verisimiliter non negligendo, si sciviſſent pecuniam positam esse sub depositio infructifero; Et sic duo obstabant, Unum non factæ declarationis super electione concessa emptori de duobus alternativè conventis, qua non facta, ipse nunquam dici potuit depositarius; Et alterum non factæ denunciationis, quam in proposito necessariam credebam.

Ad quod, circa denunciationem probandum, ponde-

ponderabam receptam propositionem, de qua a-
6 pud *Caruil. dec.* 182. *& dec.* 346. *num.* 6. *par.* 10. *rec.* & in aliis, de quibus non semel *sub tit. de cambiis*, quòd scilicet data alicui facultate sub certa conditione capiendi pecuniam ad cambium, vel aliud interesse in damnum dictam facultatem concedentis, ut ab isto intersuria juridicè prætendi valeant, duo requiruntur. Unum, quòd Facultatarius declaret sibi concessa facultate uti velle; Et alterum, quòd mandanti denunciet evenisse casum, ipsumque mandatarium velle mandatum exercere, cùm aliàs debitor, seu mandans credere potuerit, casum non evenisse, sive mandatarium facultate uti noluisse, & consequenter ita neglexerit solutionem, vel aliud implementum aliàs non neglecturus, & hic videbatur casus.

Potissimè verò accedentibus facti circumstantiis idem comprobantibus. Una scilicet, quòd venditores essent pupilli & minores, cum quibus benignius in proposito procedendum est, dum isti non agunt de lucrosis, & in jure odiosis accessionibus, (quo casu qualitas pupillaris non habetur in consideratione, ob dispositionem Juris Canonici, per quam usuræ quoque pupillares sublatæ sunt,) sed agitur de casu converso, in quo emptor potiùs de lucro captando, & se de alieno locupletando contenderet cum sola verborum formula.

Et altera, quòd in facto supponebatur, eumdem emptorem hoc intermedio tempore, de quo erat controversia, prædictorum venditorum tutori, & respectivè curatori, aliquas pecuniarum summas,
7 simpliciter & liberè solvisse in computum debiti ex causa emptionis, unde propterea duo resultabant excludentia effectuationem dictæ novationis; Unum, quòd dictum fuerat solvi pro eo quod debebatur ex priori causa, quam ita solvens agnovit non immutatam; Et alterum resultans ex inverisimilitudine, quia cùm hoc residuale pretium in sorte destinatum esset investimento bonorum stabilium loco cautionis pro evictione, improbabile est, quòd emptor vir sagax & providus, hujusmodi cautelam negligere, ac remittere voluerit liberè solvendo, unde propterea intrabat potiùs præsumptio, quòd dicta libera solutio facta esset in causam fructuum, quibus summa soluta non incongrua erat.

Ut enim sæpiùs habetur in materia dotis confessatæ, *sub tit. de dote*, licèt cautela investimenti, utpote adhibita favore dotantis, seu debitoris, ab isto remitti valeat, itaut non per hoc veritas solutionis cesset, etiam ad effectum obtinendi subsidiarium remedium, *Auth. res quæ* pro dote soluta restituenda ex bonis fideicommissi; Nihilominus libera solutio, dictæque cautelæ remissio, utpote inverisimilis, reputatur magnum adminiculum exclusivum veritatis dotis confessatæ, aliunde non justificatæ; Quod ex paritate rationis videbatur etiam ad rem applicabile, ideoque concludendo, requirenti consului, quòd eo meliori modo, quo posset, desuper concordare curaret.

Ad hujusmodi autem concordiam honestan-
8 dam, ac facilitandam, insinuabam, advertendum esse ad quantitatem fructuum, citra ipsius emptoris culpam ex bonorum emptorum qualitate usque ab initio perceptorum, & an reverà ascenderent ad summam conventionalem quinque pro centenario; Quatenus enim (ut attenta qualitate regionis probabiliùs erat,) ad tanti non ascenderent, justè prætendere poterat, se non nisi ad ipsorum fructuum ratam teneri, excomputando etiam id, quod durante dicta dilatione 20. mensium solutum est in excessu ex conventione, quæ juxta veriorem opinionem, non data conversione pretii in aliam speciem contractus, ratam prædictam excedere non potest ex iis, quæ habentur hoc *eod. tit.* frequenter deducta, præsertim *in Lucana fructuum, & in Baren. census, disc.* 17. *&* 18. & in aliis.

# PISTORIEN.
## FRUCTUUM,
*PRO*
## ILLIS DE ROSSIS,
*CUM*
## HÆREDIBUS JACOBI PARDINI.

*Responsum pro veritate extra Curiam.*

Demandata per Judicem adjudicatione aliquorum bonorum debitoris ad favorem creditoris, si postea idem debitor, vel ejus hæres eadem bona vendat, dilata solutione pretii sub conditione fructuum recompensativorum, An isti debeantur creditori, vel potiùs cedant ad commodum debitoris, ejusque hæreditatis.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Fructus rei adjudicandæ debentur ei, cui adjudicatio fieri debebat, & num.* 9, *&* 10.
3 *De eisdem fructibus debitis deliberatario, seu adjudicatario, licèt adjudicatio deinde retractetur, & num.* 9.
4 *Fructus recompensativi ex æquitat.* l. curabit, *spectant ad dominum, non autem ad creditorem ex pretio satisfaciendum.*
5 *De controversia in hoc puncto, inter* Marescott. & Leotar.
6 *Sententia sine executione non transfert dominium, nec possessionem.*
7 *Sententia, seu mandatum de adjudicando, non importat adjudicationem.*
8 *De tribus requisitis adjudicationis, & quando adesse non dicantur.*
9 *Declaratur conclusio, de qua num.* 2, *&* 3.
10 *Item de conclusione, de qua num.* 2. *& an creditor, cui res adjudicanda erat, petat fructus tanquam damna & interesse.*
11 *Debitor non prohibetur etiam post executionem & pignus prætorium vendere ejus bona.*

### DISC. XXIV.

FOrmato concursu creditorum in bonis hæreditatis Jacobi Pardini, prodiit sententia graduatoria à partibus acceptata, per quam, illos de Rossis in quodam loco graduatos, dictum fuit, satisfaciendos esse ex pretio cujusdam domus hæreditariæ jam distractæ, & quatenus exinde dicta satisfactio sequi non posset, eis adjudicandam esse tantam partem cujusdam prædii hæreditarii, quæ eorum credito ad æstimationem peritorum proportionata esset; Post cujus sententiæ prolationem, hæredes prædictum prædium vendiderunt

cuidam Cellesio, dilata solutione pretii sub conventione fructuum ea pendente ad rationem quinque pro centenario. Cùmque notabilis dictorum fructuum cumulus ob plurium annorum decursum factus esset, atque præfatorum de Rossis satisfactio sequi non potuisset ex domus pretio per creditores anteriores absorpto; hinc orta est controversia in partibus super hujusmodi fructuum recompensativorum pertinentia inter hæredes, ac præfatos de Rossis creditores.

Isti etenim prætendebant, quòd pro rata dictæ domus eis in vim dictæ sententiæ adjudicanda, ad ipsos tanquam ex tunc dominos spectare deberent; Atque aliqui, etiam in Curia desuper consulti, pro eis respondendum esse credebant, freti auctoritate Rotæ 2 *in una Bonon. de Guidalottis, coram Verospio, dec.528. p.2. recen.* ubi decreta fuit ad favorem ejus, cui adjudicatio debita erat, pertinentia fructuum rei adjudicandæ, ponderando præsertim *num.4.* rationem interesse lucri cessantis, stante certa voluntate creditoris habendi loco pecuniæ rem fructiferam; Ac etiam ponderabant in idem dicti Consulentes deducta *per Magnil. de subhast. qu.162.* 3 *num.13. & 14.* ubi cumulantur plures decisiones decernentes fructus rei deliberatæ, vel adjudicatæ ad favorem deliberatarii, seu adjudicatarii, quamvis deinde talis actus retractatio resultaret.

Contrarium pro veritate per eosdem de Rossis consultus, respondi, veriùs videri, quoniam ista quæstio non erat cum emptore volente ab hujusmodi fructuum solutione se excusare, & cui regula juris resistit, habendi eodem tempore rem & pretium contra æquitatem, *text. in l. curabit, Cod. de action. empti, cum ibi notatis*, sed posita eorumdem fructuum substantia per emptorem non controversa, quæstio erat super pertinentia, circa quam respondendum dicebam ad favorem ejus, qui domini & venditoris personam gerebat, & ad quem aliàs hoc medio tempore de jure spectassent fructus ve- 4 ri, quorum loco isti recompensativi subrogati sunt, & sic ad dominum, & ratione dominii, non autem ad creditorem ex pretio satisfaciendum pertinentes, Ut in specialibus terminis hujusmodi fructuum habetur *apud Marescott. lib.2 var. cap.133. Mellin. decis.178. Rota decis.258. num.3. par.10. rec. in Tiburtina Castri S. Angeli 14. Februarii 1656.* §. *Respectu enim coram Meltio*; Cùm enim creditor pecuniarius rei dominium non haberet, non potest percipere fructus, qui dicuntur dominii sequela; nam aliàs esset recipere accessiones ex pecunia naturaliter sterili & infructifera ratione temporis, in quo consistit usura.

Et quamvis in casu posito per *Marescott. dict. cap.* 5 *133. & Leotar. de usuris, qu.78. num.18, & 19.* relata præfati Auctoris sententia, contrarium sentire videatur, nihilominus quicquid esset de veritate unius vel alterius opinionis, & cui potiùs ex his Auctoribus deferendum esset; Observabam, quæstionem cessare ex facto, quoniam totum impugnationis fundamentum, cui *Leotar.* innititur, consistit in præsupposito, quòd creditor gereret personam cessionarii venditoris, cujus nomine hujusmodi fructus petebat ab emptore indebitè illos deneganti, quia sive ad cedentem, sive ad cessionarium spectarent, semper ipse erat debitor, neque ille, qui vendiderat, se opponebat, & sic omnino diversus erat casus à præsenti, in quo nulla erat quæstio cum emptore, dictorum fructuum debitum non controvertente, sed erat inter debitorem priorem dominum vendentem, & creditorem.

Nullatenus verò in creditore concurrere videbatur dicti prædii venditi dominium, cujus ratione hujusmodi fructus tanquam ejus sequela debentur, non obstante dicta decreta adjudicatione; Tum quia illa erat conditionalis, quatenus scilicet satisfactio sequi non potuisset ex pretio domus, ideoque conditionalis dispositio non purificata priùs conditione, nihil ponebat in esse; Tum clariùs, ex generali recepta propositione, quòd sententia (ubi 6 non est absolutoria, seu trahens executionem ipso jure,) sed exigit alium factum post se, non transfert dominium, nec possessionem, nisi post executionem, ex qua utrumque resultat, *Greg. dec.546. num. 19. Roias dec.412. nu.6. dec.172. nu.5. & dec.569. num. 9 p.5. rec. dec.424. num.2. par.9.* & in aliis.

Et in specialibus terminis sententiæ seu mandati 7 de adjudicando, ut non importet adjudicationem, neque transferat dominium, nisi ejus effectu subsequuto, *Gratian. discept.545. num 32. Buratt. dec.124. num.12.* ubi *Adden. lit. A.* plenè *Rota decis.148. num.2. cum pluribus sequent.* ubi *Concordantes par. 10. recent.*

Multò magis ac indubitanter in hac facti specie, ex duplici notabili circumstantia impeditiva translationis dicti dominii; Una, quòd dictum mandatum de adjudicando ut supra erat subsidiarium seu conditionale, ideoque debebat priùs certificari conditio; Et altera, quia non agebatur de re certa, cujus integra adjudicatio decreta esset, ita ut ex 8 tribus vulgaribus requisitis adjudicationis, seu dationis in solutum, cum terminis emptionis & venditionis regulandæ, certitudinaliter concurrerent duo, nempe consensus, & certa res, unde solùm dubitatio restringeretur ad certum pretii certi, quod implicitè juxta unam opinionem tale dici posset, utpote relatum ad æstimationem peritorum in genere, juxta ea, quæ in proposito venditionis factæ pro pretio à peritis æstimando habentur *apud Merlin. dec.567.* aliàs *decis.172. par.6. rec.* & in sua materia *sub titulo de emptione & venditione.*

Ita enim neque consensus erat certus, ob voluntatem, ut satisfactio priùs sequeretur ex dicto altero pretio; Neque aderat res certa, cùm mandatum esset adjudicari tantam ratam, quæ sub dicto credito caderet, absque distinctione loci seu partis, unde incertitudo aderat, tam in quantitate, quàm in loco, itaut si interim prædium prædictum non venditum chasmate periisset, seu aliàs deterioratum esset, peremptionis vel deteriorationis periculum, non creditorum, sed hæredum, seu hæreditatis fuisset, & consequenter, cessantibus dominio, & periculo, nulla subesse videbatur ratio suadens pertinentium dictorum fructuum, qui sunt dominii & periculi sequela.

Neque præmissis obstare videbantur firmata *per Rotam d. decis. 528. par.2. rec.* & in aliis collectis 9 *per Mangil. dict. qu.162. num.13, & 14.* quoniam omnes procedunt in terminis adjudicationis effectuatæ, mediante possessione, quam adjudicatarius habuerit, itaut iste contenderet de se excusando à restituendis fructibus interim cum bona, vel saltem non mala fide perceptis, & hoc est præcipuum dictarum decisionum fundamentum, ut liquet præsertim *ex d. decis. 528. par. 2. rec.* & ex aliis coram *Buratt.* inter suas *dec.184, & 227.* ubi de deliberatario interim possidente, unde propterea non videbantur facere ad casum.

Duæ autem considerationes ad favorem dicto- 10 rum creditorum cadere videbantur; Una damnorum, & interesse, ob illicitam alienationem, quam hæredes fecerant rei non suæ, utpote creditoribus

jam

iam destinatæ, & altera interesse lucri cessantis, fructuum scilicet, quos ex ipsis bonis percepissent, si adjudicatio per dictam alienationem non impedita, effectum sortita esset; Verùm neutram mihi visum est subsistere, non quidem primam, quia non prohibetur debitor, etiam post pignus prætorium, vendere ejus bona, quæ exinde non desinunt esse de ejus dominio, dummodò non fiat in præjudicium creditorum, quibus cum pretio ad id destinato satisfacere intendat, *Bart. in l. ubi purè*, §. *fin. ff. ad Trebell. Mangil. de subhah. quæst.* 190. apud quem deducta in fine procedunt, ubi deliberatio vel adjudicatio effectum sortita est, & habetur non semel in sua materia, *sub tit. de empt. & vend.* præsertim *in una Bononien.* ideoque cùm hæredes suo jure usi sint, vendendo rem suam, nil illicitum commiserunt, ob quod ad damnorum refectionem teneri debeant.

Minusque alteram, quia cùm adhuc esset res in ambiguo, ob non certificatam conditionem, quòd
11 satisfactio sequi potuerit ex domus venditæ pretio, quod priùs ad id destinatum erat, neque creditores declarassent, velle ipsam rem præcisè, sequebatur non remanere benè justificatum necessarium requisitum damni emergentis, vel lucri cessantis, quòd scilicet dicta venditio fuerit causa præcisa & immediata damni passi, vel lucri amissi, ut necessarium esse, juxta opinionem, quam tenet Rota & Curia, habetur frequenter in præcedentibus; Idcoque, dum isti semper remanserant in terminis puri creditoris pecuniarii, eis imputandum videbatur, cur non fecerint debitas protestationes, aliasque cautelas adhibuerint, ob quas potuissent unum vel alterum interesse prætendere; unde propterea requirentibus consului, quòd se concordarent eo meliori modo, quo possent, quia dum remanebant creditores pecuniarii, non poterant ex tali credito prætendere accessiones absque usura, attenta præsertim opinione, in qua residet Romana Curia.

# ROMANA
## INTERSURIORUM,
*PRO*
## ANGELO ANDOSILLA,
*CUM*
## VANNIO.
*Casus disputatus coram A. C. & concordatus.*

An, & quando emptori debeantur fructus recompensativi ad terminos *l. Curabit*, pro pretio soluto venditori, qui rem non tradidit.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Dispositio* l. curabit, *secuti procedit favore venditoris, ita etiam favore emptoris.*
3 *Consignatio cedulæ seu ordinis directi banco, an habeat vim solutionis.*
4 *Et cujus periculo cedat banchi decoctio.*
5 *An adsit differentia inter cedulam & ordinem.*
6 *De fructibus debitis emptori post passam evictionem.*
7 *Et quid si non est passus evictionem, quam prævenit mediante solutione pecuniæ, an pro ista debeantur fructus recompensativi.*

*Card. de Luca de Usur. & Interess.*

### DISC. XXV.

VEndidit Vannius Andosillæ quasdam domos suorum majorum fideicommisso subjectas, recepto pretio mediante ordine directo Sac. Monti Pietatis, cum obligatione impetrandi 1
intra certum terminum derogationem Apostolicam fideicommisso, cui bona vendita subjecta erant. Cùmque nulla sequuta traditione dictarum domorum ob denegatum consensum aliorum interesse habentium, impossibilis esset dicta derogatio, itaut opus fuerit à contractu recedere, atque hoc medio tempore plures decursi essent menses, hinc prætendere cœpit Andosilla, pro pretio in dicto ordine contento, sibi debitos esse fructus recompensativos ad ratam illorum fructuum, quos percepisset ex bonis venditis, si contractus incontinenti effectum habuisset ex æquitate *textus in l. curabit, Cod. de action. empti*, & introducta causa coram A. C.

Pro actore scribens, fundatam dicebam ejus intentionem, quia licèt *text. in d. l. curabit*, loquatur favore venditoris contra emptorem retinen- 2
tem rem & pretium, quasi quòd rei venditæ dominium translatum sit sub conditione solutionis pretii, qua non impleta, illud effingatur adhuc perseverare in ipso venditore, qui propterea fructus rei suæ petere dicatur, tanquam antiqui dominii sequelam & continuationem, quæ ratio non militat in casu converso, cùm emptor nunquam habuerit dominium, quod in rebus corporalibus non quæritur sine traditione; Nihilominùs magis communiter receptum est, atque ita passim servat forus, ut eadem æquitas procedat quoque in dicto casu converso favore emptoris; Vel ex eadem ratione, ut æquum non sit, carere re & pretio, Vel loco damnorum & interesse ob non impletam traditionem rei venditæ, cùm in odium non adimplentis actus habeatur pro gesto, ne morosus, seu alias propriæ obligationi non satisfaciens, commodum ex delicto reportet, in præjudicium alterius contrahentis innocentis & injuriati ob sibi non servatam fidem, *Natta cons.* 384. *num.* 12. *Surd. cons.* 101. *num.* 26. *Magon. decis. Lucen.* 17. *num.* 31. & 34. *Duran. decis.* 34. *num* 32. *Greg. decis.* 337. *num.* 7. *ubi Adden. num.* 18. *Leotar. de usuris, quæst.* 27. *num.* 54. & *seqq.* qui omnes id firmant, sive pretium solutum esset in toto, sive in parte, cùm eadem ratio militet pro parte soluta proportionabiliter.

Scribentes in contrarium, non negabant hujus propositionis veritatem, impugnabant verò applicationem ob non verificatam eam circumstantiam, quòd venditor eodem tempore haberet rem & pretium, dum in facto constabat, ipsum nunquam exegisse ordinem à Monte Pietatis, ubi pecunia continuavit ad creditum, & sub nomine ipsius emptoris; Replicabam tamen, quòd cùm ipse venditor acceptasset dictum ordinem tanquam pro pecunia numerata, quoties in banco adest pecunia mandantis, itaut absque difficultate solutio incontinenti sequi potuisset, tunc per talem receptionem dicitur sequuta vera & effectiva solutio, atque sibi 3
imputet recipiens, cur non exegerit, ut in proximis terminis cedulæ bancariæ ex *theor. Bart. in l. soluturus ff. de solut. Greg. d. decis.* 337. *num.* 8. *Rovit.*

*decis.* 35. *num.* 8. & *decis.* 88. *num.* 6. ubi dicit, id ex omnium traditione verissimum, quoties cedula erat solvibilis, ita ut si fuisset banco consignata, sequuta esset incontinenti solutio.

Et licèt adduceretur in contrarium auctoritas *Galeot. lib.* 2. *contr.* 10. dicebam tamen, de hac auctoritate haberi non debere rationem, cùm esset scribentis ad causam, seu pecuniam cum succumbentia, dum contrarium fuit decisum apud *Rovit. d. decis.* 35. ut ipsemet *Galeota* ingenuè fatetur, ideoque rectè adaptabatur id, quod dicit *Franc. decis.* 260. *num.* 5. & 6. quòd ubi allegantur consilia,
4 opus est videre decisiones in eis proditas; Unde propterea banchi periculum recipientis damno cedere, firmatur in dictis decisionibus, ac etiam per *Leotar. de usuris q.* 59. *nu.* 41. quia sibi imputet recipiens, cujus negligentia præjudicare non debet mandanti, qui justè credere potuit, ordinem esse impletum, ideoque non curavit ampliùs pecuniam, tanquam non suam exigere, aliàs exacturus.

Et quamvis in materia creationis censuum, ubi pro forma requiritur pecunia numerata, constitui videatur differentia inter ordinem & cedulam, quoniam hoc secundo casu, ubi venditori vel debitori traditur cedula, non potest ampliùs emptor seu
5 creditor, qui eam tradidit, pecuniam exigere à banco, quod absque cedulæ restitutione non solvit; secus autem in simplici ordine, cujus exhibitione & effectuatione pendente, liberum est mandanti exigere pecuniam in banco existentem, ideoque satisfactum non dicitur formæ pecuniæ numeratæ, ut ita distinguendo firmavit aliquando Rota, præsertim *in Licien. census* 18. *Maji*, 1654. & 17. *Maji* 1655. *Priolo Romana Salviani*..... 1666. & ..... 1667. *Otalora & sapiùs*, ut habetur in sua materia, *sub tit. de Censibus*, in qua distinctione scribentes in contrarium magnum fundamentum faciebant, dum in præsenti agebatur de ordine, non autem de cedula; Nihilominus ad effectum quæstionis intrare non videbatur dicta ratio differentiæ, quoniam cùm post traditionem ordinis, emptor non potuisset absque delicto (in dubio non præsumendo) illam pecuniam jam alteri sic traditam exigere, regulando voluntatem a potestate, à qua in dubio voluntas metienda est, rectè dicere poterat, se credentem ordinem esse impletum, neglexisse exactionem pecuniæ, quam aliàs exegisset, & convertisset in emptiones, quibus destinata erat, illam tamdiu otiosam non retinendo; Unde propterea licèt de facto non verificaretur in venditore, quòd eodem tempore haberet rem & pretium, Attamen id verificatum dicebatur in ipso emptore, qui sic re & pretio caruerat, atque ob fictionem in odium morosi non implentis à lege subintellectam, ut actus habeatur pro facto, rectè dici poterat, venditorem habuisse utrumque.

Difficultas tamen considerabilis erat in facto, quòd scilicet satis verisimile ex eis circumstantiis videbatur, emptorem sciviſſe, quòd venditor pendentibus diligentiis, pro obtinenda derogatione non usus esset, nec uteretur, quinimò, quòd nec uti poterat ordine prædicto, ita conditionaliter concepto; Et quod magis est, interim idem emptor, pecunia in dicto banco existente tanquam propria, & ad ejus liberam dispositionem in parte usus erat, plures ordines eidem banco dirigendo, unde propterea verè dici non poterat, caruisse re & pretio, atque ex hoc ab initio istam difficultatem insinuavi eidem principali, qui licèt maximus J. C. utpote aliàs primarius Advocatus, deinde Signaturæ Justitiæ Decanus, attamen proprium interesse, ut frequentissimè contingit, intellectus aliquam fascinationem patiendo non acquiescebat, sed agnoscens eamdem difficultatem haberi per Judicem, quamvis satis benevolum, acceptavit talem qualem concordiam, qua mediante, præsens controversia finem habuit.

In proposito autem hujusmodi fructuum, qui debentur emptori carenti re & pretio, non dubi-6 tatur, illos deberi post sequutam rei venditæ traditionem, quatenus deinde subsequatur evictio, cùm tunc illi absque dubio debeantur tanquam damna & interesse sub evictione cadentia, *Leotar. de usuris, qu.* 36. *num.* 16. & *quæst.* 56. *eod. num. Buratt. d.* 240. *num.* 9. & *passim*; Sed in una *Tudertina census pro Cospano*, de qua in sua materia *sub tit. de Censibus*, difficultas fuit, quid ubi evictio verè, & de 7 facto sequuta non est, sed emptor ut eam impediret, curavit concordiam cum evincente, mediante alicujus summæ pecuniarum solutione, an scilicet pro istis pecuniis d. fructus prætendi possent; Et scribens pro emptore in *Rota coram Taja* adducebam in his specialibus terminis auctoritatem *Fab. de Ann. cons.* 15. *num.* 17. ubi refert decisionem Sac. Consilii emptori deferentem fructus seu interfuria ad rationem 5. pro centenario; Et Rota licèt formaliter istam propositionem non canonizaverit, neque tamen respuit, sed ex alio fundamento prodiit resolutio contra emptorem, dum quæstio non erat cum ipso venditore, sed cum tertio, ut ibi; Cogitabam tamen attenta opinione, quam tenet Rota & Curia de non dando interesse ex pecunia, nisi verificatis consuetis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis, posse de hoc dubitari, quia cùm verè emptor non caruerit ipsa re, cujus evictionem ita fictè ac intellectualiter solùm passus dicitur, esset in effectu percipere accessiones ex pecunia pro alio soluta non debitas, nisi cum suis interpellationibus, aliisque requisitis, ut habemus de fidejussore pro alio solvente, cum similibus; Neque de dicta decisione Sac. Consilii magnam rationem habendam esse videbatur, dum ibi requisita prædicta reputantur notoria, & habentur pro probatis; Attamen reservavi maturum judicium, quando præberet novæ disputationis occasio, quam adhuc non habui.

# ROMANA PACTI

*PRO*

## CAMILLO DE MAXIMIS,

*CUM*

## MONASTERIO S. TERESIÆ

AD QUATUOR FONTES.

*Discursus pro veritate.*

An valeat, vel potiùs usurarium censendum sit pactum, per quod emens rem fructiferam, dilata pretii solutione, sub conventione fructuum recompensativorum, prohibeatur ad certum tempus restituere sortem, atque se eximere à dictis fructibus; Et aliqua de fructibus prædiorum urbanorum, quomodo illi calculandi sint, ad effectum regulandi fructus recompensativos pretii.

SUM-

## SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De causarum Patronis Romanæ Curiæ, & in quo differant ab Advocatis.*
3 *De opinione Theologorum improbantium, ut venditor pendente solutione pretii obtineat fructus recompensativos.*
4 *De invaliditate pacti auferentis libertatem redimendi, ac restituendi sortem.*
5 *Improbatur opinio Theologorum de qua* num. 3.
6 *Declaratur conclusio de qua* num. 4. *circà pactum auferens debitori facultatem solvendi.*
7 *An possint creari census perpetui sine facultate redimendi.*
8 *Fructus recompensativi ex pretio non possunt excedere ipsius rei fructus.*
9 *Prædia urbana sunt naturaliter infructifera, & fructificant per accidens.*
10 *Quomodo sit calculandus valor seù fructus bonorum.*

## DISC. XXVI.

1 CAmillus de Maximis Cameræ Apost. Clericus ac Patriarcha Hierosolymitanus, de anno 1664. emit à Monasterio Monialium S. Teresiæ ad quatuor Fontes palatium olim illorum de Matthæis', eidem Monasterio contiguum, pro pretio scutor. 17. m. tunc solutis scutis 500. dilata verò solutione reliquorum 16500. ad annos 12. sub conventione solvendi interim fructus recompensativos ad rationem quatuor pro centenario & anno, cum pacto ut dicto termino durante, non posset emptor admitti ad solutionem dictæ sortis, atque ita invito Monasterio ab onere dd. fructuum se liberare; Cum autem illinc ad quatuor annos emptor habens jam ab initio integrum pretium promptum in tot locis montium, sibi expedire dignosceret, vendendo loca montium, ab hoc onere se liberare, ac propterea coràm Vicegerente interpellasset Monasterium, à quo oppositum fuit de d. pacto; Hinc emptor prædictus, super dicti pacti validitate, antequam litem formalem assumeret, consuluit quemdam eximium Theologum, ac etiam alium doctum I. C. exercentem munus causarum Patroni, quod in Romana Curia etiam per
2 doctissimos Juris Consultos ad aliud Advocati munus plusquàm idoneos exerceri solet, cùm in effectu classici causarum Patroni gerant eas partes, quas in aliis Europæ partibus gerunt Advocati, dirigendo causas, ordinando & compilando processus, nec-non excitando motiva, munus verò Advocatorum Curiæ Romanæ sit respondendi solùm de jure in decisoriis super præsuppositis, seu motivis excitatis per eosdem causarum Patronos, absque eo quod se ingerant in visura vel ordinatione processuum, ac aliis ordinatoria judicii concernentibus, præterquam ubi ageretur de disputationibus, quæ in Curia frequenter haberi solent super concessione vel denegatione remissoriæ, compulsoriæ, sequestri, alimentorum & sumptuum litis, ac appellationis suspensivæ, Undè constituere videatur quamdam tertiam speciem singularem, alibi ità purè non cognitam neque practicatam.

Theologi responsum fuit super conventionis u-
3 suraria infectione in genere, etiam sine dicta circumstantia pacti auferentis libertatem solvendi, sequendo sensum *S. Antonini, Sylvestri, Lessii, Filiuccii, Azzorii, Rebell. Laiman. Megal. & aliorum Theologorum seu Moralium*, quorum, eorumque fundamentorum magnam partem refert *Leotar. de usur. quæst.* 27. quod scilicèt cum rei venditæ dominium translatum sit in emptorem, qui exindè subjacet ejusdem rei periculo, idcircò ipsius quoque debent esse fructus, Tum ex regula, quod res fructificat domino, Tum etiam quia ista dicitur dominii sequela, socia, seu connexa cum altera periculi, cumque jus venditoris redactum sit ad creditum pecuniarium, periculo non subjectum, quamvis ipsa res periret, seu diminutionem pateretur, ita resultat quod est percipere accessiones ratione temporis ex pecunia tanquam ex mutuo interpretativo, quod citrà usuram fieri non potest, dum non urget ratio interesse lucri cessantis vel damni emergentis, cuius principale requisitum consistit in mora, in qua emptor, stante expressa & conventionali dilatione, dici non potest.

Alter verò Jurisconsultus, negligendo istud motivum, utpotè in foro externo omninò rejectum, atque hodiè disputatione indignum, quatenùs tamen conventio adæquata sit ipsius rei venditæ fru- 4
ctibus de sui natura percipiendis, eosque non excedat ex iis, quæ ad materiam *l. curabit* habentur apud *Leot. d. q.* 27. ac frequenter supra præsertim *disc.* 17. & 18. Respondit de invaliditate pacti, utpotè inductivi servitutis, in qua debitor invitus permanere cogatur contrà naturalem libertatem, quodque propterea hujusmodi pacta auferentia redimendi libertatem, sint illicita & usuraria adducendo deducta *per Marin. in addit. ad Reverter. dec. 573. in fine, & Honded. conf. 33. nu. 74. lib. 2.*

Super eodem autem puncto ex parte emptoris, utroque responso communicato, pro veritate consultus; Quatenus pertinet ad validitatem conventionis fructuum, solutione pretii pendente, abs- 5
que principio difficultatis adhæsi voto Jurisconsulti contra illud Theologi, utpotè circà principium hodiè absolutum in foro externo, de quo tantùm forensium partes sunt respondendi, pro exclusione, vel respectivè inclusione usuræ, cum Ecclesia non judicet de internis; Et ex qua præsertim ratione ut pluries in præcedentibus habetur, recepta proposito est, quod in hac materia usuraria, Canonistis potius, quàm Theologis deferendum est, Potissimè verò in hac facti specie, in qua non solùm urget ratio generalis conveniens cuicumque venditori indefinitè deducta ex æquitate textus *in l. curabit Cod. de action. empt.* nè scilicèt emptor habeat eodem tempore rem & pretium; Ac etiam quia istæ non dicuntur lucrativæ accessiones, sed potius recompensativæ, seu restaurativæ illorum fructuum, quos aliàs venditor ex re sua percepisset ut pluries in præcedentibus; Sed etiam quia, ut pariter pluries in præcedentibus habetur, in puro quoque ac simplici mutuo prohibitum non est mutuanti, etiam ab initio pacisci de interesse lucri cessantis vel damni emergentis, ad certam quoque taxam determinato, dummodò tamen illud deindè aliàs quam per ipsorum contrahentium conventionem, & assertionem justificatum remaneat; Quæ justificatio in hac facti specie concurrebat ab initio indubitata; Tum ex qualitate venditoris, quod scilicèt erat Monasterium monialium, à quo istud pretium rei stabilis alienatæ in alios usus converti non poterat, sed perneccsse erogandum erat in acquisitiones stabilium, vel censuum, aut locorum montium, quorum occasiones ad istam moderatam rationem quatuor pro centenario de tem-

pore contractus erant absque dubio promptæ & notoriæ; Tum etiam quia ex pacto, ob ipsius emptoris cautelam, ita dictum pretium investiendum erat in casu solutionis, unde propterea ex ista quoque ratione validitas conventionis in genere remanebat omnino plana.

Quoverò ad alterum responsum J. C. se restringentis ad invaliditatem pacti auferentis redimendi libertatem, pariter in diversa fui sententia, quoniam hujusmodi pactorum infectio, quam ho-6 diè receptam habemus in censibus consignativis constitutis ad præscriptum *Constitutionis Pii V.* provenit solùm ex eadem Constitutione, per quam tanquam per legem novam damnantur tanquam usuraria omnia pacta quomodocumque redimendi libertatem restringentia, atque in his terminis loquuntur *Cenc. & cæteri*, cum quibus procedit *de Marin. in addit. ad Reverter. dicta decis.* 573. cum aliis per *Leotar. de usuris quæst.* 67. ubi de articulo, an hujusmodi pacta vitient, vel potius vitientur, atque omninò probabile, ac receptum est, utpotè accidentalia vitiari, & non vitiare, ut occasione pacti rescissorii habetur in sua materia *sub tit. de censibus*; Circumscripta verò ista lege nova, attentisque ter-7 minis juris communis, etiam in censibus, aliisque venditionibus cum jure redimendi, prohibitum non est creari census perpetuos & nunquam redimibiles, multòmagis redimendi facultatem restringi intra certum tempus, ut rejecta opinione *Hostiens.* & aliorum dubitantium, ac amplectendo opinionem *Baldi*, magis communem & receptam firmant *Constantius ad 3. lib. Codicis sub. tit. de fiscal. usuris lib.* 10. *num.* 40. *de Marin. resol.* 160. *numer.* 7. & 8. *lib.* 2. & *in eisdem addit. ad Reverter. dicta decis.* 573. *Rovit. decis.* 33. *Leotar. quæst.* 41. *num.* 1. & *numer.* 21. *cum sequen.* ubi de non prohibita concessione rei sub censu reservativo etiam perpetuo, & non redimibili, Et de censu consignativo ante Bullam *Pii* firmavit sæpiùs *Rota, præsertim decis.* 394. *post Cenc. de censibus decis.* 8. & 51. *par.* 8. *rec.* & *in aliis.*

Quare isto quoque motivo neglecto, atque respondendo ultrà petita, prudentialiter dixi aliud excitandum esse motivum reformationis dictæ 8 conventionis fructuum, dicta reciproca dilatione pendente, quod scilicèt juxta opinionem in Curia præsertim receptissimam, de qua *in Baren. disc.* 17. & *in Lucana disc.* 18. & in aliis frequenter, illi excedere non possint metam seu ratam fructuum ex ipsa re venditæ percipiendorum, atque ad eorum limites, Undè propterea, aut Monasterium perseverare volebat in contractu, aut non; Si volebat, cogebatur pati dictam moderationem, quæ Monasterio non expediebat, cum ipsius rei fructus vix excederent duo pro centenario, & posset incontinenti investire pretium in loca montium, vel census tutos, ad quatuor vel parum minus, & si nolebat ex motivo cessantis præsuppositi, ita obtinebatur debitoris intentum, à creditore potius desiderandum, & petendum, & sic erat species diversionis militaris.

Quòd autem ipsius rei venditæ fructus essent 9 longè minores, clarè probari observabam, quoniam prædia urbana dicuntur naturaliter infructifera, utpotè de sui natura nullum fructum producentia; Et quamvis habitando vel locando, fructus ex eis percipi dicatur, Attamen dicitur fructus accidentalis, quatenus scilicèt locentur, & ad limites, pensionis, pro qua locari solent, *ut decis.* 95. *nu.* 2. & 143. *in fine post Merlin. de pignor.* quarum secunda est repetita *dec.* 21. *par.* 10. *rec. apud Otthob. decis.* 193. *n.* 7. *cum seqq.* & frequenter in aliis, ac in specie domorum habetur supra *in Baren. census disc.* 17. & in decisionibus in ea causa editis; Quamvis autem quandò istud palatium locatum fuit, ejus pensio esset talis, quod habita proportione ad pretium ut supra conventum, importaret fructus ad dictam rationem scutorum quatuor pro centenario, vel parùm minus, non tamen exindè rusultabat tanti rem fructare, quoniam ut receptum habetur apud beneficialistas, præsertim *Lotter. lib.* 1. *quæst.* 38. ac habetur frequenter in sua materia *sub tit. de beneficiis*, ac sub altero *de pensionibus*, ad regulandum fructum deducendæ sunt in primis impensæ, & onera, cùm fructus dicatur ille, qui supereſt, & à Domino percipitur his deductis, Ac ulterius facienda est decem, vel saltem plurium annorum, ex peritorum judicio peræquatio, calculando annos steriles & uberes, ad effectum inspiciendi, quis facta peræquatione dici valeat fructus verisimiliter certus & continuus, quæ distinctio sterilitatis vel ubertatis in urbanis intrat, habita ratione temporis, in quo respectivè habent conductorem, & non habent; Undè cùm hæc domus, ratione situs à reliquo habitato distantis & incommodi, juxtà retroactam decennalem experientiam, frequentius esset sine inquilino, idcircò facta peræquatione temporum, in quibus vacua vel respectivè plena stare consuevit, pensio vix excedebat duo pro centenario.

# ROMANA FRUCTUUM,

*PRO*

# DUCE CAFFARELLO,

*CUM*

# CHRISTOPHORO CINCIO.

## *Causa pendet in Rota.*

Si emptor deposuit pretium, & deinde ex nova conventione illud in toto vel in parte ad eum pervenit ex causa depositi, An pro eo tempore, quo habuit pretium in manibus, teneatur ad usuras recompensativas; Et aliqua de taxa fructuum bonorum feudalium, vel jurisdictionalium discretivè ab allodialibus.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*

2 *Emptor etiam sine mora tenetur ad fructus recompensativos.*

3 *Fructus bonorum feudalium & jurisdictionalium taxantur ad duo cum dimidio.*

4 *Declaratur quando in procedat, & de differentia inter bona jurisdictionalia Status Ecclesiastici, & feuda Regni.*

5 *Emptor potest esse pretii depositarius.*

6 *Ubi pretium convertitur in alium contractum vel causam debendi, non intrant fructus recompensativi.*

7 *Si emptor repetit pretium solutum, habetur, ac si non solvisset, & debentur fructus.*

8 *An census reviviscat si pecunia à creditore avocatur.*

9 *Declaratur quomodo & quando procedat conclusio de quanum.* 7.

10 *In*

10 *In materia usuraria spectatur solùm interesse creditoris.*

## DISC. XXVII.

1 MArchio Joannes Petrus Caffarellus de anno 1614. emit à Joanne Baptista & Christophoro de Cinciis castra, *Filetti, Astergii, & Peschii majoris* in Aprutio pro scutis 16. m. ex quibus 4. m. erogari deberent pro eisdem castris recuperandis à manibus Regii Fisci Neapolis, & reliqua 12. m. deponi in Sac. Monte Pietatis Urbis pro investimento ad cautelam emptoris, quod in omnibus adimplerum fuit, atque cedula depositi producta fuit in Sacr. Cons. Neapolitano ad removendas creditorum oppositiones, ob quas dicta cedula impedita fuit, & successivè pecunia stetit otiosa usque ad annum 1629. quando venditores, ac etiam creditores constituerunt procuratorem Ducem Gasparem Caffarellum dicti Antonii filium & hæredem ad recuperandam dictam cedulam; Dictaque recuperatione sequuta, deventum est ad novam conventionem, quod ex dictis scutis 12. m. solvi deberent liberè scuta 6. m. quibusdam creditoribus, 4. m. ipsis venditoribus, & reliqua 2. m. remanere deberent penes ipsum Ducem, donec venditores illa investirent in bonis stabilibus, censibus, vel locis montium pro multiplico faciendo usque ad integrum valorem pro cautela evictionis.

De anno autem 1637. præfati venditores pulsarunt Ducem ad reportandam pecuniam ad Montem Pietatis ob promptam occasionem investiendi, atque pro tempore quo post interpellationem fuit morosus, spontè & absque contradictione solvit fructus recompensativos ad rationem quinque pro centenario; Verùm post diuturnum spatium, de anno scilicèt 1655. Christophorus superstes pulsavit eumdem Ducem coràm A. C. & obtinuit mandatum pro fructibus temporis antecedentis, ab anno scilicèt 1629. ad 1637. Commissa verò causa in Rota, cum clausula, *si quid exequendum*, prætendente actore ob lapsum fatalium appellationem esse desertam, atque super hoc habita disputatione in signatura, rescriptum fuit eidem Rotæ de causa restitutionis in integrum, undè propterea datum fuit consuetum dubium, *An constet de re judicata, vel potiùs de causis restitutionis in integrum*, quod hucusque disputatum non fuit, & pendet.

In unica igitur disputatione habita in signatura, in qua solùm scripsi, cum in hoc Tribunali obiter & pro justu deduci soleant merita negotii principalis, Dicebant scribentes pro actore, de plano fundatam esse ejus intentionem in receptissima, hodieque satis vulgari conclusione, de qua frequenter in præcedentibus, quod scilicèt emptor pro tempore, quo habuit rem & pretium, etiam sine mora, quinimò etiamsi justam causam habuisset non solvendi cessante dilatione conventionali, quæ dicitur pars pretii teneatur solvere venditori usuras ad limites fructuum ipsius rei, tanquam istorum recompensativas, eorumque loco subrogatas. 2

Econversò senior Ducis rei conventi Advocatus, cùm crederet dictorum fructuum, seu usurarum debitum in genere ob dictam receptam conclusionem evitari non posse, tàm scribendo in signatura, quàm in congressu pro directione habito, insistebat principaliter in minori dictorum fructuum taxa, ex eo quod cùm ageretur de feudis & bonis jurisdictionalibus, ista dicerentur magis pretiosa in duplo supra allodialia, & consequenter, quod cum fructus bonorum allodialium indifferentium 3 juxta receptam *gloss. in auth. perpetua Cod. de sacrosanct. Eccles.* taxantur ad quinque pro centenario, hujusmodi fructus bonorum feudalium & jurisdictionalium taxari deberent ad duo cum dimidio, juxtà punctualiter firmata in terminis cuiusdam feudi Regni Siciliæ ultrà *per Rotam in Messanen. feudi coram Merlino inter suas dec. 702. repetit. par. 7. rec. dec. 94. nu. 57.* Atque ex hoc, inferebat ad magnum commodum emptoris, ita liberationem à prætenso debito obtinentis ob imputationem, seu repetitionem fructuum à dicto anno, 1637. citrà excessivè solutorum ad dictam rationem quinque pro centenario.

Diversa erat mea sententia, ideoque principaliter insistebam in negando hujusmodi fructum debitum in genere, dum eo admisso, periculosum reputabam dictum alterum motivum, advertendo 4 quod *in d. dec. Merlini* processum videbatur cum aliquo æquivoco circà taxam fructuum bonorum feudalium & jurisdictionalium ad rationem dimidiatam, juxtà *decisionem 103. Seraphini & in Viterbien. 11. Maii 1612. coram Sacrato*, cum quibus ibi proceditur, Quoniam ut advertitur *in Romana legitima, sub tit. de feudis disc. 19.* id rectè procedit in castris & bonis jurisdictionalibus Status Ecclesiastici, nedum quia propter prohibitionem Bullæ *Pii V.* de non infeudando, nimis rara sunt, & consequenter magis æstimabilia hujusmodi bona feudalia & jurisdictionalia, potissimè ob majorem pecuniarum affluentiam in Urbe, ubi continuæ habentur immutationes à statu privato ad illum Baronum & Magnatum primi ordinis, cum satis notabili alteratione; Sed etiam quia hujusmodi castra & bona jurisdictionalia retinenti solùm illam remotam & impropriam feudalitatem, quæ juxtà plenè deducta in celebri *cons. 1. Spadæ lib. 1.* inesse dicitur ad removendum verum & purum allodium, in quo nemo recognoscitur, nisi Deus, pro dominio, ac superioritate Papæ; In reliquis habent naturam allodialium, atque sunt liberæ dispositionis, tam in vita, quàm in morte, cum transmissibilitate ad quoscumque, adinstar aliorum bonorum indifferentium, adjecta solùm à temporibus *Sixti V.* citrà, prohibitione alienandi inter vivos sine beneplacito Apostolico; Quæ omnia cessant in hujusmodi feudis Regni Neapolitani, Tum ob eorum magnam copiam, cùm totum Regnum sit infeudatum, undè propterea vilescunt, juxtà ea quæ de hujusmodi infeudationibus incidenter habentur *in Melevitana, seu Valentina habitus sub tit. de præeminentiis disc. 32.* Tum etiam ob minorem in ea regione pecuniarum affluentiam; Et fortius ob onera illis feudis incumbentia, tàm adohæ, quàm servitii personalis in occurrentiis, atque ob nimis restrictam successionem cum facili devolutione, Adeout plurium sententia sit, qualitatem feudalem minuere de vero rei valore, ut advertitur *in d. Romana legitima disc. 19. sub tit. de feud.* Quod etiam docet praxis in eodem Statu Ecclesiastico, dum illa castra, quæ possidentur cum investituris feudalibus, subjecta devolutioni, & cum onere alicujus annuæ recognitionis, æstimantur multò minus quàm alia, quæ habentur juxtà naturam allodialium ut suprà; Et sic dicta taxa quinque pro centenario non erat incongrua, dum ad eam rationem, & fortè majorem hujusmodi feuda vendi solent, præsertim attenta parùm felici qualitate, tam ipsorum castrorum, quàm provinciæ, cùm per illos Regios Tabularios, ad quos pertinet, inspectis istis circumstantiis diversimo-

simodè feudorum æstimationes fieri soleant, atque distinctè considerentur pro majori, vel minori pretio.

Solidius ergò motivummihi videbatur alterum negandi dictum debitum in genere, quodque nullatenus intraret dispositio *textus in l. curabit Cod. de action. empti*, quoniam emptor tanquam emptor jam ejus obligationem impleverat, atque pretium solverat, mediante vero & effectivo deposito in banco ut suprà; Et consequenter soluta fuit omnis ejus obligatio; Causa verò debendi summam, pro qua hujusmodi fructus prætendebantur, erat omninò diversa ex novo & diverso titulo, seu contractu depositi, pro quo in jure cautum est, nullas accessiones pro pecunia deposita deberi; Neque implicat eumdem emptorem loco banci subrogari posse, atque gerere personam depositarii diversam ab illa emptoris, ut in specie *apud Giurb. dec. 87. num. 35.* 5 & admittitur *sup. in Senen. fructuum dis. 13* quatenus titulus depositi verificaretur; Si enim habemus, quod etiam absque vera & effectiva solutione, sed solùm ob illam fictam & intellectualem, quæ ex juris dispositione inesse dicitur in novatione, seu conversione debiti in aliam causam, seu alium contractum, cessat cursus hujusmodi fructuum, so- 6 lùmque prætendi possunt illæ accessiones, quæ ex novo contractu legitimè resultant, *Soccin. cons. 130. numer. 18. Testa y alleg. 16. num. 36. Leotar. de usuris q. 27. numer. fin.* multòmagis, ubi vera & effectiva solutio sequuta est, cum explicita conversione ad diversum titulum depositi, seu retentionis pro cautela.

Unica verò difficultas, quam reflectendo ad veritatem, cogitabam desuper cadere posse, consistere videbatur in eo, An dicta recuperatio depositi importaret resolutionem actus, ac reductionem causæ ad non causam, perindè ac si ille nunquam sequutus esset, magis quàm novationem, seu conversionem in novum contractum, quo casu perseverare diceretur prima causa debendi ex titulo emptio- 7 nis, quia datum non dicitur id quod deindè avocatur, seu repetitur, ut *per Negusant. de pignor 5. par. principali membr. 3 par. 2. n. 27. Trentacinq. lib. 3. var. resol. 22. vers. non requiritur Faber. in Cod. lib. 4 tit. 24. definit. 37. num. 9. Leotar. de usuris q. 84. nu. 44 & seqq.* atque in idem conferunt firmata *per Rotam in Romanà cens. 24. Novembris 1628. coram Ghislerio cum aliis in Romana revivi scentiæ censuum sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum dis. 81.* super revivi- 8 scentia censuum, vel prioris causæ debendi, non obstante vera & effectiva solutione, si pecunia soluta deindè avocatur.

Verùm licèt, ob non sequutam formalem disputationem, maturum judicium desuper efformari non potuerit; Attamen in hoc statu, cum sensu etiam veritatis, credebam difficultatem non intrare, di- 9 ctosque fructus non deberi, ex duplici fundamento; Primò quia dicta conclusio procedit quando causa reducitur ad non causam, seu solutio resolvitur ex conditione, quæ ipsi solutioni inest, ut est in casu, de quo *in d. Romana reviviscentiæ censuum*, quod scilicèt creditor reciperet pecuniam non liberam, sed cum cautione de restituendo prioribus & potioribus, & ad omne mandatum &c. quo casu dicitur recipi sub conditione resolutiva, qua purificata actus resolvitur, ac habetur pro infecto; Sivè magis ad rem nostram, quando depositum ità conceptum est, quod repositum sit in libertate deponentis illud voluntariè & pro libito reassumendi, juxtà ea quæ in hac materia facultatis reassumendi pecuniam depositam habentur *in Romana depositi seu census 28. Iunii 1645. & 26. Ianuarii 1646. Meltio*, quarum prima est *dec. 267. post Zacch. de obl.* & in his terminis loquuntur *DD. apud Leotar. d. q. 84. num. 44. & seqq.* quod in præsenti dici non poterat, dum depositum fuerat perfectum & judiciale, atque post longum intervallum reassumptum fuerat per emptorem, non jure suo, sed tanquam mandatarium venditorum.

Et secundò ob formalem novationem prioris contractus, cum notabili diminutione cautelæ emptoris, investiendo solum scuta 2. m. ac liberè dando reliqua 12. m. quæ investiri debebant, ideoque dicebam emptorem huic adeò præjudiciali novæ conventioni assensum præstitisse, intuitu sperati commodi ex retentione dictæ summæ residualis absque usurarum cursu, donec sequeretur investimentum, ita unum incommodum cum altero commodo compensando.

Eoque magis in hanc sententiam deveniebam, ponderando quod nullum concurrebat interesse venditoris, dum interim & donec ipse de investi- 10 mento sollicitus fuit, adhuc pecunia stetisset otiosa in monte Pietatis, vel alio banco, cujus loco ipse emptor subrogatus fuerat, atque in materia usuraria spectatur solùm interesse creditoris, non autem quid debitoris interfit, *Leotar. q. 32. nn. 21. & q. 96. numer. 7.*

Magnum fundamentum ex parte actoris constituebatur in observantia ejusdem Ducis, quæ dicebatur optima interpres, dum à dicto anno 1637. voluntariè solverat hujusmodi fructus, sed non videbatur motivum considerabile ob diversas facti circumstantias, dum ab hoc tempore citrà, stante interpellatione super prompta occasione investimenti, intrabat hæc obligatio, non ex ratione *text. in l. curabit*, sed in altera damnorum & interesse ratione moræ, & sic longè diversa ratio militabat.

# NEPESINA
## PRO
## ALEXANDRO REGULO,
## CUM
## FRANCISCO ZAGAROLO.

### *Responsum pro veritate.*

An conveniri possit de fructibus recompensativis pendente solutione quantitatis promissæ per transactionem initam ratione litis vertentis super bonis stabilibus fructiferis.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Pro debito quantitatis non debentur usuræ.*
3 *An transactio veniat sub nomine prohibitæ alienationis, & exigat easdem solemnitates, quas alienatio.*
4 *Declaratur conclusio, de qua nn. 2. ut non procedat in quantitate per transactionem conventa pro lite super bonis fructiferis.*
5 *De rationibus quibus conclusio innititur.*
6 *Obtinens aliquid per transactionem non obtinet jure novo, sed antiquo.*
7 *An & quando pro legitima relicta in pecunia debeantur fructus.*

3 *Quòd per transactionem interesse conveniri possit ad majorem rationem, quam fructuum rei, & de ratione.*

## DISC. XXVIII.

1 MOTA lite per Franciscum Zagarolum super immissione ad vineam, aliaque bona possessa per Alexandrum Regulum, tanquam subjecta fideicommisso ordinato per Francisci actoris majorem, deventum est ad concordiam, per quam Alexander reus & possessor se obligavit intra certum tempus solvere Francisco actori certam quantitatem pecuniariam, ejusque solutione pendente conventum fuit de fructibus recompensativis ad rationem quinque pro centenario & anno; Cùmque ex dictis fructibus decursis, partim solvisset, partim verò deberet, ex consilio cujusdam jurisperiti de partibus, prætendere cœpit Alexander non teneri ad eos, qui soluti non fuerant, atque solutos tanquam usurarios imputandos esse in sortem, ex eo fundamento, quòd ageretur de pecunia de sui natura sterili, ex qua citrà usuram non obstante conventione, cessante contractu, vel titulo accessio-
2 num justificativo, indubitatum est istos non deberi, atque solutos imputandos esse in sortem ipso jure; non autem actione repetitionis indebiti juxtà opinionem, in qua residet Rota & Curia ex deductis *dec. 69. par. 9. rec. & passim*, cùm sit hodie principium absolutum.

Neque obstare dicebat Consultor, quod dicta pecunia in contractum deducta esset ex transactione pro juribus competentibus super bonis stabilibus fructiferis, quoniam cùm Franciscus actor dicta bona non possideret, dici non poterat, quod se privasset fructibus ex bonis interim percipiendis, quodque alter contrahens non soluto pretio obtineret fructus ex re non sua, undè propterea intraret ratio, cui innixa est æquitas deducta ex *text. in l. curabit C. de action. empti*, dum Franciscus nihil possidebat, Alexãder verò possessor cõtinuavit percipere fructus jure proprii dominii & possessionis, ut antea, & sic agebatur de pura quantitate in contractum deducta, ut possessor ita tolleret molestias, atque sui juris confirmationem obtineret, absque eo quòd novum dominium, novamque possessionem acquireret.

Ad quod probandum, cum non modica allegationum congerie, deducebat ea, quæ habentur per DD. in quæstione, an prohibita alienatione, pro-
3 hibita sit transactio, & in qua quæstione exceptis bonis Ecclesiæ, in quibus ex quadam peculiari ratione, juxtà opinionem in Rota & Curia receptam indefinitè ad validitatem exigitur beneplacitum Apostolicum, ut frequenter in sua materia *sub tit. de alienat.* in reliquis, magis communiter procedi videtur cum distinctione trium casuum; Primò scilicèt ubi alienare prohibitus possidet bona, quæ recepto pretio, vel alia recompensa collitiganti per transactionem dimittit; Secundò ubi possidet & non dimittit, sed aliquam summam pecuniariam collitiganti promittit, cum ipsorum bonorum prohibitorum obligatione; Et tertiò ubi non possidet, sed à collitigante possessore pro juribus in litem deductis aliquam obtinet quantitatem, ut primo casu dicatur alienatio prohibita, & exigat solemnitates, quæ in alienationibus bonorum de jure communi, vel municipali juxtà subjectam materiam requiruntur, secùs autem in secundo & tertio, ex iis, quæ habentur insinuata in materia *in Camerinen. Cæsaraugustan. sub tit. de feud. disc. 49. & d. tit. de alienat. & contract.*

Quare desuper ex parte ejusdem Alexandri pro veritate consultus, contrarium dixi probabilius videri, pro validitate scilicèt conventionis, ideoque consului, quod à susceptione litis abstinendo, ob illam jam extrajudicialiter comminatam, curaret eo modo, quo melius posset, cum creditore se concordare; Quicquid enim sit de veritate dictæ distinctione super quæstione, an & quando transactio veniat sub prohibita alienatione ad effectum solemnitatum, sivè alterum obligandi successores venientes jure proprio independenter à transigente, super quibus juxtà laudabilem Curiæ stylum, superfluas, seu ad rem præcisè non facientes evagationes abhorrentem non immorabar; Ad præcisum tamen effectum, de quo agebatur, cum iis esset super bonis stabilibus fructiferis, non jure
4 crediti, sed jure vendicationis, Dicebam omninò verius videri pro quantitate, quæ per transactionem promittatur actori loco jurium super talibus bonis competentium, intrare eamdem æquitatem, seu rationem *textus in d. l. curabit Cod. de action. empti*, & consequenter pendente solutione licita remanebat conventio fructuum recompensativorum in summa verisimili, ac ipsorum bonorum fructibus proportionata, juxtà Canonistarum in foro receptissimam opinionem, quidquid Morales dubitent ex deductis *per Leotar. de usuris q. 27.* ac pluries in præcedentibus *hoc eod. tit.*

Idque probabam auctoritate & ratione; Auctoritate scilicèt speciali *Leotar. q. 43. n. 16. vers. tametsi*, ubi in specie licitæ conventionis hujusmodi fructuum pendente solutione quantitatis promissæ per transactionem occasione litis super bonis stabilibus fructiferis; Quod etiam pro rata bonorum, vel jurium fructiferorum admittitur per Rotam *in Viterbien. transactionis coram Celso inter suas dec. 277. & 291.* & plenius in aliis in eadem causa editis *coram Verospio, Albergato, & Taja*, de quibus suprà *in eadem Viterbien. transactionis hoc tit. disc. 15.*

Et ratione, quoniam transactio dicitur species rei judicatæ *ad text. in l. non minorem, & l. fratres Cod. de transact. cum vulgatis concordantibus*, quod scilicèt ità partes concorditer evitando dubium li-
5 tis eventum, ejusque incertam aleam cum omnimoda unius ex eis jactura, eamdem litem decidunt, ex bonis controversis, partim dimittendo, & partim retinendo, tanquam per speciem divisionis, Undè resultat recepta & frequens conclusio, quòd ille qui per transactionem bona obtinet, vel retinet, non dicitur obtinere jure novo, & ex eo contractu ab altero collitigante, sed jure proprio & primævo per quamdam remotionem obstaculi ad *no-* 6
*tat. per Bart. Castrens. & alios in l. pro fundo C. de transact. Molin. de primog. lib. 4. cap. 9. nu. 22. in fin. ubi Adden. Novegrol. alleg. 37. nu. 4. Rota dec. 306. n. 6. par. 5. rec. & frequenter*; Et consequenter resultat, quod illa quantitas, quæ uni ex transigentibus promittitur, dicitur pretium portionis ipsorum bonorum, ita occultato alio contractu emptionis & venditionis eorumdem bonorum pro rata conventæ quantitati proportionata, quæ dicitur ipsorum bonorum pretium, ideoque intrant termini, seu dispositio dicti *textus in l. curabit*; Ut à simili & in proposito habemus in materia fructuum legitimæ, qui non debentur, ubi bona, ex quibus illa debetur, sunt sterilia, purà consistentia in pecunia & mo- 7
bilibus, ac nominibus debitorum &c. juxtà vulgares decisiones *in Romana legitimæ del Nero coram Otthobono*

*bono* inter suas *dec.* 38. & 81. sed si assis hæreditarius parentis consistat in bonis fructiferis, ad quorum scissuram evitandam, filio non contradicenti relinquatur legitima in quantitate, pro ista donec solvatur, debentur etiam, citrà usuram, accessiones, seu fructus tanquam recompensativi, cùm ita occultari dicatur implicitus contractus emptionis & venditionis, dictaque quantitas dicatur pretium ipsorum bonorum, & consequenter intrat ratio seu æquitas dicti textus *in l. curabit*, ut tanquam absolutum admittitur *apud Otthob. dictis decis.* 38. & 81. & in specie advertitur *per Leotar. quæst.* 18. *numer.* 19. *& seqq. Staiban. de interesse lib.* 2. *tit.* 2. *quæst. unic. Rot. dec.* 186. *post Pacif. & sapius*, cum sit distinctio hodie in foro plana, & habetur *sub tit. de feud. disc.* 108.

Intrantibus autem terminis *d. l curabit*, caderet solùm difficultas, an taxa conventionalis adæquata esset fructibus ipsorum bonorum, quos ut sæpè in præcedentibus, excedere non potest, non constito de alio interesse extrinseco lucri cessantis, vel damni emergentis; Verùm observabam istam difficultatem cadere in contractu emptionis, & venditionis, in quo agitur de totius rei pretio, secus autem in contractu transactionis, in quo incertum est pro qua bonorum parte quantitatis conventa sit, cùm bona partim dimittantur, & partim ut supra in æquipollenti obtineantur, & consequenter ille major fructus esse potest pars pretii, quodque hoc intuitu minus datum, vel promissum sit de sorte principali. 8

# MARSICANA
## LEGATI,
*PRO*
## THOMASETTIS,
*CUM*
## PP. CONGREGATIONIS
SCHOLARUM PIARUM.

*Casus disputatus coram Arbitris.*

An & quando pro legato quantitatis debeantur per hæredem morosum usuræ seu accessiones, præsertim ubi agitur de legato ad favorem Ecclesiæ vel piæ causæ, Et quando in his legatis intret ratio interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Usuræ legatorum statutæ de jure civili sunt hodiè correctæ de jure canonico.*
3 *De mora irregulari favore Ecclesiæ, vel piæ causæ, Et quod etiam favore piæ causæ non debeantur usuræ pro legato quantitatis.*
4 *Quando hæres investivit pecuniam legatam in occasiones fructiferas, tunc fructus debentur legatario.*
5 *Contrarium dicitur verius.*
6 *In materia usuraria attenditur interesse creditoris non autem debitoris.*
7 *De ratione ob quam verius creditur id quod habetur num.* 5.
8 *Acquisitiones factæ per hæredem gravatum de pecunia hæreditaria, cui acquirantur.*
9 *Quid de tutore erogante pecuniam pupillarem in mercimonia & negotiationes.*
10 *De hærede gravato negotiante pecuniam hæreditariam, an faciat suum lucrum.*
11 *De auctoritate Gratiani, quando ei deferendum sit.*
12 *Declaratur conclusio, de quanum.* 4.
13 *Doctores sunt intelligendi juxtà doctrinas quas allegant.*
14 *Quando pro legato quantitatis currant usuræ vel fructus favore Ecclesiæ, vel piæ causæ.*

### DISC. XXIX.

NThomasettus, scriptis hæredibus ejus ex fratre nepotibus, illos gravavit ad solvenda scuta 10. m. retrahenda ex quibusdam nominibus debitorum & fructibus locorum montium pro constructione Conventus PP. Congregationis Scholarum piarum, alios Religiosos vocando, quatenus isti PP. nollent, vel non possent dictum Conventum fundare; Cùmque inter dictos & alios Religiosos subsidiariè vocatos, lites & controversiæ plurium annorum spatio habitæ essent, hæredes autem, vel ipsosmet fructus vel nomina debitorum exacta, & per testatorem ad id destinata investissent in loca montium Urbis, vel pecunias ita exactas in alios usus convertendo, assignassent tot eorum loca montium, ex quorum retractu, quando ad fundationem deveniendum esset, dicta quantitas prompta haberetur, post dictam litem finitam ad favorem dictæ Congregationis, solutumque legatum in sorte principali cum dictorum locorum montium pretio, prætendere cœperunt dicti PP. fructus temporis intermedii, aliasque prætensiones excitarunt, illam præsertim domus, in qua testator destinaverat dicti Conventus constructionem, quamvis illa in alio loco sequuta esset, & de qua habetur actum *in eadem Marsicana legati sub tit. de legatis*; Dictisque differentiis in duos Prælatos compromissis, in disputationibus coram eis habitis. 1

Scribentes pro dictis PP. auctoribus, procedendo cum opinionibus in Romana Curia receptissimis, ut scilicèt hodie correcta per jus canonicum dispositione juris civilis *toto titulo Cod. de usuris legatorum*, pro legato quantitatis, nulli fructus, nullæque accessiones ratione solius moræ regularis, vel irregularis debeantur, nisi concurrant alia requisita legitimè justificata interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, ut de prædicta juris civilis correctione, cæteris allegatis advertitur *per Leotar. de usuris quæst.* 18. *num.* 1. *& seqq. & per alios, de quibus infrà*, etiamsi ageretur de legato ad favorem Ecclesiæ vel causæ piæ, non obstante dispositione *text in l. Sancimus Cod. de Episcop. & clericis* contenta solùm in Codicibus modernis, sivè Ecclesiæ, ac piæ causæ & privilegio deducto ad instar minoris vel pupilli, ex iis quæ plenè habentur apud *Rovit. decis.* 90. *& Leotar. quæst.* 82. *numer.* 4. *cum seqq.* cùm id procedat in ordine ad moram irregularem absque interpellatione per hæredem contrahenda, quæ tamen sola juxtà opinionem, quam firmiter tenemus in Rota & Curia, non sufficit, nisi alia requisita lucri cessantis, vel damni emergentis concurrant, etiam respectu minorum vel pupillorum, cùm usuræ pupillares à jure civili decretæ per jus canonicum quoque correctæ sint ex deductis per 2 3

cum-

*eumdem Leotar. quæst.* 74, & 75. Unde propterea quicquid in contrarium in his materiis teneant Regnicolæ, & alii sola mora contenti, non desiderantes extrinsecam, ac specialem justificationem aliorum requisitorum positorum per *Castrens. in l.* 3. *ff. de eo, quod certo loco*, admittebant regulam negativam, agnoscendo in hac parte veritatem.

Constituebant tamen fundamentum in limitatione tradita per *Gratian. discept.* 688. *num.* 22. ut
4 scilicet id non procedat, quando pecunia legatario præstanda, per hæredem investita fuerit in loca montium, vel ad alios effectus fructiferos, ut tunc, cùm hæres agat de lucro captando, magis quàm de damno vitando, contrarium dicendum sit, quod etiam advertit *Maranta Junior respons.* 20. *num.* 28. *par.* 1. quæ doctrinæ tanquam speciales, juxta currentem usum, magnam impressionem faciebant.

His tamen non obstantibus mihi, etiam in sensu veritatis, in hac facti specie, ob ejus circumstantias, contrarium verius videbatur, dum, nec expressa,
5 neque tacita voluntas testatoris, minusque natura legati exigebant investimentum, sed potiùs excludebant, quoniam hujusmodi pecunia convertenda erat in fabricam Conventus, & sic indies manualiter, & numeratò eroganda in operarios & cæmenta, ideoque nil intererat, legatarii pecuniam investiri; Atque in materia usuraria, verum, receptumque principium est, spectandum esse interesse creditoris, non autem debitoris, ex deductis
6 *per Leotar. quæst.* 32. *num. fin. & quæst.* 96. *num.* 1. *cum sequent. & alibi Novegrol. alleg.* 22. ac habetur pluries in aliis *hoc eodem titulo*; Non enim ex eo, quòd debitor morosus aliquam utilitatem ex pecunia solvenda reportaverit, resultat, quòd creditor, non concurrente titulo usuratum, seu accessionum justificativo, istas assequi valeat.

Alia etiam magis convincenti ratione ponderata, quòd legatarius, non obstante dicto investimento, istoque recusato, quoties cessat testatoris præ-
7 ceptum, quandocumque petere potest quantitatem in pecunia, atque dicere hæredi, quòd non debebat investire, eidem hæredi referendo quodcumque investimenti damnum vel periculum. Quod dupliciter etiam in locis Montium contingere potest, Vel quandoque circa notabilem diminutionem etiam valoris intrinseci, ob accidentia, quæ ipsius montis dotem destruxerint, vel diminuerint, ut actu experimur in pluribus montibus, qui empti & erecti ad rationem scutorum 100. pro quolibet loco, hodie vix valent 20, vel 30. Vel juxta frequentiorem, ac ferè quotidianam contingentiam, circa diminutionem valoris extrinseci resultantem ab extractionibus, dum emi solent ad rationem scut. 110. ac etiam 115. circiter, atque in casu extractionum emptor cogitur accipere valorem intrinsecum scut. 100. Ideoque si legatarius hujusmodi periculis, & diminutionibus non subjacet, nullumque habet dominium rerum, in quas hæres proprio periculo, proprioque nomine pecunias erogavit, nulla subesse videtur ratio, cur fructuum commodum obtinere debeat.

Ad quod ponderabam in simili ea, quæ habemus in hærede gravato investiente in stabilia, vel alios effectus nomine proprio, seu erogante in negationes & mercimonia pecuniam in hæreditate repertam, sive ab exactione nominum debitorum obventam, quoniam si adest præceptum
8 testatoris de investiendo, tunc investimentum acquititur hæreditati, seu fideicommisso, secus autem econtra, ex dicta duplici ratione superiùs confide-



rata; Una, quòd fideicommissarius in uno casu potest, & in altero non potest recusare investimentum, quoties non omnino culposè detegeretur male-
1 factum; Et altera, quòd dominium, ac successivè periculum, in uno casu est ipsius hæredis, & in altero est hæreditatis, ut ita distinguendo habetur *apud Peregrin. de fideic. art.* 44. *num.* 28. *Buratt. decis.* 784. *Rot. decis.* 38, & 70. *p.* 9. *rec.* cum aliis latè *in Cathacen. hæreditatis coram Cerro, decis.* 308. *nu.* 3. & *seqq. par.* 11. *rec.* & frequenter, cùm hodie videatur distinctio plana & recepta.

Idemque in tutore vel alio administratore erogante sub proprio nomine, absque testatoris voluntate pecuniam pupillarem negotiationibus,
9 quoniam pupillus prætendere quidem potest à tutore damna & interesse, ob non factum investimentum in bona stabilia, vel alias tutas occasiones fructiferas, ut de jure tutor tenetur, ex deductis *per Leotar. de usuris. quæst.* 20. *num.* 8. *cum seqq.* & de quocumque administratore, *quæst.* 33. 74, & 82. *num.* 30. *Rota in Romana pecuniaria*, 28. *Ianuarii* 1636. *coram Panzirolo*, ac in patre legitimo administratore pecuniarum filii, insinuat Rota *in Romana pecuniaria*, 15. *Iunii*, 1665. *coram Albergato*; Atque si damnum ex negotiatione resultat, illud ipsi tutori referre potest, sed justum non est, quòd si casus præbeat aliquod lucrum, illud obtinere debeat contra regulam, *secundùm naturam, &c.* licèt non desint volentes, ut ista claudicatio admittenda sit in odium & pœnam tutoris, ita malè agentis, ex collectis in materia per *Sperell. decis.* 90. *Hodiern. controv.* 22. apud quos cæteri; Sed quicquid sit in isto casu ob istam peculiarem rationem punitionis delicti, quoties istud cessat, dicta ratio resultans ex præfata regula, *secundùm naturam, &c.* de plano procedit.

Ac etiam habemus in hærede gravato erogante pecuniam in merces, & negotiationes, quoniam si id agit ex præcepto testatoris, lucrum erit hæ-
10 reditatis & fideicommissi, quia ejusdem esset quoque damnum & jactura, sed si id agit ex propria electione, suum debet esse lucrum, quoniam suum fuisset damnum, ut plenè *apud Coccin. decis.* 409. *in Bononien. pecuniaria*, 2. *Martii*, 1661. *coram Albergato, impress. apud Rodriqu. de concur. cred. decis.* 25. *& in Bononien. separationis bonorum*, 25. *Maji*, 1668. *coram Calatajud.* & habetur actum in eadem causa *sub tit. de fideicommissis*, pro creditoribus Dondini, cum similibus.

Ad dictam autem doctrinam *Gratian. discept.* 688. *num.* 22. neglecta distinctione, quam plures seniores doctissimi Romanæ Curiæ Jurisconsulti,
11 qui istum auctorem agnoverunt, & practicarunt, dare solebant inter tres primas partes, ac reliquas duas posteriores suarum disceptationum, ut in primis essent magnæ auctoritatis, cùm solùm continerent collectiones, felici benèque ordinato stylo sequutas positiones Rotæ, Cameræ, vel Signaturæ, cum solo sensu veritatis, & in causis disputatis per plures doctos, ac primarios Advocatos hinc inde scribentes; secus autem in ultimis, in quibus auctor ita cognitus, marte suo scribebat ad causas particulares, cùm (ut illi communi ore referebant) sicuti felix fuit in colligendo & ordinando alienos labores, ita in iis, quæ erant ingenii proprii partus e-conversò infelix. Et quam distinctionem ipsa lectura, seu comparatio benè comprobare videtur.

Dicebam, auctorem præfatum in hoc innixi au-
12 ctoritati *Paul. de Castr. cons.* 125. *lib.* 1. ideoque ad hujus auctoritatis limites eum intelligendum esse ex propositione, quòd Doctores intelligendi

sunt juxta auctoritates, quas allegant *juxta theoricam Bart. in l. non solùm, §. liberationis, ff. de liberat. legata*, latè *Mandos. cons. 51. num. 2. Lotter. lib. 2. qu. 8. num. 44. Rota decis. 474. num. 9. par. 2. rec. dec. 155. num. 56. par. 6. & frequenter*; *Castrensis* autem benè loquitur de casu, in quo, ita præcipiente testatore, pecunia ad nomen ad commodum vel incommodum legatarii investita erat, quia tunc periculum esset ipsius legatarii; Quinimò etiamsi hæres investimentum non fecisset, teneretur ad fructus tanquam damna & interesse ob ejus obligationem non adimpletam, & sic casus est omnino diversus, unde dicta auctoritas ad illum præsentis controversiæ nullatenus applicabilis videbatur. 13

Tunc autem, ultra proximè insinuatum casum investimenti per testatorem injuncti, in quo id indefinitè procedit, absque aliqua piæ causæ specialitate, considerabam Ecclesiæ, vel piæ causæ favorem in proposito attendendum esse, quando legata quantitas de sui natura, & pro adimplendo opere, per testatorem expressè vel virtualiter desiderato, perneccsse & illico investienda erat in occasiones fructiferas, neque per Ecclesiam legatariam in alios usus erogari poterat, quia nempe ageretur de legato facto cum onere celebrationis Missarum, sive dotandi puellas, aut aliud opus singulis annis, & temporibus faciendum; Vel quòd ex statutis & legibus generalibus vel particularibus, tanquam capitale perneccsse investiendum esset, cùm tunc intrante privilegio Ecclesiæ, vel piæ causæ, de quo latè *Rovit. dicta decis. 90.* circa moram irregularem, probata dicerentur alia requisita, ob certam & necessariam destinationem pecuniæ, absque eo, quòd urgeret ratio libertatis erogandi in alios usus, juxta distinctionem, de qua *suprà in Æsina Census, disc. 14.* & ex hac ratione pro cursu interusuriorum contra hæredem etiam ex legato quantitatis, pro veritate respondi *in una Florentina hac eodem tit.* pro Collegio Florentiæ contra hæredes Cassandræ de Venturis, & aliàs pluries. 14

# NEAPOLITANA LEGATI,

*PRO*

## JOANNE ANTONIO CARAFA,

*CUM*

## CLERICIS REGULARIBUS MINORIBUS SANCTI JOSEPHI.

*Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Joanne Antonio.*

De eadem materia usurarum, seu fructuum pro legato quantitatis ad favorem Ecclesiæ, vel piæ causæ; Et quatenus non debeantur, an de facto & voluntariè soluti ipsius Ecclesiæ Administratoribus imputentur in sortem ad effectum illam extenuandi, nec ne.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Quòd Bulla Pii de censibus sit servanda in Regno Neapolitano remissivè.*
3 *Licèt census sit nullus, adhuc debentur fructus tanquam damna & interesse remissivè.*
4 *Ex legato quantitatis non debentur usuræ, etiam favore Ecclesiæ, vel piæ causæ, quæ in materia usuraria non est privilegiata, & in quo consistat ejus privilegium.*
5 *Declaratur conclusio, & quando dicta usuræ debeantur.*
6 *In legatis dies non interpellat pro homine, & quando hæres dicatur constitui in mora.*
7 *Sine mora non datur interesse.*
8 *Ex quibus mora excusetur in hærede.*
9 *De fiduciario declarante voluntatem testatoris, juxta dispositionem* text. in l. Theopompus.
10 *Usuræ legatorum, neque debentur ex judicio testatoris, multò minus ex declaratione fiduciarii.*
11 *Fiduciarius declarando voluntatem testatoris, debet jurare.*
12 *Item in fiduciarii declaratione attendi debet verisimilitudo.*
13 *Cessante debito in sorte, non potest agi de usuris vel interesse.*
14 *In Regno datur interesse fructuum census, seu tertiarum, sed non interesse alterius interesse.*
15 *An per fructus indebitè solutos administratori Ecclesia extinguatur sors.*
16 *Fructus indebitè soluti non extenuant sortem, si adest interesse tertii.*
17 *De causis excusantibus creditorem ab usuris perceptis & consumptis.*

### DISC. XXX.

LUcretia Carafa de anno 1607. instituto hærede Octavio fratre, illum gravavit ad solvendum ducatos 400. m. erogandos in pias causas, quando & quibus declaratum fuerit per Petrum Religiosum, ejusdem testatricis etiam fratrem, quo illicò declarante solvi debere ducatos 2500. quibusdam Ecclesiis & piis locis, promptè sequutum fuit; Cùmque post annum Officialis fabricæ S. Petri, juxta facultates & stylum utrumque requisissent ad declarandum, & respectivè ad adimplendum in residuo testatricis voluntatem, fiduciarius replicavit, adhuc purificatas non esse conditiones à testatrice præscriptas, & consequenter hæres declaravit, non teneri; unde propterea dicti Officiales ab ulterioribus molestiis abstinuerunt. Post annos autem octo, fiduciarius prædictus declaravit ex præfato residuo spectare ad Clericos Regulares Minores S. Josephi ducatos 700. cum onere Missarum in perpetuum, declarando etiam à die mortis testatricis decursum esse interesse, importans ducatos 375. Unde propterea in vim dictæ declarationis, Curatores Joannis Antonii minoris, præfatii Octavii interim defuncti, filii & hæredis, ex utraque summa sortis & interesse insimul confl[illegible] importante ducatos 1075. imposuerunt censum ad rationem septem pro centenario, cujus fructus Joannes Antonius factus major, multorum annorum spatio persolvit; Admonitus verò deinde de

præ-

præfati contractus invaliditate, quodque propterea etiam sors principalis ita extincta esset, solutionem in futurum facere denegavit, atque cum prudenti præventione, ipsos Clericos Regulares pro absolutoria à debito, ac repetitione indebitè soluti convenit in Tribunali Ecclesiastico Nuntii Apostolici, à quo per appellationem à quodam incidenti introducta causa coràm A. C. ab isto post plures disputationes prodiit sententia dicto Joanni Antonio favorabilis, ipsum absolvendo à debito tanquam extincto, à qua sententia pendet appellatio in Rota.

In istis autem disputationibus, præsuppositis etiam per scribentes pro creditoribus nullitate contractus censualis ob defectum formæ præscriptæ per Bullam *Pii V.* quam in Curia absolutum est, omnino neglectis illorum Doctorum traditionibus, ac illorum Tribunalium sæcularium praxi servandam esse in Regno Neapolitano, ut advertitur supra in *Baren. census disc.* 17. & pluries in sua materia *sub tit. de censibus*; Insistebant in eo, quòd spectato effectu id nil referret, quoniam ubi debitum, pro quo census impositus fuit, aptum est producere fructus seu usuras ratione damnorum & interesse, tunc idem fructus ex ista ratione debentur, ut in specie firmatum fuit *per Rotam in dicta Baren. Census 16. Junii 1661. coram Verospio*, ubi concordantes, & est propositio vera, quam Ego scribens pro debiore non negabam in genere, sive in abstracto in suis casibus distinctè consideratis supra *in eadem Baren. disc.* 17. impugnabam tamen ejus applicationem ad casum.

Quare pro methodica controversiæ tractatione, tres constituebam inspectiones; Primò, an pro dicta sorte scut. 700. deberetur interesse à die declarationis factæ per fiduciarium citra; Secundò an idem interesse deberetur pro tempore præcedenti, ab illo scilicèt mortis testatricis usque ad illud declarationis factæ per fiduciarium, & an huic deferendum esset necne; Et tertiò, quatenus etiam istud interesse, juxta fiduciarii declarationem deberetur, an illud esset alterius interesse productivum, mediante ejus conversione in sortem, ut sequutum fuerat.

Quatenus pertinet ad primum, quamvis Ego scribens pro debitore tanquam Advocatus, deducerem eadem fundamenta, quæ habentur *in Marsicana disc. precedenti* super usuris vel accessionibus ex legato quantitatis, cessantibus legitimis requisitis, non debendis, etiam favore Ecclesiæ vel piæ causæ, cujus favor seu privilegium, adinstar minoris, vel pupilli, consistere solùm videtur in mora irregulari, non autem in aliis, quoniam in materia usuraria ex juris Divini dispositione naturaliter & intrinsecè mala, privilegiata non debet esse Ecclesia, quæ cultrix est justitiæ & pietatis, atque privatorum exemplar esse tenetur; Nihilominus reflectendo ad veritatem, credebam post sequutam declarationem istud legatum esse fructiferum, ex eadem ratione insinuata *in dicta Marsicana* occasione responsi dati *in una Florentina*, quòd scilicet ageretur de quantitate pernecessè investienda in bona stabilia, vel alios tutos effectus fructiferos, qui loco stabilium habentur, stante annexo onere missarum, quæ singulis annis ex hujus legati fructibus ex testatricis voluntate celebrari debebant; Unde propterea de plano intrare videtur interesse recompensativum illorum fructuum, qui percepti essent ex investimento, quod sequuta solutione debito tempore, absque dubio factum esset; Et sic mora hæredis in non solvendo id quod ex privilegio moræ irregularis absque alia interpellatione solvere debebat, fuit causa proxima, & immediata damni, & ne fructus perciperentur; Atque cum hac distinctione recipienda videntur tradita *per Marant. junior. respons.* 14. *par.* 1. ubi scribendo tanquam Fabricæ Advocatus probare conatur cursum hujusmodi interesse, etiam ex legato quantitatis, licèt ipse procedendo cum opinionibus, quæ ibi apud sæculares habentur, non descendat ad has distinctiones.

Quoverò ad alteram inspectionem super interesse temporis præcedentis, eodem sensu veritatis retento, dicebam nullo pacto illud deberi, quoniam legatum non erat certum & purum, itaut hæres illicò agnoverit se illius debitorem, & successivè elapso præfinito tempore morosum, cum, ut supra, in hoc consistat Ecclesiæ vel piæ causæ privilegium, ut scilicet incurratur mora etiam sine interpellatione aliàs necessaria, cùm in legato non intret regula *textus in l. magnam, C. de contrahen. & committen. stipulat.* quòd dies interpellat pro homine, ex eo, quòd hæres credere potest legatarium non esse agniturum, ex iis, quæ habentur *in Vritana seu Januen. sub tit. de feud. disc.* 108. sed sine mora tam regulari quàm irregulari absolutum est, nullas usuras vel interesse deberi, ad communiter notata *in l. lecta, ff. si cert. petat. ex collectis per Gurb. observ. 1. num. 3. Gregor. & Add. decis.* 148. & in his terminis *pro absoluto admittitur apud Rovit. decis.* 90.

De nulla verò mbra hæres in proposito convinci poterat; Tum quia fiduciarius non declaraverat, an cui & in quos usus istud residuum solvendum esset, unde hic actus negativus ad illum excusandum adhuc sufficiens esset; Tum clarius ob alium actum positivum declarationis ut supra ab eodem fiduciario factæ coram Officialibus Fabricæ, quòd adhuc purificatæ non essent conditiones per testatricem desideratæ, unde propterea dicti Officiales ab ulterioribus molestiis abstinuerunt pro legati implemento, & consequenter hæredis bona fides remanebat indubitata.

Agnoscebant scribentes in contrarium difficultatem, verùm replicabant, præmissa rectè procedere, quando ageretur de interesse, quod peteretur ex sola dispositione juris, ac ratione moræ; secus autem in hac facti specie, in qua idem interesse debebatur ex declaratione facta per fiduciarium, cui deferendum esse insistebant, perinde ac si ita demandatum esset ab ipsa testatrice, cujus voluntas ita per fiduciarii organum explicata dicitur, *ad text. in l. Theopompus, ff. de dote prælegata*, ubi communiter scribentes, & est recepta traditio, de qua in sua materia *sub tit. de testamentis, & ultimis voluntatibus*, præsertim *in Perusina erectionis Canonicatus*; Verùm eodem sensu retento veritatis, quam etiam Judex agnovit, dicebam motivum nullam habere subsistentiam, quoniam si etiam ipsiusmet testatoris directum & expressum judicium super usuris ex legato quantitatis præstandis non est attendendum, ex deductis *per Leotar. de usuris, quæst.* 18. *& hoc eodem tit. frequenter*, multominus in hoc deferendum est fiduciario, cùm non possit plus optari fictio, quàm veritas, neque magis deferendum veniat testi, cujus personam huiusmodi fiduciarius gerere dicitur, quàm ipsimet principali; Potissimè, quia non intercedebat juramentum, quod juxta magis communem, & receptam opinionem, per hujusmodi fiduciarios, utpote testium personam gerentes, præstandum est, ut ex traditione *Bartoli in eadem l. Theopompus*

*num. 7. Castr. cons. 54. num. 2. lib. 4. Martin. Andre. decis. 73. numer. 3. & 4. Romana bonorum 4. Mati 1646. Arguell. Perusina erect. Canonic. 4. Mati 1665. confirmata 1. Februarii 1666. Carpinea*, & habetur latiùs actum de materia *in eadem Perus. sub. tit. de testamentis & ultimis volunt.*

Et clarius dum ipsemet declaraverat, quòd adhuc non cessérat dies legati ob non purificatas conditiones à testatrice præscriptas, Et consequenter omninò improbabile videbatur, quod ipsa testatrix hujusmodi interesse onus interim demandare
12 voluerit; Atque in hac materia fiduciariorum, receptum quoque est, verisimilitudinem attendendam esse, ex iis, quæ habentur latius deducta *dicta Perusina Canonicatus*, & in supra allegatis decisionibus in ea causa editis coràm *Carpinea*; Veritas tamen erat, quod stante falsa opinione illius regionis, ut pro quocumque debito, etiam ex causa mutui tanquam per quamdam consuetudinem currat interesse, ista explicatio provenerit magis ab erronea opinione ejusdem fiduciarii, quod dictum interesse decurrerit.

Hinc proindè opus non erat assumere tertiam inspectionem super fructibus, & usuris dictæ summæ scut. 375. provenientium ab interesse per fiduci-
13 arium ut supra declarato, quoniam ubi cessat debitum sortis agi non potest de interesse, quod tamquam accessorium stare non potest absque principali *ad tex. in l. debitor ff. de usur. l. si Creditrici, l. si per te C. eod. cum concordantibus, decis. 79. numer. fin. par. 10. rec.* Verùm ubi etiam dictum interesse debitum esset, adhuc tamen prorsus vanum erat prætendere aliud interesse; Tum quia in hac rata non intrabat ratio oneris missarum, ac certi investimenti, prout in ipsa sorte principali, ut supra; Tum etiam quia, admissis quoque opinionibus ipsorum Regnicolarum, illorumque Tribunalium laicalium, tam super conversione fructuum in sortem, quàm super interesse pro eisdem fructibus, illæ procedunt, ubi agitur de fructibus census, quos ibi *tertias* vocant, ex ea ratione, quòd cum sors principalis sit demortua, & irrepetibilis, idcircò ipsi fructus dicuntur stare principaliter, & de per se, tamquam species sortis juxtà magistralem *decis. Franch.* 254. secus autem ubi agitur de interesse alterius crediti tamquam ac-
14 cessorio, quoniam tunc etiam in Regno, reprobata opinione *Cagnoli*, & sequacium recepta est opinio, ut non detur interesse alterius interesse *Rovit. decis. 9. Fab. de Anna cons. 48. Capic. Latr. consul. 59. Prat. observ. 12.* & alii communiter, ac habetur frequenter hoc *eodem titulo*, & in altero *de censibus*; multò magis in Curia, ubi dictæ opiniones sunt rejectæ, Unde propterea si ageretur inter privatos plana remanebat extinctio totius debiti cum fructibus, seu usuris in causam istius ratæ, quamvis admitteretur cursus fructuum pro rata sortis principalis, cùm ita certum esset intrare anarhocismum de quo *Merlin. decis.* 409. aliàs 301. *par. 5. recent.* & de quo in *Tranen. sub tit. de cens. disc. 2.*

Difficultas autem, quam ab altera parte non
15 excitatam; Ego reflectendo ad veritatem habebam, consistebat in eo, quòd cùm hujusmodi usuris minutatim & in causam fructuum solutis Ecclesiæ administratoribus, atque in quotidianos usus, juxtà fructuum, & redditum naturam consumptis, sequi non potuerit extinctio sortis principalis destinatæ ad perpetuum investimentum fructiferum pro implemento oneris perpetui missarum ex pluribus rationibus. Primò, quia esset ita diminutè consumere, & alienare capitalia, quæ ad instar stabilium sunt inalienabilia, & perpetuæ conservationi destinata, ne quod directè prohibitum, ita indirectè sequatur; Secundò, quoniam ita supplantata remaneret ipsa testatrix circà suffragium ejus animæ, dum destructo capitali, ex cujus fructibus sequi deberet celebratio missarum, istæ non celebrarentur; Et tertiò, quia dictæ solutiones fructuum singulis annis factæ erant exactori, seu procuratori deputato ad exigendos fructus seu redditus, non autem habenti potestatem recipiendi, & extinguendi capitalia, Unde multa insimul urgebant dictam sortis extenuationem prohibentia, præsertim secundum ob admixtum interesse, seu præjudicium tertii, nempè animæ testatricis; Ad quod in proximis terminis ponderabam firmata per *Rotam in Romana Salviani* 20. 16
*Martii, & 19. Junii* 1651. *coram Verospio*, quarum secunda est impressa *decis.* 178. *num. 7. par. 11. recent.* quod scilicèt extinctio sortis non resultat ex usuris indebitè solutis, aliàs de jure in sortem imputandis, ubi admixtum est interesse tertii, pro quo capitale debet esse salvum.

Accedente etiam duplici circumstantia, Una quod debitor solvit istos fructus tamquam fructus, non autem animo extinguendi sortem principalem, Et altera quod in creditore stantibus opi- 17
nionibus cum quibus in regione vivitur, concurrere videntur bona fides, & justa credulitas excusantes à receptis, & consumptis, juxtà ea quæ habentur supra *in Baren. disc.* 17. ideoque quoad sortem scut. 700. aliquam sentiebam difficultatem, sed quia dicta sortis extenuatio de stricto jure procedit, idcircò reputabam casum honesta concordia dignum.

# FLORENTINA
## FRUCTUUM LEGATI,
### *INTER*
## COLLEGIUM ET DOMUM
### PROBATIONIS SOCIETATIS JESU FLORENTIÆ.

*Discursus pro veritate.*

De usuris legati consistentis in quantitate, An debeantur legatario conditionali, cujus jus ex subsequutis resolutum sit, si pecunia interim fuerit per hæredem investita in bona fructifera.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *An legatarius conditionalis defecta conditione faciat interim fructus suos.*
3 *Usura legatorum de jure civili aliàs debita hodiè de jure canonico non præstantur.*
4 *An debeantur Ecclesiæ vel piæ causæ legatariæ.*
5 *In quo Ecclesia vel pia causa sit in hac materia privilegiata.*
6 *Quid ubi agitur de causa pia hinc indè.*
7 *Quando etiam legatario quantitatis debeantur fructus seu usuræ.*
8 *Piæ causæ debentur ipso jure fructu rei legatæ.*

DI-

## DISC. XXXI.

BEnedictus Biffolus, instituto hærede Collegio Societatis Jesu Florentiæ, mandavit fructus in primis quatuor annis ex ejus bonis & juribus hæreditariis percipiendos, per administratores deputandos ab ejusdem Societatis Præposito Generali, singulis temporibus, prout exiguntur, consignari Domui Probationis ejusdem Civitatis usque ad summam scuror. 10. m. investiendorum in bona stabilia; In codicillis autem disposuit, quod in eventum, in quem recuperaretur credita per ipsum in Civitate Neapolis consequenda, repositum esset in arbitrio ejusdem Præpositi Generalis dicta scuta 10. m. Collegio vel Domui applicare, prout expedire judicaverit; Quare sequuta post aliquod tempus dicta recuperatione, determinanteque P. Generali dicta scuta 10. m. ad beneficium Collegii cedere debere, Cùm hoc medio tempore summæ ex fructibus obventæ per administratores in emptionem bonorum ac jurium fructiferorum essent conversæ, prætendebatur ex parte dictæ Domus Probationis, eos à Collegio hærede sibi tanquàm legatario deberi, dictaque controversia in forma extrajudiciali delata ad eumdem P. Generalem, ab isto de meo voto pro veritate consultus. 1

Contrà petentem fructus respondendum censui, ex eo potissimè fundamento, quod legatum prædictum non fuit purum, sed conditionale, & sub conditione, quæ sivè dicatur suspensiva, sivè resolutiva, reducit causam ad non causam, & titulum ad non titulum, ac efficit, ut Domus prædicta non fuerit legataria, & consequenter nullum jus habere poterat hujusmodi fructus petendi, absque necessitate assumendi altiorem inspectionem super retrotractione favore legatarii ad suum initium, cum illa intraret, quando Domus prædicta, cujus jus eventualiter est resolutum, percepisset hoc medio tempore fructus, ad quorum restitutionem alter legatarius veniret agendo, sed cùm fructus prædicti percepti essent per ipsum hæredem, cujus favore purificatio conditionis fecit, ut legatum sibi applicaretur, seu verius, ut ejus obligatio præstandi legatum resolveretur ac cessaret, videbatur nullum superesse titulum, cujus ratione, ille qui veniebat agendo, detectus non legatarius & non dominus, prætendere posset ab eo, qui declaratus est dominus, fructus qui nunquam dantur, postquàm quis agnovit se non esse dominum, quoties agitur de percipiendis vel de extantibus, cum solùm tolleretur excusatio à restitutione eorum, qui in statu bonæ vel non malæ fidei percepti & consumpti sunt ex deductis *decis. 3. par. 7. recent. Greg. & adden. decis. 74. Burat. & adden. decis. 184. & passim.* 2

Quia verò plures Juris Consulti, ac etiam Morales dictæ Civitatis plenè pro Domo actricè scripserant, pleraque deducentes circà privilegium Ecclesiæ, seu piæ causæ super assequutione interfuriorum ex legato etiam quantitatis, sivè super translatione dominii rei legatæ, quæ ipso jure fiat in Ecclesiam, cui proinde fructus debeantur; Idcircò ad satisfaciendum; tàm scriptis, quàm etiam iis, qui præsentes dictæ Domus partes tuebantur, examinando materiam fructuum, seu accessionum legatorum, duas in proposito constituebam inspectiones, Unam super usuris, seu accessionibus per hæredem debitis Ecclesiæ, vel piæ causæ pro legato quantitatis, istius solutione pendente, Et alteram super fructibus illarum specierum, seu bonorum, in quorum acquisitionem legata quantitatis per administratores singulis quibusque temporibus ex testatoris judicio erogata fuerat.

Quoad primam, quamvis inspecta juris civilis dispositione, data mora in hærede, ab isto usuræ legatorum, licèt in quantitate consistentium, legatariis debeantur ad *tex. in l. 1. C. de usur. legat. cum concord.* Attamen receptum est hanc juris civilis dispositionem de jure canonico, in hac materia etiam in terris Imperii servando, correctam esse, ut *ex Bald. & aliis in ead. l. 1.* firmant communiter scribentes plenè collecti *per Leotar. de usus. q. 18. nu. 1. & seq.* & est hodie plana propositio, adeò vera, quod etiam si expressum accederet testatoris præceptum, de usuris ab hærede legatario præstandis, illud non esset obligatorium, neque servandum esset, ex deductis *in Taurinen. & in Marsicana & in aliis hoc eodem tit.* 3

Et quamvis, ut in eisdem *Taurinen. & Marsicana*, & in aliis deductum habetur, plerique velint, sivè ex græca *Constit. in modernis Codicibus inserta sub l. sancimus C. de Episcop. & Cleric.* sivè ex privilegio moræ irregularis competen. minori, cujus jure Ecclesia potitur, etiam hodiè Ecclesiæ, vel piæ causæ per morosum hæredem hujusmodi usuras deberi ex deductis *per Rovit. dec. 90. Marant. jun. resp. 1. & 14. lib. 1. Leotar. q. 19. num. 37.* Nihilominus ista opinio in Curia nunquam recepta fuit; Et meritò, quoniam hujusmodi privilegium, aliud causare non potest, nisi moram irregularem, quæ tanquam ficta esse non potest majoris operationis, quàm sit vera per interpellationem inducta, undè cùm juxtà opinionem, quam Curia sequitur, sola mora non sufficiat, nisi etiam concurrant alia requisita lucri cessantis, vel damni emergentis, consequenter istud privilegium non potest esse aptum ad hujusmodi usuras, seu accessiones producendas; Ideoque in specie usuras neque deberi causæ piæ, habetur apud *Gratian. discept. 688. nu. 19. & seq.* Et ita sæpius in Curia practicavi, obtinendo etiam revocationes sententiarum, quæ per Tribunalia Neapolis, retenta dicta alia opinione desuper emanaverat. 4

Est benè verum, quòd posita mora vera, qualitas Ecclesiæ, vel piæ causæ, satis est considerabilis in ordine ad necessitatem probandi extrema, præsertim illud damni emergentis, ubi potissimè agitur de legato, quod vel ex expresso judicio testatoris, vel ex qualitate oneris sibi adjecti, seu ex illius Ecclesiæ instituto perneceſse erogandum est in emptionem bonorum stabilium fructiferorum, tunc enim, quia deficit possibilitas, quòd legatarius possit legatas pecunias in alios usus erogare, satisfactum dicitur *dec. Mohed.* atque clara resultat probatio, moram debitoris fuisse causam certam & immediatam damni passim in amissione fructuum, quos aliàs certitudinaliter, facta solutione, Ecclesia percepisset; Sed ubi deficit mora vera, atque agitur solùm de ficta, seu irregulari, neque investimentum ipsi hæredi, seu debitori injunctum est (quo casu res esset indubitata), tunc asperum videtur tale privilegium practicare, quoniam esset nimium multiplicare fictiones & specialitates. 5

Clariùs verò in hac facti specie, in qua privilegium prædictum moræ irregularis non intrabat, dum agebatur de debitore pariter Ecclesia, seu causa pia, undè inter æquè privilegiatos privilegia conquassantur, ut in specie *Castrens. conf. 125. lib. 1. num. 1. Franch. dec. 16. num. 3. Rovit. d. dec. 90. nu. 8. cum seq.* ubi concordantes. 6

Est bene verum, quòd ubi non urgeret motivum resolutionis legati, de quo supra, adhuc pro legatario potiùs in præsenti respondendum veniret, stante quòd legata quantitas non fuit penes hæ-
7 redem otiosa, sed investita in emptionem bonorum & jurium fructiferorum, quorum fructus cedere deberent commodo legatarii, ubi præsertim agitur de pia causa, ut habetur in specie *apud Gratian. d. discept. 688. num. 22. & apud Marant. loco cit.* Et quamvis aliàs in facti contingentia de hujusmodi propositionis veritate dubitaverim, præsertim supra *in d. Marsicana legati*, ea ratione, quòd legatarius quantitatis potest respuere investimentum, & pecuniam quandocumque petere, ac etiam quia ejusdem investimenti periculum non est ipsius legatarii, sed hæredis, ut ibi; Nihilominùs istæ considerationes cessabant in præsenti, cùm investimentum factum esset ex judicio testatoris ad commodum legatarii, qui proinde illud recusare non potuisset, urgendo hæredem ad solutionem quantitatis, ejusque fuisset periculum contingens in bonis acquisitis, nisi obstarent superiùs dicta, quæ in sequenti inspectione quoque habentur.

Assumendo igitur dictam aliam inspectionem, dicebam, quòd licèt favore Ecclesiæ & piæ causæ,
8 rei legatæ dominium ipso jure transferatur, itaut etiam ante petitionem & moram faciat suos fructus, ut *ex Mantic. Peregr. Thes. & aliis Leotar. de usur. qu. 19. num. 3. cum seq. & num. 37.* Atque in præsenti dici posset, legatum esse potiùs speciei, quàm quantitatis, dum ex judicio testatoris factum est investimentum, Nihilominus cùm id proveniat ex privilegio, satis dubitari potest, an illud locum habeat contra hæredem pariter privilegiatum, itaut intret eadem ratio conquassationis privilegiorum, de qua supra in exclusionem privilegii moræ irregularis.

Sed hujusmodi quæstionis necessitas cessabat, Tum ob resolutionem legati, ut supra initio deductum est; Tum etiam, quia non agebatur de legato puro, sed eventuali, pendente à futura declaratione facienda per P. Generalem, regulandaque ab alio eventu recuperationis effectuum existentium in dicta Civitate Neapolis; unde propterea dici non potest, quòd hæres certò sciret se esse debitorem, sive illam speciem non esse suam, itaut dicatur indebitè percepisse fructus ex re, quam sciebat alienam, Et ex qua ratione etiam contra aliam Ecclesiam, vel piam causam satis dubitari posset, quoniam Collegii administratores credere, ac sperare potuerunt, id quod rei eventus docuit, quòd scilicet dictum legatum sibi applicandum foret, seu verius ab eo non abdicandum, unde dici potest fuisse in statu bonæ fidei, vel saltem mediæ, quæ sufficit, dum agitur de fructibus non extantibus, sed consumptis, à quibus sufficit abesse malam fidem positivam, ut *dec. 3 p. 7. rec. & sæpius.*

# TAURINEN.

*PRO*

## DE ROBBIIS,

*CUM*

## N.

### *Discursus pro veritate.*

Donatore reservante certam pecuniarum quantitatem à donatario sibi, vel alteri solvendam, an possit conveniri de usuris, vel accessionibus, dictæ pecuniæ solutione pendente, præstandis, & an licitè exigi possint, quod influit etiam ad materiam fructuum recompensativorum.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Donatarius, vel legatarius an possit percipere usuras de præcepto testatoris, vel donatoris.*
3 *Quando debitor teneatur ad interesse pecuniæ destinatæ investimento, seu multiplico.*
4 *Declaratur conclusio, de qua num. 2.*
5 *Quando fructus summa solvenda per donatarium donatori, vel alteri taxari possint etiam in summa excessiva.*
6 *An ex legatis piis debeatur interesse.*
7 *Quando debeatur interesse damni emergentis.*

### DISC. XXXII.

VOlens Carolus de Robbiis professionem in quadam Religione emittere, omnia ejus bona fratribus donavit, sub ea lege & conditione, ut quam- 1
dam pecuniarum summam infra certum tempus solvere tenerentur Religioni, seu Monasterio, à quo convertenda esset in emptionem stabilium, vel annuorum reddituum, quorum fructus in usus per eum destinatos converti deberent, quòdq; interim d. solutione pendente, ipsi tenerentur dictum fructum præstare; Cùmque non sequuta solutione sortis, donatarii per longissimum tempus fructus annuatim solvissent, hinc iidem prætendere cœperunt illos utpote illicitos, ac usurarios extinxisse sortem, in quam de jure fit imputatio. Unde introducta causa coram Nuntio Apostolico, atque ab isto lata contra eos sententia, devoluta causa per appellationem ad Curiam, ex parte agentis pro appellantibus, ante appellationis prosequutionem communicatis allegationibus Advocatorum Taurinensium credentium eos bonum jus fovere, pro veritate de proprio judicio requisitus fui, ad effectum deliberandi super ulteriori prosequutione.

Fundamentum dictorum scribentium erat, quòd ubi per legatarium, vel donatarium pecunia legata, 2
vel donata ad sui libitum est repetibilis, itaut per testatorem, vel donatorem non sit exigere prohibitus, tunc pendente hujusmodi solutionis retardatione, prætendi nec recipi possunt accessiones, quæ usurariæ dicuntur tanquam lucrum temporis & mutui interpretativi, quamvis à testatore, vel alio disponente, ita demandatum esset, quia non potest ejus voluntas reddere licitas usuras intrinsecè malas & prohibitas, ex firmatis *apud Buratt. & Adden. dec. 144. Leotar. de usuris q. 18. Cavaler. dec. 591.* & in terminis donationis, vel contractus inter vivos *in Viterbien. transact. 11. Decembris 1658. & 9. Maji 1659. coram Celso* inter suas *dec. 277, & 291.* à quibus licèt in subsequentibus instantiis recessum esset, nihilominus id fuit ex aliis fundamentis resultantibus à circumstantiis facti, non quòd de dicta juris propositione dubitaretur, ut supra *in d. Viterbien.*

Et quamvis ista pecunia per donatorem destinata esset

esset investimento fructifero, nihilominus pro ratione dubitandi, atque aliquid pro hac parte addendo iis, quæ dicti scribentes deduxerant, Dicebam tunc debitorem teneri loco damnorum & interesse ad fructus aliàs percipiendos ex investimento, quandò illud sibi à disponente injunctum esset, vel ipse ex conventione in se suscepisset, cùm tunc hujusmodi damna & interesse dicantur deberi potius ob non factum, quàm ob non datum, seu potiùs tanquam à mandatario non implente mandatum, quàm à debitore non solvente debitum, ut in terminis hæredis, cui testator pecuniæ investimentum injunxerat *dec. 446. p. 1. rec. dec. 159. post Pacif. de Salviano Viterbien. dotis 26. Junii 1641. coram Dunozetto* inter suas *dec. 627.* & in terminis debitoris in se suscipientis onus *in Romana multiplici dec. 85. & 668. p. 4. rec. tom. 2. & 3. in ead. 18. Martii 1654. coram Meltio, dec. 7. post Salgad. in Labyrint. & in aliis*, de quibus sæpius *hoc tit.* & in altero *de Cambiis, & in Romana pecuniaria seu fructuum de Matthæis 15. Junii 1666. Albergato*, secus autem ubi investimentum faciendum est ab ipso creditore, seu altero cui solutio fieri debet, quia tunc debitor solam debitoris personam gerere dicitur, non autem mandatarii, atque interesse provenit à sola retardatione solutionis pecuniæ, ut ita distinguendo inter investimentum incumbens debitori, & respectivè creditori firmatur *in Romana fructuum dotis 21. Aprilis 1651. Cerro*, quæ in hoc puncto reputatur magistralis confirmata 15. *Januarii 1652. Bichio impress. post controver. Contrii dec. 115.* & cum quibus pertranseunt *dd. dec. Viterbien. coram Celso.*

3 His tamen non obstantibus, contrarium de jure verius credidi, undè propterea ab ulteriori litis prosecutione abstinendum consului, ex pluribus fundamentis; Primò quòd hîc non ageretur 4 de simplici legato, vel donatione certæ summæ pecuniariæ, quam legatarius, vel donatarius ex liberalitate & causa lucrativa perciperet, itaut in lucro etiam esse diceretur, ejusdem pecuniæ legatæ, vel donatæ accessiones obtinendo, in quibus terminis allegatæ auctoritates procedunt: sed agebatur de summa, ad quam donator donatarium obligaverat ad favorem sui ipsius, vel Monasterii, cui aliàs non facta tali dispositione ejus bona acquiri debuissent, correspectivè ad prædictorum bonorum donationem, & tanquam pretium, seu pretii partem, undè propterea intrant termini *textus in l. curabit Cod. de action. empti*, super fructibus recompensativis debitis pro pecunia solvenda loco demissionis bonorum stabilium & censuum, in quibus bona donata pro majori parte consistebant, juxtà punctualiter firmata *in d. Viterbien. transactionis coram Albergato, Verospio & Taja*, ut suprà *in d. causa hoc eod. tit.*

Neque intrare poterat difficultas super excessiva hujusmodi fructuum, seu interesuriorum taxa, ultrà legalem quinque pro centenario deductam *ex* 5 *recepta glos. in auth. perpetua, Cod. de sacrosanct. Eccles.* Tum quia inter bona donata aderant census fructantes ad præscriptam rationem septem pro centenario, undè ad istos dicta taxa referri poterat, ut ponderatur *decis. 471. numer. 3. par. 1. rec.* Tum etiam clarius, quia difficultas tunc intrare posset, quando dicta summa pecuniaria per donatarium solvenda, adamussim correspondaret pretio seu valori bonorum seu jurium fructiferorum, cùm tunc fictio non possit excedere veritatem, ideòque hujusmodi fructus recompensativi esse non possunt majores quàm illi, qui verè ex ipsis bonis percipiuntur, juxtà opinionem, quam sequitur Rota & Curia, ut sæpius in præcedentibus; Secùs autem ubi eorumdem bonorum valor est longè major, quoniam si bona donata vel aliàs correspectivè data fructarent 1000. ut benè non videtur quid prohibeat ipsorum bonorum domino gravanti recipientem ad solvenda sola 500. in sorte, illum gravare ad solvendum in casu moræ excessivum interesurium etiam 10. & 15. pro centenario, ut ita ad promptam solutionem magis excitaret, & sollicitum redderet, cùm ita debitor damnificatus non diceretur de proprio, sed solum privatus eo lucro & emolumento, quod donator seu alter contrahens sub ea conditione sibi concedere voluit, ex *iis*, quæ in terminis cambiorum limitatorum transeuntium ad currentia in casu minus promptæ solutionis habetur pluries *sub tit. de cambiis*, dum in effectu donator, vel disponens ità nihil habere dicitur de bonis debitoris, sed solùm percipere fructus suorum bonorum sub ista conditione alteri dimissorum. Et ex hoc solo fundamento credebam requirentium prætensionem omninò injustam, minusque fundatam remanere.

Præterea licèt Curia Romana in veriori sensu Canonistarum non recipiat dispositionem *textus in* 6 *l. sancimus 46. C. de Episcopis & Clericis in illis moderna impressionis Gottifredi*, super interesuriis Ecclesiæ, vel piæ causæ debendis, ob retardatam legati pecuniarii solutionem, sivè opinionem aliorum volentium Ecclesiæ, vel piæ causæ idem interesse deberi ratione moræ irregularis, quæ ipso jure inducitur favore pupilli, vel minoris, cujus juribus & privilegiis Ecclesia, vel pia causa potitur ex deductis *per Rovit. dec. 90. & Marant. jun. respons. 14. & 20. lib. 1.* quoniam in Curia contrarium est magis receptum, ut etiam in Ecclesia, vel pia causa consueta requisita lucri cessantis, vel damni emergentis desiderantur, ut habetur suprà *in Marsicana legati*, & in aliis; Nihilominus observabam id non procedere, quando ageretur de pecunia præcisè, ac necessariò destinata perpetuo investimento fructifero, itaut volens, non possit ille, qui penias percepturus est, etiam de consensu debitoris solvere debentis, eas in alios usus erogare; Ubi enim cessat dicta possibilis conversio in alios usus, 7 verius est ob retardatam pecuniarum solutionem deberi fructus in ratione damni emergentis loco fructuum ex investimento percipiendorum, cùm tunc constare dicatur morani debitoris fuisse causam immediatam damni, ut *in Bonon. damnorum 4. Maii 1612. coram Coccino, in Esina census 16. Junii 1664. coram Cerro*, & habetur specialiter actum suprà *in eadem Esina*, & in aliis *hoc tit.* Et hic erat casus, quoniam ex disponentis voluntate pecunia solvenda, præcisè, ac necessariò destinata erat investimento, itaut Monasterium, cui solvenda erat, non posset eam in alios usus convertere, cujus contrarium procedebat in casu dictarum decisionum, *in Romana fructuum dotis coram Cerro & Bichio*, quoniam investimentum conventum erat pro sola cautela debitoris, eoque volente, itaut ipso non curante, vel non opponente, potuisset creditor pecuniam solvendam in alios usus erogare, undè investimentum non erat præcisum & necessarium.

Demum ponderabam, quòd si quæ difficucultas intrare posset favore debitorum, procederet solùm in fructibus, seu accessionibus solvendis; secus autem in solutis, & per Monasterii superiores erogatis in currentes expensas, vel in usus ab ipso disponente destinatos, quoniam si daretur imputatio in sortem, sequeretur, quòd ita per diminutas solutiones distracta dicerentur bona stabilia in sorte

principali, quorum jure metienda est pecunia ad eorum emptionem præcisè, ac necessariò destinata, itaut illa alienatio, quæ absque solemnitate & causa directè fieri non potest, ita indirectè fieret, quod de jure concedendum non est, ut motivatur etiam suprà *in Neapolitana.*

# JANUEN.

## *Responsum pro veritate extra Curiam, suppressis nominibus.*

De eadem materia usurarum ex legato, An debeantur, ubi agitur de legato facto per patrem filiæ vel nepti in causam dotis præstandæ tempore nuptiarum.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Pro legato pecuniario non debentur usuræ.*
3 *An & quando debeantur fructus vel usuræ pro legato pecuniario relicto ex causa legitima.*

### DISC. XXXIII.

1 PETRUS Liviæ ex filio prædefuncto nepti reliquit pro legitima, & toto eo, quod prætendere posset domum, aliaque bona, nec-non petias 50. m. præstandas per hæredem tempore nuptiarum; Cùmque inter mortem testatoris & nuptias, notabile temporis intervallum decurrisset, pro veritate consultus fui, an per legatariam prædictam prætendi possent fructus, seu usuræ.

Respondi, quòd considerato isto relicto, tanquam simplici legato, casus erat planus pro negativa; Tum quia pro legato pecuniario, non probatis cum mora, requisitis lucri cessantis, vel damni
2 emergentis, certum est, nullas accessiones deberi, nisi accedat expressa testatoris dispositio, quæ sola non sufficit, nisi etiam concurrat in legatario prohibitio petendi sortem, qua repetibili existente, non possunt accessiones deberi etiam ex præcepto testatoris, ut *in Marsicana, & in aliis hoc. tit. sæpius*; Tum etiam, quia cessabat mora, quod est præcipuum ac essentiale requisitum interesse, dum testator non gravavit hæredem simpliciter, itaut sequuta morte testatoris, intrare posset mora irregularis favore minoris, qualis erat legataria, sed injunxit solutionem de tempore nuptiarum, unde adest dilatio, qua pendente, etiam in terminis fructuum recompensativorum, vel similium, non datur eorum cursus, ut hoc pariter titulo frequenter, quia sunt principia plana, sine auctoritatibus præsupponenda.

Difficultas in proposito cadere solùm poterat in eo, quòd hujusmodi legatum utpote factum nepti ex filio defuncto, primum exinde locum occupanti pro legitima, & omni eo, &c. diceretur loco legitimæ subrogatum, ideoque tanquam de legitima absque interpellatione, vel alia mora deberentur fructus ipso jure; Verùm ultrà responsionem resultantem ex jure statutario Civitatis Januen. ubi præsens controversia erat, Dicebam, conclusionem
3 prædictam de fructibus ipso jure absque mora debitis pro legitima, procedere in ea rata, quæ tanquam quota bonorum deberur ex bonis, & juribus fructiferis, quasi quòd ille, cui legitima debetur, obtineat fructus illius ratæ bonorum jure dominii, quam lex ei refert; unde propterea quoties consistit in pecunia de sui natura sterili & infructifera, dicta ratio non intrat, cùm fictio non possit excedere veritatem, neque accessiones possint esse majores, quàm essent illi fructus, qui jure dominii ex ipsis bonis perciperentur, adinstar fructuum recompensativorum *ex l. curabit*, ut in specie usurarum seu fructuum legitimæ in pecunia habetur *apud Otthob. dec. 38. & 81. num. 5. & sequent. in Avenionen. pecuniaria*, 10. *Decembris* 1646. *& 5. Aprilis* 1647. *Verospio*, quarum secunda *est decis. 39. par. 10. recent. Milevitana bonorum* 10. *Maji*, 1652. *Meltio dec. 248. num. 11. par. 11. rec. & in aliis.* Quoties tamen ipsa bona hæreditaria, ex quibus ea detrahenda est, in pecunia, aliisque rebus de sui natura infructiferis consistunt; secus autem, si in bonis stabilibus, parens verò loco quotæ istorum tantam pecuniam assignet, quoniam ista dicitur pretium istorum bonorum tanquam per actum occultum emptionis, & venditionis, ideoque intrant termini *text. in d. l. curabit*, ex cujus æquitate debentur fructus recompensativi ad limites eorum, qui ex dictis bonis percipiuntur ex deductis *per Leotar. quæst. 18. num. 19. & seqq. decis. 186. post Pacificum, &c. & admittitur apud Otthob. ubi supra cum aliis disc. 108. sub tit. de feud.*

Hinc proinde concludebam, inspiciendum esse, an isti nepti debita esset nec-nè legitima, quam statutum tolleret, vel ita moderaret, quòd filiæ vel nepti paternum judicium impugnare non concedatur, ut disponitur ex Statuto dictæ Civitatis *lib. 5. cap. 23.* quoniam hujusmodi statutaria dispositione concurrente, per quam illa juris communis correcta, vel alterata esset, cessabat omnis quæstio; Licèt enim Statutum cesset ex contrario judicio testatoris, qui potest agnoscere in suum illum, qui à statuto factus est extraneus, atque agnitio, juxta unam opinionem à Rota approbatam, resultare dicatur à dispositione, sub expresso titulo legitimæ, ut sæpiùs *in sua materia sub tit. de successionibus*, nihilominùs cùm agnitio esset ita qualificata, credebatur paternum judicium dividi non posse, sed acceptandum esse cum sua qualitate.

Quatenùs verò ad limites juris communis legitima prædicta debita esset, atque patrimonium consisteret in toto, vel in parte in bonis & juribus fructiferis, Dicebam inspiciendum esse ejusdem patrimonii statum, an scilicet valor aliorum bonorum huic nepti relictorum, dictaque summa petiarum 50. m. adæquet id, quod legitima de jure debita importaret, vel potiùs excedat; In casu enim excessus putabam nullos fructus alioquin debitos prætendi posse, cùm illa dilatio esset pars pretii, & compensativa illorum fructuum, quos ad præcisos limites debiti, ita ex meliori consilio testator in sorte ita dilata reliquisse videbatur; si verò essemus in casu adæquationis, dicebam fructus esse debitos ad mensuram seu proportionem eorum, qui ex quota bonorum hæreditariorum debita pro legitima obvenerunt, juxta regulam *text. in d. l. curabit*, ut in specie legati dotis loco legitimæ relicti in pecunia ad hunc effectum firmatur *in allegata Avenionen. coram Verospio, in Milevitana Viridarii, 2. Maji* 1653. *coram Peutingerio, & in aliis.*

* * *
* *

HOR-

# HORTANA SPOLII, PRO CAPITULO CATHEDRALIS CUM CASICCHIIS.

## *Discursus pro veritate.*

De requisitis ad damna & interesse passa per fidejussorem petentem illorum refectionem à principali debitore, & quando fidejussor possit sumere pecuniam sub usuris, vel ad interesse in damnum principalis.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Fidejussor non petit usuras pecuniæ solutæ pro principali, nisi prævia interpellatione personali.*
3 *Distinguuntur plures casus in materia, quando principalis debitor teneatur fidejussori ad usuras, & quæ interpellatio requiratur.*
4 *De interesse damni emergentis petiti per creditorem à debitore moroso, quando debeatur, & quid concurrere debeat.*
5 *Interpellatio in cambiis & aliis potest remitti ex pacto.*
6 *Quando ad interesse damni emergentis non sit necessaria interpellatio.*
7 *Quòd sola scientia etiam sine citatione sufficiat fidejussori contra principalem debitorem.*
8 *De facultate fidejussoris renovandi contractus usurarios, vel novos contrahendi in damnum principalis debitoris morosi.*
9 *Quomodo de hoc constare debeat.*
10 *Etiam ubi interpellatio requiritur, non debet esse in certa forma præcisa, sed sufficit scientia, seu alias æquipollens.*
11 *De differentia inter scientiam præsumptam, & scientiam veram, cum præsumptionibus probatam.*
12 *Ex quibus probetur scientia.*

### DISC. XXXIV.

1 Fidejusserunt pro Michaële Casicchio illi de Planis, qui pulsati per creditorem ad solvendam pecuniam, quam principalis debitor statuta die solvere negligebat, ut propriam carcerationem, vel propriorum bonorum executionem & subhastationem evitarent, pecuniam creditori solutam acceperunt sub usuris, atque tractu temporis Diamantes, dicti Michaëlis Uxor, per viam transactionis, pro viro absente etiam de rato promittens, se obligavit erga dictos fidejussores ad solvendum intra conventum tempus sortem ac usuras decursas, quas ipsi solvere coacti fuerant ei, à quo pecuniam ad dictum effectum receperant; Cùmque solutio non sequeretur, obtinuerunt mandatum executivum, cujus vigore processum est ad subhastationem cujusdam prædii dictæ Diamantæ, deliberati Capitulo Cathedralis Hortanæ, quod deinde illud in perpetuam locationem concessit Battilanis, contra quos, ac etiam contra Capitulum prædictum, dicta Diamantes judicium reintegrationis instituit, atque emanatis hinc inde aliquibus sententiis Judicum inferiorum, commissa demum causa *in Rotâ coram Ghislerio*, eaque proposita *sub die* 10. *Junii*, 1637. resolutio dictæ Diamanti favorabilis prodiit pro reintegratione adversus factum Judicis nullum, & spoliativum, ex eo præcipuè fundamento, quòd mulieris obligatio esset invalida tanquam excessiva, & ex falso præsuppositio, dum se obligaverat pro viro, non solùm ad sortem, sed etiam ad usuras, ad quas debitor fidejussori non tenetur, nisi prævia citatione personali, itaut non sufficeret illa domi dimissa copia, quæ ex parte 2 fidejussorum facta erat, aliquibus etiam aliis dictæ subhastationis nullitatibus ponderatis, ut liquet ex decisione desuper edita *impress. dec.* 229. *par.* 7. *rec.* atque in eadem resolutione in gradu appellationis restitum fuit 14. *Junii*, 1638. *&* 16. *Januarii*, 1640. *coram Roias*, inter suas *decis.* 46. *&* 88. Cùmque non obstante oppositione meliorationum præviis decisionibus coram eodem *Roias*, inter suas *decis.* 116. *&* 461. expeditum esset mandatum de reintegrando executioni demandatum, Volens Capitulum dictam causam prosequi, consilium pro veritate petiit, non quidem circa respicientia ordinem super nullitate relaxationis vel executionis dicti mandati, minusque super aliis nullitatibus dictæ subhastationis in dicta prima decisione *coram Ghislerio* firmatis, cùm omnia consisterent in facto causæ Patrono potiùs incumbentia, sed super puncto negotii principalis, an scilicet per dictum Michaëlem deberentur dictæ usuræ seu interusuria per fidejussores soluta, cùm ex hoc penderet validitas obligationis Diamantæ.

Respondi, quòd quamvis me terreret auctoritas dictarum trium decisionum Rotalium, Nihilominùs inspecta veritate, probabiliùs videbatur, 3 illas non subsistere; Atque ad elucidandam propositionem in eis firmatam, præsertim in prima *num.* 11, *&* 12. super requisito citationis personalis per fidejussores faciendæ principali debitori, tam ad effectum conciliandi, seu congruè applicandi decisiones, & auctoritates, quas in materia habemus, quàm etiam ad effectum dignoscendi, an & quando interpellatio requiratur, & qualis in proposito sufficiat, dicebam plures casus distinguendos esse.

Quorum primus est, ubi agitur de interesse, quod ipse creditor à moroso debitore prætendit, ob debiti solutionem sibi in tempore non factam, 4 quia nempe solverit usuras proprii debiti, quod facta dicta solutione potuisset extinguere, sive indigens pecuniis eas acceperit ad cambium, vel aliud interesse, quod non fecisset, si dicta solutio sibi facta esset; Et tunc licèt *Ruin. cons.* 104. *lib.* 4. cujus & sequacium opinionem probabiliorem esse, latè tuetur *Leotar. de usuris, qu.* 75. *num.* 10. *cum sequent.* affirmativam teneat, ut scilicet sufficiat creditorem de facto tale damnum passum esse, Nihilominùs Rota & Curia Romana sequitur contrariam opinionem, juxta originalem decisionem *Mohedan.* 103. aliàs 2. *de usur.* ut scilicet requiratur debitoris interpellatio, per quam ille certus reddatur de indigentia creditoris, ejusque voluntate convertendi dictam pecuniam debitam in

hujus-

hujusmodi causam, cùm aliàs debitor opinari potuerit, illam retinendam esse otiosam, & hic est casus, de quo agit *Gratian. discept. 829. per tot. & 987. num 8. cum sequent. ac etiam agit Rota in Romana fructuum, & Interesse coram Innoc. decis. 7. post Zacch. de Societ. off. in qua Gratianus* totum se fundat, & cum quibus auctoritatibus solùm procedunt dictæ hujus causæ decisiones, præsertim prima *decis. 229 par. 7 rec. num. 11, & 12.* quibus auctoritatibus addi possunt decisiones *in Romana cambiorum, 24. Junii, 1618. coram Manzanedo. in Romana Census, 16. Junii, 1654. & 30. Aprilis 1655. coram Dunozetto, Æsina Censu 23. Januarii, 1665. coram Cerro,* & plures aliæ idem firmantes, quòd scilicet debitor certificari debet ab ejus creditore de tali voluntate, & quòd ipse pro debito aliàs non usurario nec fructifero, supponatur usuris.

Et nihilominùs isto casu, neque jure cautum est, necessariam esse citationem judicialem, ac præcisè personalem, quoniam sufficit scientia talis qualis, 5 dum etiam ex pacto præcedenti id fieri potest, ut passim habemus receptum in facultate capiendi ad cambium, quæ datur creditori in casu moræ, etiam sine interpellatione, ex deductis *in Romana cambii, prima Julii, 1658. Meltio, in eadem 24. Martii, 1664. Otalora, Romana cambiorum. 10. Martii, 1662. Verospio,* & aliàs quotidie, de quibus in sua materia *sub tit. de cambiis.*

Ac ulteriùs dicta interpellatio, vel ejus remissio 6 necessaria est pro cursu cambiorum, seu aliorum interusuriorum, in quibus creditor agat de lucro, quia dicta interusuria ad ejus utilitatem cedant, qualis est casus *in dicta decis. 7. post Zacch.* & in aliis suprà allegatis; Secùs autem, ubi agitur de interesse damni emergentis, cujus restaurationem creditor à debitore petat, quia scilicet ipse aliis interusuria solverit, quia tunc si constat de certa destinatione, itaut non urgeat ratio incertitudinis, quòd creditor pecuniam à debitore solvendam, non esset erogaturus in alios usus, unde dici valeat moram debitoris fuisse causam immediatam damni, tunc neque interpellatio, vel alter actus requiritur, ut habetur *in Bononien. damnorum, 4. Maji, 1612. coram Coccino,* benè *in dicta Æsina Census, 16. Junii, 1664. Cerro, de qua causa hoc tit. disc. 14.*

Sed non erat iste casus noster, quem ita insinuare congruum censui ad dignoscendum non multum fundatas videri decisiones, præsertim primam coram *Ghislerio*, cum qua simpliciter pertranseunt aliæ coram *Roias*, utpote fundatæ in auctoritatibus percutientibus terminos omninò diversos.

Alter casus est fidejussoris, qui debitum pro principali debitore solvit creditori de proprio, atque ut de sua pecunia soluta se reintegraret, illamque non teneret otiosam, æquivalentem summam accipit ad cambium, seu in suis libris ponit principalem debitorem sub cambiis, vel aliis interusuriis ad propriam utilitatem, itaut quæstio dictorum interusuriorum percutiat potiùs lucrum captandum, quàm damnum vitandum, & hic est casus, de quo *in Romana Cambiorum, 17. Decembris, 1584. coram Gypsio, post Zacch. de oblig. Camer. decis. 20. & in Romana relevationis indemnitatis, 9. Junii, 1604, & 12. Junii 1606. coram Lancellotto, dec. 324. & 343. post Cenc. de Cens.* quæ sunt decisiones magis adaptatæ ad casum fidejussoris, & cum quibus procedunt DD. loquentes in specialibus terminis, præsertim *Cenc. de Cens. quæst. 75. num. 7. Duard. eod. tract. §. 3. quæst. 13. num. 32. in fine.*

Ac etiam isto casu notabilis differentia est inter primam decisionem *coram Gypsio*, & alias duas coram *Lancellotto*, in prima enim agitur de fidejussore contendente de lucro, quia pecuniam pro principali solutam posuerat in ejus libris sub cambiis, in aliis autem agitur de fidejussore fidejussoris, qui jure dicitur fidejussor indemnitatis, in quo per lapsum temporis non datur mora, cùm ad istam incurrendam requiratur denunciatio sibi facienda per fidejussorem, quod principalis debitor non solvit; unde propterea ipse molestatur, & hæc ratio cessantis moræ est potissima, ut ex lectura decisionum.

Et tamen neque dictis casibus jure cautum est, necessariam esse formalem interpellationem judi- 7
cialem & personalem, sed sufficit requisitio extrajudicialis, vel scientia aliàs probata, ut in fortioribus terminis dictæ primæ decisionis *coram Gypsio*, ubi fidejussor agebat de lucro, habetur *in alia decisione coram eodem post eumdem Zacch. de oblig. Cam. decis. 21.* ubi de probatione scientiæ cum testibus singularibus, adminiculis, & verisimilitudinibus.

Tertius demum est præcisus casus noster, ubi scilicet principali debitore existente in mora statuta die debitum solvendi, creditor pulsat & urget 8
fidejussorem, qui non habens pecuniam propriam, cum qua solveret, ad se liberandum à carceratione, vel aliis molestiis, renovat societatem officii cum eodem creditore, seu capit ab aliis ad societatem officii, seu ad cambium, vel aliud interesse pecuniam, directè & immediatè solutam creditori, itaut constet, moram principalis debitoris fuisse causam præcisam & immediatam damni, quod deinde fidejussor passus est in solvendo fructus seu interusuria; Et tunc absolutè falsum est, ad hujusmodi damni emendationem, seu restaurationem, aliquam præcedentem interpellationem necessariam esse, dum in jure habemus, jura litteraria tribuentia facultatem fidejussori molestato, capiendi sub usuris, in damnum debitoris pecunias creditori pulsanti solvendas, *l. si verò non remunerandi, § si mihi, & l. si mandato meo. §. si fidejussor, ff. mandati, cum concord. de quibus Leotar. de usur. quæst. 98. num. 11. & seq. & quæst. 75. num. 33. eadem Rota d. decis. coram Gypsio 20. post Zacch. de oblig. num. 12.* satis bene *apud Ubaldum dec. 208. nu. 8.* quæ est etiam *impress. post Zacch. de societ. dec. 60. post & Mangil. de subhast. dec. 48. ubi num. 9.* respondetur ad dictam decisionem *in Rom. Cambiorum coram Gypsio*, ex ea clara ratione, quòd si fidejussori per principalem morosum reficienda sunt omnia damna quomodocumque passa, etiam expensarum litium, ac damnùm sui exercitii impediti, & alia quæcumque, juxta textum clarum *in cap. 2. de fidejussor.* nulla ratio exigit, ut in hujusmodi interusuriis passis ex culpa debitoris non solventis in tempore, fidejussor damnificari debeat de proprio, ne ob officium amico præstitum, loco gratitudinis, damnum & injuriam patiatur, *Cenc. d quæst. 75. num. 7. in princ.* Solùmque *Cenc. post dict. num. 7. vers. nec etiam,* ad- 9
vertit, constare debere, quòd fidejussor verè & immediatè in istam causam pecuniam ad interesse acceperit, cùm potuerit accipere in aliam ejus causam propriam, atque ad hunc effectum laudatur interpellatio cum protestatione, tanquam cautela, cum qua hujusmodi dubietas, seu incertitudo tollatur; sed ubi constat, moram debitoris fuisse causam præcisam & immediatam, tunc videtur casus extra controversiam, & de quo nemo dubitat, quia verè deficit occasio dubitandi.

Verùm

Verùm quando hæc omnia deficerent, itaut admittenda esset etiam in isto casu dicta propositio
10 super interpellatione ita indigestè firmata, non tamen jure cautum est illam esse debere judicialem & personalem, sed sufficit scientia quomodocumque habita, etiam per præsumptiones & verisimilitudines probata, ut benè *in Pisauren. pecuniaria coràm Otthob.* inter suas *dec.* 269. & clarius in ejus confirmatoria 14. *Junii* 1652. *coram Celso* inter suas *dec.* 152. ubi *in §. necrefert*, optimè advertitur, quod
11 aliud est scientiam esse præsumptam, aliud autem scientiam veram probari præsumptionibus & conjecturis, ideoque in dictis decisionibus firmatur sufficere citationes executas contrà procuratorem vel institorem, ac etiam domi propter statutum disponens, quòd citationes fieri possint domi.

In nostra verò facti specie videmur esse in terminis clarioribus, quàm in allegatis decisionibus
12 *Pisauren.* Tum quia ubi adest obligatio Camerales, de stylo pro illius executione sufficiunt citationes domi, Tum etiam ob illarum pluralitatem, ob quam satis probabile est id deveniſſe ad ejus notitiam; Clarius verò ac evidenter ob obligationem uxoris cum decreto judicis aliisque solemnitatibus statutariis, ac stante lapsu temporis inter relaxationem mandati ad instantiam creditoris & contractuum, de quo agitur; dum enim ipse scivit non solvisse, atque à creditore molestias passus non est, omninò dicendum est sciviſſe solutionem factam per fidejussorem, potissimè in loco parvo, in quo etiam minuta negotia habent speciem notorii, & quilibet scit, quanta ova faciant gallinæ cujusque, undè propterea hujusmodi scientia pro meo judicio habere videbatur de indubitabili.

Ponderando etiam, quod ut liquet *ex secunda decisione coràm Rojas* inter suas *dec.* 88. *num.* 4. *& seq.* obligatio uxoris fuit per viam transactionis, quæ proindè supponit litem præcedentem, qualem probabiliter credendum est interceſſiſſe, putà quia fidejussores exequi vellent bona viri, & uxor executioni se opponeret, ideoque dicta circumstantia videtur multum in proposito considerabilis, atque ita respondendum censui, incertamen est quid indè sequutum sit.

# PAPIEN.

## PECUNIARIA,

*PRO*

## MARCO ANTONIO MENOCHIO,

*CUM*

## JOANNE BAPTISTA PETRAGRASSA.

### *Casus decisus per Rotã pro Petragrassa.*

De transactione super usuris, An & quandò attendatur in præjudicium ipsius transigentis; Et quid in præjudicium tertii, putà secundi creditoris opponentis creditori anteriori extinctionem debiti cum imputatione usurarum; Et aliqua de interesse damni emergentis.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Usuræ dotales non debentur soluto matrimonio etiam si matrimonii reliquiæ supersint.*
4 *De requisitis interesse damni emergentis.*
5 *In materia usurarum non attenduntur confessiones partium.*
6 *Ubi usuræ cantant in unam causam, non possunt referri ad aliam.*
7 *Admittuntur in genere dictæ conclusiones, de quibus numeris præcedentibus.*
8 *Confessio ubi est adminiculata attenditur etiam in prohibitis confiteri, & in tertii præjudicium.*
9 *Transactio quando afficiat tertios jure proprio & independenter à transigente venientes, puta fideicommissarium, feudatarium & similes.*
10 *De transactione super usuris quando valeat & præjudicet etiam tertiis, distinguitur.*
11 *De differentia inter remissionem & transactionem in hac materia.*
12 *Quomodo in hac materia confessioni deferendum sit.*
13 *De conclusione de qua nu. 9 quæ declaratur.*
14 *Subdeclaratio hujus declarationis.*
15 *Gesta cum debitore præjudicant ejus creditoribus vel fidejussoribus.*
16 *Quando dicatur transactio inita bona fide.*
17 *Ad regulandam transactionem attendendum est tempus, & locus in quibus inita est.*
18 *Interpellatio pro interesse damni emergentis etiam præsumptiva seu adminiculativa sufficit.*

### DISC. XXXV.

COntracto matrimonio de anno 1633. inter Jacobum Franciscum Menochium & Placidiam de Benciis cum dote per dictæ Placidiæ fratres constituta in libris 30. m. Imperialibus, tunc solutis in rata librarum 12. m. pro reliquis verò 18. m. dilata solutione ad sexennium, cum conventione fructuum ad quinque pro centenario, Atque illinc ad biennium dissoluto matrimonio per mortem mulieris, superstitibus filiis, De anno 1641. cum narrativa quòd dotantes pluries ac pluries à Menochio interpellati fuissent ad solutionem dicti residui, agnoscentes se fructuum seu interfuriorum debitores, illi dederunt in solutum quosdam effectus; De anno verò 1657. inter præfatas partes exortæ fuerunt judiciales controversiæ, quoniam Menochio petenti dictum residuum dotis unà cum fructibus seu interfuriis usque tunc decursis & non solutis, opponebant dotantes de præfati debiti extinctione cum usuris post dissolutum matrimonium solutis de jure in sortem imputandis, Undè vigore statuti deventum est ad necessarium compromissum in duos Jurisconsultos, coràm quibus per triennium causa disputata, ex eorum consilio, inter dictos dotantes ac Marcum Antonium Menochium præfati Jocobi Franciſci interim defuncti hæredem deventum est ad transactionem, per quam creditor debitoribus remisit partem sortis redactæ ad libras 15. m. ac etiam remisit notabilem partem fructuum seu interfuriorum, quadam parte promissa, & pro quibus omnibus debitores in se accollarunt quemdam censum,

sum, quo dicti Menochii hæreditas gravata erat; Quibus sequutis, cum in bonis dotantium efformatus esset concursus creditorum, inter quos Menochius, desumendo hypothecam à dicto anno 1633. primum locum occupabat, Joannes Baptista Petragrassa secundus creditor, excipiebat de dicti prioris debiti extinctione usuris solutis, sed ad favorem Menochii prodiit in prima instantia sententia Ordinarii Papien. in gradu appellationis confirmata per A. C. Introductaque per appellationem causa *in Rota coram Priolo*, datoque dubio, *An & de cujus credito constet ad effectum prælationis*, 2 sub die 2. *Martii* 1668. prodiit resolutio Petrægrassæ secundo creditori favorabilis, constare scilicèt de ejus credito ex consimili constitutione dotis resultante, quod per hanc partem non controvertebatur, Illud verò Menochii esse extinctum cum fructibus seu interfuriis dotalibus exactis post dissolutum matrimonium, ex quo tempore, juxtà opinionem, in qua residet Rota & Curia Romana, cessante ratione supportationis onerum matrimonialium cui innixa est dispositio *textus in cap. salubriter de usuris*, atque resoluto titulo dotis in purum creditum pecuniarium nulli fructus vel interfuria debentur, e- 3 tiamsi matrimonii reliquiæ supersint, non concurrentibus legitimis requisitis interesse lucri cessantis vel damni emergentis in quocumque debito indifferenti necessariis, ex deductis *per Gratian. discept.* 427. *Adden. ad Gregor. decis.* 573. *num.* 17. *Rota decis.* 91. *post Fenzon. ad statuta decis.* 94. *post Merlin. de pignor. Romana fructuum dotis* 21. *Aprilis* 1651. *Cerro*, & 15. *Januarii* 1652. *Bichio*, quarum secunda est impressa post *Zuff. de legit. proces. decis.* 4. *Romana fructuum* 16. *Januarii* 1660. & 14. *Febr.* 1661. *Bevilaqua*, quarum prima est post eumdem *Zuff. dec.* 46. & habetur frequenter in sua materia *sub tit. de dote*.

Ad motivum verò ex hac parte deductum, quod constaret de interesse damni emergentis ob moram debitorum per creditorem ab initio passi ex censu passivo, quo in eadem summa in sorte, & ad eamdem rationem in fructibus pressus fuit, cum dicta pecunia aliàs extinguendo, responsum fuit, 4 quod juxtà opinionem, quam, rejecta sententia, quæ tribuitur *Ruin. cons.* 104. *lib.* 4. sequitur Rota & Curia juxtà *decisionem Mohed.* 2. *de usuris*, non sufficit docere de tali interesse passo in genere, nisi constet per protestationem ac interpellationem de declaratione animi creditoris convertendi debitam pecuniam in illius debiti extinctionem, itaut debitoris mora fuerit causa præcisa & immediata damni, juxtà ea quæ super hac conclusione habentur pluries in præcedentibus deducta *hoc titulo*, præsertim *in Esina census disc.* 14. & plenè deducitur in decisione.

Atque ad hujus partis fundamentum, quod de hac circumstantia constaret ex ipsa transactione, in 5 qua transigentes fassi sunt, ac agnoverunt se per creditorem fuisse pluries interpellatos pro solutione ad effectum extinguendi dictum censum, cujus interesse eorum damno cedere deberet, respondetur, quod in materia usuraria partium confessionibus deferendum non est, sed veritas extrinsecùs ac aliundè justificanda venit ex deductis *per Gratian. discept.* 851. *numer.* 11. & *seq Rota decis.* 69. *num.* 22. & *sequen.* & *dec.* 307. *nu.* 16. & *sequen. par.* 9. *rec. in dicta Romana fructuum dotis* 21. *Aprilis* 1651. *coram Cerro confirmata* 15. *Januarii* 1652. *coram Bichio*, cum aliis in decisione desuper edita, in qua præsertim consideratur, quòd cùm exactiones dictorum fructuum seu usurarum cantent in causam fructuum dotalium, ita ob hujusmodi causam ex- 6 pressam, ad aliam causam seu titulum referri non poterant, juxtà firmata in specie *in dicta Romana fructuum dotis coràm Cerro*.

Resolutio mihi pro Menochio scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem non placuit, non quidem ex defectu dictarum conclusionum, quas generaliter & in abstracto in suis casibus admittebam esse veras, tam circà cessantem cursum fructuum dotalium resultantem ex dispositione textus *in cap. salubriter de usuris* soluto matri- 7 monio, etiamsi filii supererent, quam circà specialem justificationem, quod mora debitoris fuerit causa præcisa & immediata damni, quod creditor passus est, cum moderationibus tamen ac declarationibus, de quibus suprà *in d. Esina disc.* 14. Ac etiam quod in materia usuraria solis partium confessionibus, ac solidationibus deferendum non esset, juxtà celebre, ac magistrale *consilium* 520. *Romani* passim receptum, atque in hac materia confessionis habetur frequenter *sub tit. de cambiis*, occasione solidationum & confessionum circà cambiorum realitatem, ac litterarum, seu spaciorum transmissionem.

Verùm mihi videbatur fallaciam consistere circa incongruam dictarum conclusionum applicationem ad casum controversiæ, atque in non evacuatione nostrorum motivorum, dum non agebatur de simplici & voluntaria confessione, seu computorum solidatione ex privata conventione inter ipsos debitorem & creditorem sequuta, sed de confessione facta per transactionem optima fide, prævia diuturna lite, & cum auctoritate & consilio duorum Arbitrorum, qui erant eximii Jurisconsulti, in primariis etiam Magistratibus constituti, prævia etiam discussione causæ coràm eis per triennium, Ac etiam quia dicta confessio aliundè adminiculata remanebat, undè propterea duæ intrant veræ conclusiones, quibus decisio non satisfacit.

Primò, quòd in omnibus personis ob tertii præ- 8 judicium seu legis fraudem confiteri prohibitis, id procedit, quando confessio est pura & simplex, probabile adminiculorum fomentum non habens, secùs autem ubi est adminiculata, Ut generaliter de confessione Prælati concurrentibus adminiculis præjudicante Ecclesiæ, & tutoris præjudicante pupillo, cum similibus habetur collectum *per add. ad Bnratt. dec.* 453. *Surd. dec.* 107. & 325. *Cavaler. dec.* 79. *Rojas decis.* 488. & 489. Et in proposito dotis confessitiæ probantis nec-nè veram dotem, tam in præjudicium confitentis ejusque hæredum, quàm tertii, satis frequenter habetur in sua materia *sub titulo de dote*.

Et secundò, quod licèt regulariter transactio non afficiat tertium jure suo & ex persona propria venientem independenter à transigente, juxtà regulam textus *in l. Imperator, ff. ad Trebell.* de qua 9 post alios ab eo latissimè collectos *Castill.* 8. *tom. controv. cap.* 36. §. 2. Nihilominùs quoties transactio quoque prohibita non est, ut contingit in feudis utriusque Siciliæ, per Constitutionem incipientem *Constitutionem Divæ memoriæ*, ut advertitur *in Camerinen. castrorum sub tit. de feudis disc.* 49. vel quod ita regionis moribus & stylis receptum sit, ut in majoratibus Hispaniarum supponitur *per Castill. dicto cap.* 36. juxtà opinionem, in qua præsertim residet Rota & Curia, ex iis, quæ frequenter habentur *sub tit. de fideicommissis*, & sub altero *de emphyteusi*, ac etiam *in dicta Camerinen. sub tit. de feudis disc.* 49. totum pendet à qualitate bonæ vel

malæ

malæ fidei, itaut hodie in foro sit quæstio potiùs facti & applicationis, quàm juris; Si enim non colusivè & mala fide ad colorandam voluntariam prohibitam alienationem sub hoc pallio, sed sincerè & bona fide, tanquam per prudentem patremfamilias, transactio inita est, tunc afficit etiam tertios independenter, & ex persona propria venientes; Bonæ autem vel malæ fidei inspectio pendet à probabili vel improbabili dubietate futuri eventus litis, ut ita distinguendo, cæteris antiquioribus relatis, habetur *in Romana successionis*, *de Comitibus* 26. *Iunii*, 1647. & 26. *Iunii* 1648. *coram Ghislerio, decis.* 44. & 48. post *Consal. ad Peregr. apud Celsum decis.* 101. *num.* 3. *& seqq. Romana donationis*, 13. *Martii*, 1665. *coram Bevilaqua & sæpius, ut loc. cit.*

Et in specialibus terminis usurarum, præsertim decursarum, itaut conventio non habeat tractum successivum, neque contineat canonizationem usu-
10 rarum in futurum decurrendarum, quoties non constat transactionis vocabulum esse colorem quæsitum, sive involuntariè, atque ad evitandam suffocationem, quam pro restitutione debiti pati posset, ut super eis transigi possit, quinimò & remitti, est communis sensus Canonistarum, ac etiam Moralium, quos referunt *Mantic. de tacit. lib.* 26. *tit.* 5. *num.* 5. *Lupus de usuris, commentar.* 4. §. 4. *in principio, & comment.* 5. *num.* 5. *Surd. de alim. tit.* 8. *privil.* 29. *num.* 10, & 11. *Leotar. quæst.* 99. *num.* 20, & 21. *Rota decis.* 38. *par.* 5. *rec.* & latiùs *in Savonen. pecuniaria*, 19. *Novembris*, 1668. *coram Albergato*, §. *Denique visum est*, quæ decisio habetur examinata suprà in eadem *Savonen. disc.* 12.

Est benè verum, quòd DD. hanc materiam confundere videntur, promiscuè usurpando vocabu-
11 lum transactionis, ac illud remissionis & donationis, desiderando perinde, ut id sponte & liberè fiat, quòdque creditor à principio non cogitet de hujusmodi donatione, cum aliis considerationibus latè deductis per *Leotar. dict. quæst.* 49. *à num.* 19. *ad* 34. Id enim non benè procedere videtur; Tum quia donatio seu remissio est actus gratuitus seu voluntarius, transactio autem tanquam species rei judicatæ, seu divisionis & compositionis super futuro incerto eventu, dicitur potiùs actus necessarius & correspectivus; Tum etiam, quia ubi admixtum est interesse tertii, verificabilis quidem est casus transactionis prudenter ac bona fide factæ, ut suprà; secus autem ille remissionis & donationis, quam debitor in præjudicium aliorum creditorum, seu jus habentium, ex edicto *de iis, quæ in fraudem, &c.* sine dubio facere non potest.

Idemque pariter procedit in confessione alicujus qualitatis, quæ usuras justificet, seu ab illarum restitutione excuset, dum DD. totum etiam referre videntur ad sinceram & liberam voluntatem debitoris, quæ, ubi admixtum est interesse tertii, etiamsi sit juxta eam formam, quam ipsi desiderant, neque sufficit, ex recepto principio, quòd prohibitus donare, vel remittere, est etiam prohibitus confiteri.

Quare ubi non agitur de solo præjudicio ipsius debitoris confitentis seu transigentis, ejusque hæredum, seu ab eo causam habentium, sed admixtum est interesse, vel præjudicium tertii, excludendo generaliter & indefinitè terminum remissionis seu donationis, atque se restringendo ad illum transactionis, in ejus vera & stricta significatione, super rebus scilicet deductis in litem, vel saltem sub timore litis cadentibus, decisio pendet à dicta distinctione bonæ vel malæ fidei, juxta supradictos terminos transactionis initæ per feudatarium, emphyteutam, fideicommissarium, beneficiatum, & similes; Et quoad confessionem, procedendum videtur cum illis terminis, quos satis frequenter in foro habemus in materia dotis confessatæ, ut pura 12
& simplex confessio, cujus veritas aliunde adminiculata non sit, generaliter & indefinitè non probet, concurrentibus verò adminiculis, de quorum pondere & efficacia quæratur, intrat distinctio, an agatur de solo præjudicio confitentis, ejusque hæredum, seu aliàs ab eo causam habentium ex post, vel potiùs de præjudicio tertii, ut primo casu minora & leviora sufficiant, in altero autem majora & ponderosiora, & de qua recepta distinctione habetur præsertim *in Anconitana dotis, dec.* 82. 124. & 148. *par.* 10. *rec.* & frequenter in sua materia *sub tit. de dote*, cum similibus; Unde propterea ista dicitur quæstio potiùs facti, quàm juris, certam ac uniformem regulam non recipiens, sed pro Iudicis prudenti arbitrio, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda.

Et quamvis in decisione in ista causa edita §. *finali*, respondendo ad transactionem, quæ bona fide 13
inita, afficit etiam tertium, dicatur hujusmodi conclusionem procedere, quando jus tertii est accessorium, & consequutivum, magis in re, quàm in spe, & tanquam per speciem successionis transigentis, ut est in supra exemplificatis casibus successoris in fideicommisso, feudo, emphyteusi, & similibus, de quibus terminis verè agunt auctoritates & decisiones, de quibus suprà, ac aliæ apud eas; secus autem, ubi tunc tertius habebat jus coæquale ac radicatum, quoniam tunc transactio est personalis, & non afficit hunc tertium, ex auctoritate *Spadæ cons.* 311. *num.* 1, & 2. *lib.* 2. *& Rota in decis. in calce ejusdem consilii impressa*, quibus addi possunt ea, quæ habentur *in Urbinaten. pecuniaria*, 13. *Iunii* 1668. *Vicecomite, & in aliis præcedentibus, coram Verospio*, post *Paitell. dec.* 42. 45, & 46. & de quibus in eadem *Urbinaten. sub tit. de donationibus.*

Attamen observabam, dictam conclusionem seu declarationem esse veram, fallaciam autem consistere in applicationem ad casum; Procedit 14
enim, ubi jus seu interesse est radicatum, ac omnino coæquale; Ut putà, sunt duo, vel plures possessores seu domini ejusdem hæreditatis, seu fideicommissi, vel feudi, &c. tunc ubi non accedat illud legale mandatum, quod ineat in communione, & per quod unus potest alterum obligare, transactio gesta per unum, non afficit alterum, atque in his terminis loquuntur dictæ auctoritates, & similes, sed isti termini incongrui sunt casui controversiæ, quoniam creditor non est dominus & possessor bonorum debitoris, minusque cum eo habet coæquale jus in administratione, quam donec illa per decoctionem interdicatur, ipse debitor habet, ipseque dicitur principalis interessatus, quem, cessante collusione, in lite, seu judicio citare sufficit pro validitate actorum, ut hæc afficiant ejus patrimonium, quamvis exinde ob istius diminutionem creditoribus præjudicium resultet, quoniam hoc dicitur accessorium & consequutivum; Ut in specialibus terminis actorum judicialium, seu extrajudicialium conventionum, ac solidationum computorum, quòd gesta cum principali afficiant fide- 15
jussorem, habentur plenè firmatum *apud Otthob. decis* 169. Et conferunt, quæ generaliter habentur in hac materia agendi cum solo eo, qui est principaliter interessatus, seu ad quem pertinet causæ defensio *in Conversanen. & in Tiraqonen. sub tit. de jure dict. disc.* 2. & 22. Quemadmodum igitur, si iste creditor coram arbitris, aut alio Iudice prosecutus esset

causam, & obtinuisset sententiam transactam in judicatum exequutioni demandandam, non dubitaretur, data illius justitia & validitate, eam afficere principalis condemnati creditores posteriores, admittendos solùm ad allegandam collusionem vel injustitiam, non autem nullitatem, ex eo, quòd ipsi evocati non essent; Ita pariter in transactione, quæ species rei judicatæ dicitur, ejusque jure censenda est; Id etiam ad evidentiam comprobante, tam communi usu, quàm necessitate commercii, quoniam aliàs nunquam solidationes computorum, ac litium compositiones fieri possent, dum impossibile est certificari, an quis habeat creditores, necnè; ideoque sufficere debet, quòd sit in statu integro, atque liberam habeat suorum bonorum administrationem.

Igitur totum pendet ex facto, ejusque circumstantiis, ex quibus, prudentis Judicis arbitrio videndum est, an id sincerè, vel bona fide initum sit, vel econtra; In hac autem facti specie mihi videbatur, claram esse bonam fidem, ac sinceritatem, dum id
16 non ex sola privata partium conventione sequutum fuerat, sed ex opera & consilio qualificatorum & sapientum arbitrorum, coram quibus per triennium causa ventilata erat, atque ob difficultates non determinata, quod in specie concordiæ initæ de consilio & opera alicujus Auditoris Rotæ, vel alterius qualificatæ personæ, advertitur in supra allegata *Romana successionis, de Comitibus, coram Ghislerio, & in Romana donationis, coram Bevilaqua & similibus.*

De probabili autem ratione dubitandi, seu probabili prætensione creditoris, clarè quoque constare videbatur, dum aderat primordium veritatis, quòd ipse scilicet creditor gravatus esset censu passivo, quo solverat fructus ad eamdem rationem, & sic aderat interesse damni emergentis; Nil obstante, quòd juxta opinionem, quam sequitur Rota & Curia, id solùm non sufficit, nisi etiam concurrat interpellatio, seu alia certa destinatio, per quam constet, moram debitoris fuisse causam proximam & immediatam damni, juxta firmata in hujus causæ decisione; Quoniam lis non agebatur in Curia Romana, sed in Civitate Mediolani, seu Papien. atque inter laicos, ideoque videndum est, quæ opinio ibi teneretur, præsertim per Judices, & an eis magis placeret opinio *Ruini*, quam in puncto juris probabiliorem esse credit, *doctissimus Leorar. qu. 75. num. 10. & seqq.* prout neque absolutum est soluto matrimonio, ubi præsertim supersunt filii, fructus dotales non deberi, quoniam plerique tenent contrarium, & in aliquibus partibus hæc opinio est recepta, ut in *Arianen. & in aliis, sub tit. de dote.* Igitur procedendum non est cum opinionibus Rotæ & Curiæ, sed cum illis loci, in quo litigabatur, ut advertitur *in Neapol. hared. sub tit. de fideic.*

17 Ad subsistinendam enim transactionem, non attenditur tempus, vel locus litis, quæ agitetur de præsenti, & quæ opiniones nunc teneantur, sed quid teneretur de tempore, quo inita est, ut advertitur apud *Otthob. dec. 25. nu. 12. cum seqq. Imol. prædi 6. Junii, 1653. Albergato Calagur. decimarum Sancti Ascentii, 3 Junii 1661. Cerro & in aliis.*

Et nihilominus ubi etiam dicta altera opinio tenenda esset, opus non est, quòd de interpellatione constet judicialiter, seu sub certa forma, cùm etiam præsumpta & adminiculativa sufficiat, ut habetur
18 *dec. 153. par. 4. rec. tom. 2.* Quòdque illa intervenisset, non solùm justificabatur ex agnitione facta in ipsa transactione, sed etiam ex verisimilitudine, quòd scilicet creditor patiens debitum usurarium, id aliàs tamdiu non permisisset, dum ita poterat se liberare, ac etiam stante observantia præcedentis interpellationis, usque ab anno 1641. quòdque arbitri, viri probi & integri, coram quibus causa per triennium ventilata erat, non permisissent hujusmodi mendacem, ac fraudulentam assertionem fieri, nisi constitisset de hac veritate, quæ etiam extrajudicialiter eis innotescere poterat, dum præcisa tela judiciaria, ligati non erant in procedendo; Accedente etiam cessatione causæ simulandi, ac inverisimilitudine, quòd debitores ita suum jactare voluerint cum penitus extraneo, quæ omnia insimul & unitim considerata, cum consueta regula, *ut singula quæ non prosunt, &c.* hanc veritatem nimium in claris ponere videbantur.

# ROMANA SPONSIONIS, PRO MAURITIO, CUM HÆREDIBUS JULII.

## *Casus disputatus coram A. C. & in Signatura postea concordatus.*

An dicatur usurarius contractus, per quem dentur bona, sub obligatione solvendi eorum valorem in duplo, seu aliàs excessivè, quando emptor uxorem duxerit, seu aliquam dignitatem obtinuerit, quòdque aliàs ad nihil teneatur; Et quatenus contractus non sit usurarius; An & quando ex alia ratione sit infectus, & prohibitus; Et generaliter de materia sponsionum.

### *SUMMARIUM.*


1 *Facti series.*
2 *De validitate contractus, per quem res cariori pretio solvi debeat, vel summa data cum excessu restitui pro quando emptor, vel mutuatarius uxorem duxerit.*
3 *Distinguuntur inspectiones.*
4 *Cum quibus terminis Morales tractent hanc materiam.*
5 *Impugnatur hæc via, & de invalida conventione lucri ratione periculi, ad terminos* text. cap. naviganti, *& incidenter de societate officii.*
6 *Quòd veri & proprii termini istius contractus sint illi sponsionis.*
7 *Quando talis contractus sit licitus, vel illicitus.*
8 *Etiam accedentibus conditionibus illicitis, ac inficientibus actum, non tamen contractus dicitur usurarius.*
9 *De invaliditate conditionis inducentis viduitatem, sive impedientis libertatem matrimonii.*
10 *Declaratur, quando id procedit, & de ratione, ob quam sponsio sub conditione futuri matrimonii sustinetur.*
11 *De læsione, ob quam iste contractus inficitur.*
12 *De circumstantiis, ex quibus resultat læsio.*
13 *De circumstantiis ætatis & imprudentiæ.*
14 *Quomodo hic contractus debeat moderari.*


DISC.

## DISC. XXXVI.

MAURITIUS paulò post expletam adolescentiam per mortem patris effectus sui juris unicus in ejus domo, ac possessor pinguis fideicommissi aviti scutorum 100. m. & ultra, cum reciproca ad favorem alterius filii testatoris, ejusque descendentium, juxta seriem, de qua *in Romana legitima, sub tit. de feudis, disc.* 19. contractum iniit cum Julio, emptionis quorumdam bonorum mobilium valoris, ut supponebatur, scut. 600. circiter, pro pretio scut. 1300. solvendorum, quando uxorem duxerit, cum pacto, quòd ipso emptore decedente, post biennium uxore non ducta in statu sæculari, bona conserentur ei donata. Moriente autem infra biennium, vel ad sacros Ordines ascendente, ipsa bona remanerent inempta, & venditori restitui deberent; Cùmque dictus Mauritius illinc ad triennium uxorem duxisset; hinc Julius, vel ejus interim defuncti hæres, eum pulsarunt ad solutionem dictorum scutor. 1300. Et introducta causa coram A. C. hic stante obligatione camerali, cum solito processu executivo, mandatum relaxavit, aditaque Signatura, ob aliquam difficultatem ab ista habitam, dilata fuit resolutio, quod ansam dedit concordiæ, quæ controversiæ finem dedit.

Dictæ resolutionis præcipuum fundamentum fuit privilegium obligationis cameralis, rejicientis omnes exceptiones altioris indaginis ad pericorium, quòdque propterea ea, quæ ego, ut infrà, scribens pro Mauritio, deducebam contra hujusmodi contractus validitatem, essent altioris indaginis;

2 Potissimè verò, stantibus punctualibus auctoritatibus, quibus hodie, rejectis ratiociniis, nimium deferri solet, in individuo hujusmodi contractus validitatem firmantibus, ut ex Moralibus *Azor. instit. moral. p. 3. lib. 11. cap. 21. dub. 1. Diana p. 1. tract. 8. de contract. resol. 38. Megala tom. 1. variar. resol. 70.* Et ex Juristis *Scaccia de cambiis, §. 1. qu. 1. nu. 97. Rota Ianuen. dec. 108. Grivell. dec. 57. Thesaur. junior. lib. 2. qu. forens. 14.* qui per Scribentes allegabantur, & deducit, licèt incidenter, & non examinato articulo præter morem, *Leotar. de usur. qu. 23. nu. 54. vers. superest, in fine.*

Contrarium in hac facti specie dicebam Ego scribens pro debitore, probabiliùs videri; Ad quod dignoscendum, pro tollendis æquivocis, duas constituebam inspectiones; Unam super qualitate usuraria, seu alia infectione dicti contractus in genere, ac ita simpliciter & abstractè considerati; Et alteram, posito, quòd generaliter, & in abstracto talis defectus, sive inspectio in hac specie contrahendi non adesset, an ob quasdam particulares & alterativas circumstantias censendus esset usurarius, seu aliàs invalidus, vel saltem læsivus, quod ad justitiam reducendus esset.

Quoad primam, licèt Morales istam materiam tractare soleant cum terminis generalibus periculi,

4 cujus ratione licitum esse credunt de aliquo lucro pacisci, ex iis, quæ ad materiam *text. in cap. naviganti, de usur.* habentur supra *in Romana nautici fœnoris, disc.* 3. adeo ut supponant mutuum verum, vel interpretativum, quo tamen non obstante, admittunt pactum accessionis; Quod etiam cùm nimium forte levi minerva, & cum principiis periculosis habetur apud *Rot. Genuen. dec.* 108. cum qua simpliciter pertransit *Scaccia loc. cit.* in cujus decisionis casu mutuator dederat minorem summam pecuniæ numeratæ, recepturus majorem purificata conditione, & sic accedebat mutuum verum; Quod etiam supponitur per *Azorium loco citato*, ubi exemplificat de mutuante centum, stipulante de restitutione bis centum, Aliique, ut præsertim *Megala*, procedant cum terminis venditionis factæ cariori pretio, ob istius dilatam solutionem, alicui periculo etiam expositam.

Attamen isti non videntur veri & proprii termini materiæ, dictis enim terminis attentis, quidquid

5 sit in foro interno, de quo virorum forensium non est agere, in foro externo ista Moralium opinio, ut ratione periculi liceat de lucro pacisci, utpote contraria dispositioni expressæ sacrorum Canonum *in d. cap. naviganti, de usur.* recipienda non videtur, ut latiùs probatum est *in d. Romana nautici fœnoris, disc. 3. & alibi*, quia prætextus periculi non debet reddere licitum mutuum usurarium, illudque vestire cum pacto accessionis, ut cæteris relatis habetur etiam apud *Leotar. d. qu. 23. nu. fin. ac etiam duob. num. præced.* Et quamvis aliqui in hoc se decipiant cum terminis societatis officiorum, in cujus contractu habemus propositionem, quod non substinetur, nisi ubi adest periculum, quasi quòd istud sit causa illius validitatis; Attamen hoc est æquivocum, quoniam periculum ibi consideratur accessoriè & consecutivè, ut in sua materia *sub tit. de societ. offic. disc. ult.*

Prout extraneæ, ac debiles videntur rationes, ex quibus istum contractum substinere conatur *Thes. jun. d. qu.* 14. quoniam licèt alioquin generaliter doctus J. C. Attamen ibi hunc articulum satis debili modo tractare videtur cum quibusdam ejus piis meditationibus, ita ut videatur à se ipso diversus; Et sic attentis dictis auctoritatibus, seu fundamentis, cum quibus ipsæ procedunt, in sensu etiam veritatis, dicebam, pro usuraria infectione potiùs respondendum esse, quoad ea, quæ forum externum concernunt.

Ex alia tamen ratione observabam istam contrahendi speciem, quoties aliæ circumstantiæ alterativæ non concurrant, licitam videri, quia scilicet nullum contrahi videatur mutuum verum, vel in-

6 terpretativum, dum initur diversus contractus emptionis & venditionis, atque iste neque est purus & perfectus, sed conditionalis, quia si casus daret emptorem infrà biennium decedere, sive deinde ad sacros Ordines ascendere, tunc res remaneret inempta, & resoluto contractu teneretur solùm emptor ad ipsorum bonorum restitutionem, absque aliquo ejus damno, sed potiùs cum utilitate, ob commodum usus interim reportatum; Quatenus verò dicta conditio resolutiva non contingat, tunc verè & propriè dicitur contractus sponsionis, qui non accedentibus circumstantiis alterativis illum corrumpentibus, ac facientibus transire in mutuum interpretativum, sive, quia aliæ conditiones illum illicitum reddant, non est in jure prohibitus, ut de sponsionum contractu *Decius celebri cons. 115. Franch. dec. 113. ubi Adden. Magon. dec. Florent. 8.* & cæteri apud *Roccum in notabil. post 2. vol. cons. de assecurat. num. 269. & seqq.* Atque docet quotidiana praxis sponsionum, quæ fiunt inter bellantium factionarios, vel benevolos super eventu obsidionis alicujus Civitatis, vel fortalitii; nec non super extractione Officialium Senatus Ianuensis, cum similibus, de quibus non semel *sub tit. de credito*, vel sub altero *de contractibus in genere*, atque adinstar mentis jacturam retis, seu fructuum venationis, cum similibus.

Quare decisio super hujusmodi sponsionum validitate, vel infectione, pendet à qualitate, vel cir-

cumstantia, cum qua illa est vestita, an sit de jure licita, vel illicita, seu an contineat, nec-nè implicitam
7 turpitudinem, ita sub hoc pallio velatam; Ut exempli gratia, sunt sponsiones, quæ fiant super futura electione Pontificis, de quo casu agitur apud *Franch. d. decis.* 113. quia justè & prudenter ob turpitudines, quæ desuper committi possent, id fuit prohibitum; Sive, ubi cum aliquo ministro Principis, vel cum conjuncto, seu fiduciario alicujus Officialis, fiat sponsio super futuro exitu bono, vel malo alicujus litis, aut super provisione Episcopatus, vel beneficii, aut officii cum similibus, quoniam ita committi possent sordes, vel simonia, aut alia turpitudo sub hoc pallio, ut quandoque contingit; Et sic debent concurrere talia requisita, quòd contractus non contineat rem turpem, vel illicitam, seu aliàs scandali, aut peccati productivam, neque urgeat pallium usurarum, vel earum suspicio, quod
8 pendet ab eo, an adsit mutuum implicitum, sine quo non datur usura; Quòdque pretium futuræ aleæ, quæ deducitur in contractum, sit incertitudini eventus hinc inde adaptatum, quæ tamen omnia, excepto casu impliciti mutui cum dilatione, ex quo resultat usura, istam non respiciunt, sed potiùs injustitiam, & læsionem, vel turpitudinem, aut aliàs rem illicitam extra materiam usurariam.

Quoverò ad secundam inspectionem magis particularem, seu individuam; Scribens tanquam Advocatus, deducebam infectionem contractus, ob impedimentum exinde resultans libertati matrimonii, quoniam ita ne emptor cogatur summam adeo excessivam solvere, retrahi posset à matrimonio contrahendo, quamvis id agendo, talem voluntatem, ac propositum haberet, ideoque remanet
9 conditio infecta, ex terminis *text. in cap. gemma, de sponsalibus*, *ubi Hostien.* quem sequuntur *Stracca de sponsionib. in tract. de mercatura, par. 4. nu. 4. & Santerna eod. tract. par. 2. nu. 4.* Vel ratione viduitatis, juxta terminos *text. in l. 2. C. de indict. viduit. tollen. l. cùm tale, §. rescriptum*, aliàs *si arbitratu, ff. de condit. & demonstrat. cum concord. per Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 35.* latè *Altograd. cons. 77. lib. 2.* ubi ad satietatem concordantes.

Verùm reflectendo ad veritatem, motivum non erat solidum, quoniam ut latiùs advertitur *in Bononien fideic. de Guidottis, sub tit. de fideicom.* in eodem
10 præciso casu, super quo prodiit *d. cons. 77. Altograd.* ac etiam alia occasione habetur in sua materia *sub tit. de matrimonio*, ea, quæ de hujusmodi conditionibus dicuntur, procedunt, quando præcisè percutiunt ipsam libertatem, neque aliam habent rationem, seu motivum, nisi illud irrationabile impediendi matrimonium, ac inducendi viduitatem; secus ubi id alium habet finem, quia nempe talis conditio consideretur, tanquam productiva melioris fortunæ, ob quam emptor in eo statu commodiùs eam rem cariori, & excessivo pretio solvere potest, quàm potuisset solvendo pretium justum in altero statu; Eodem modo, quo idem paciscì contingat super alio meliori statu resultante à Senatoria dignitate, sive ab alio munere, cum similibus; Unde propterea agnoscebam, istud esse fragile fundamentum, attentis præsertim dictis punctualibus auctoritatibus, quas credebam veras in ordine ad istud objectum, vel ad alterum usurariæ pravitatis, quamvis earum rationes non sint bonæ.

Credebam tamen, contractum non deberi sub-
11 stineri ratione inæqualitatis, ac magnæ & enormissimæ læsionis, quæ ubi est talis, quòd redoleat dolum præsumptum, non solùm locum aperit rescis-
11 sioni, juxta terminos *textus in l. 2. Cod. de rescind. vendit.* sed etiam causat nullitatem, ex deductis *per Fontanell. decis. 64. cum plurib. seqnent. ubi cæteri, Rota in Romana transactionis*, 15. *Decemb.* 1659. & 19. *Aprilis* 1660. *coram Verospio*, & habetur pluries *sub tit. de emptione & venditione*, & alibi; Unde propterea, ut suprà dictum est, omnes tam Juristæ, quàm Morales in hoc concordant, ut pretium debeat esse periculo, seu incertæ aleæ proportionatum.

Læsio autem plusquam enormissima videbatur evidens, cùm ageretur de notabili excessu longè ultra dimidium; & quòd magis est, ob dictum pa-
12 ctum, ut in casu mortis infra biennium, vel in casu susceptionis vitæ ecclesiasticæ capitale esset salvum, atque ipsa bona restitui deberent; Cùm enim ageretur de juvene inexperto, ferè in adolescentia adhuc existente, sed divite cum adeo pingui, & qualificato fideicommisso ad favorem ejus transversalium in casu mortis absque filiis, utique attenta qualitate Civitatis, ac Principatus, ad breve tempus in magis adulta ætate constitutus, unum de duobus statibus probabiliter electurus erat, vel illum matrimonii, vel illum Prælaturæ, & status ecclesiastici, probabilius autem primum, cùm esset unicus, nisi de proximo mors contigisset, ut ob primæ juventutis furores frequenter contingere solet; ideoque cautus & prudens venditor, ita in tuto se posuit, reportando magnum lucrum sub specie periculi verisimiliter non contingibilis, dum in casu brevis mortis, vel assumptionis vitæ clericalis, ipsum capitale remanebat salvum; Et sic excessus non erat pretium proportionatum eventualitatis; Accedente etiam circumstantia ætatis, hujusmodi imprudentiis & circumventionibus subjectæ, nec-non mortis
13 patris de recenti sequutæ, quæ circumstantiæ benè ponderantur per *Thesaur. jun. dicta quæst. 14.* Atque ex his potiùs, quàm ex illis difficultatibus, quas in hac materia ponderant Scribentes, ubi suprà, credebam moderationi hujus contractus locum esse debere cum condemnatione emptoris ad justum bonorum pretium, ac etiam ad aliquod moderatum augmentum proportionatum illi periculo, cui venditor interim subjecerat, facta ejus valutatione peritorum judicio attento tempore contractus, sed hoc unum est, quòd non videbantur cadere termini usuræ.

* * *
* *

INDEX

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM,
### Quæ continentur ſub titulo de Uſuris & Intereſſe.

A

ACCESSIONES.

ACceſſiones quoties debentur in genere, ſeu ſubſtantia, non prohibetur earum conventio ad juſtam, & veriſimilem taxam, diſc. 21. nu. 4.

Ubi in ſubſtantia ſunt licitæ earum exceſſus, cauſat injuſtitiam, non uſuram, diſc. 11. num. 9.

Non poſſunt recipi abſque labe uſuræ, pro mutuo verò, aut interpretativo non probatis requiſitis lucri ceſſantis, vel damni emergentis, diſc. 13. nu. 2. & *vid.* in verb. *Mutuum.*

*Intellige*, quando ſolvuntur ex conventione; nam ſecus eſt, quando debitor ſponte illas ſolvit, ibid. num. 3.

Quando verò fuerint ſponte ſolutæ, nec-nè, pendet ab arbitrio Judicis dignoſcere, ibid. num. 4.

Uſurariæ non repetuntur per actionem indebiti, ſed imputantur in ſortem, diſc. 12. num. 19.

Ex credito pecuniario nullæ debentur, diſc. 24. nu. 4, & 11.

*Limita*, juſtificatis requiſitis lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, diſc. 4. nu. 2.

Poſſunt conveniri pro quantitate per tranſactionem, promiſſa occaſione litis ſuper bonis fructiferis, diſc. 28. nu. 4.

Ex pretio rei ſterilis nullæ percipi poſſunt citra uſuram, diſc. 18. nu. 4.

Secus eſt ex pretio rei fructiferæ, quia debentur ad rationem fructuum, quos ipſa res producit, ibid. nu. 4. & diſc. 23. nu. 8. Contraria moralium opinio rejicitur, diſc. 18. num. 5.

*Intellige* tamen, hoc potiùs procedere ex æquitate *l. curabit, C. de action. empt.* quàm ex partium conventione, diſc. 18. num. 5. ubi de ratione.

Quomodo per circumſtantias ſalventur ab uſura, diſc. 16. nu. 10.

ACCOLLANS.

Accollans in ſe cenſus reputatur eorum debitor, ac ſi ipſe impoſuiſſet, diſc. 20. num. 13.

Et quid importet, ſi ſequatur accollatio per viam delegationis, nec-nè, ibid. nu. 14.

ACTIO.

Actio negotiorum geſtorum, & de in rem verſo, quando locum habeat in Chriſtiano ceſſionario Hebræi, diſc. 5. num. 15, & 16.

ACTUS.

Actus in odium non adimplentis habetur pro geſto, diſc. 25. nu. 2.

ADIMPLERE.

Adimplere prius quis debeat in contractu emptionis, an emptor rei pretium excurſando, An venditor rem tradendo, diſc. 14. nu. 7. ubi variæ opiniones referuntur.

Sed quòd tanquam in actu correſpectivo non detur nec prioritas, nec poſterioritas, cenſetur probabiliùs, ibid. eod. nu.

ADITIO.

Aditio hæreditatis materna, an inducatur in filio per retentionem dotium à patre factam, diſc. 10. nu. 3. remiſſivè.

ADMINISTRATOR

Adminiſtrator, ſeu tutor debet pupilli pecuniam otioſam inveſtire, aliàs tenetur ipſe ad quanti intereſt, diſc. 13. nu. 6. & diſc. 15. nu. 7. & diſc. 29. nu. 9. & *vid.* in verb. *Tutor.*

ADVOCATI

Advocati multa ingeniosè in puncto juris aſſumunt, quæ in judicando rejiciuntur, diſc. 22. nu. 3.

AGERE.

Agere qui priùs cœpit in contractu correſpectivo, priùs debet docere de implemento ex parte ſua, diſc. 14. num. 8.

ALIENANS

Alienans rem litigioſam, non incidit in pœnas *text. in l. fin. Cod. de litigioſ.* quando lis eſt injuſta, diſc. 7. num. 11.

ALIENATIO.

In alienatione bonorum Eccleſiæ indefinitè ad validitatem contractus exigitur beneplacitum Apoſtolicum, diſc. 28. num. 3.

ANIMALIA.

Animalia poſſunt locari, & in contractum locationis deduci, diſc. 2. nu. 4.

Quando locantur prævia æſtimatione ex quocumque caſu non alterabili, & pro eorumdem animalium uſu interim à locatore penſio percipitur, contractus dicitur uſurarius, diſc. 2. num. 3. ubi de ratione.

*Limita*, hujuſmodi contractum non dici uſurarium, quando penſio, quæ percipitur à locatore, eſt valde tenuis, & utilitas conductoris adæquat onus ſuſceptum reſtituendi animalia in eodem valore, ibid. num. 3, & 12.

Adverte tamen, quòd ſi locantur ſub obligatione reſtituendi eorum æſtimationem infra certum tempus, unà cum acceſſionibus, tunc contractus efficitur uſurarius, & dicitur mutuum interpretativum, diſc. 2. n. 4.

ACQUIRENS.

Acquirens, vel retinens aliquid per tranſactionem, non dicitur obtinere jure novo, ſed antiquo, & proprio, per remotionem obſtaculi, diſc. 28. num. 6.

AUCTORITAS.

Auctoritas punctualis alicujus Doctoris abſque contradictore pro caſu legis haberi debet, diſc. 22. num. 2.

*Intellige*, quando aliquod habet juris fundamẽtum, vel legalem rationem, & ubi agitur de puncto satis dubio, quia secus est, quando à principiis juris deviat, ibid. eod. num. & num. 3.

Doctoris consulentis est suspecta, disc. 22. num. 3. ubi de ratione.

Auctoritati *Gratiani* quando deferendum sit, disc. 29. num. 11. ubi de qualitatibus hujus Authoris disseritur.

B

BANCHERIUS.

BAncherius, seu alius rem furtivam in pignus accipiens, vel ipsa rei furtiva qualitas sit, & tunc non solùm patitur vindicationem rei pretio non restituto, verùm etiam tenetur criminaliter actione furtiva.

Vel talem rem furatam esse ignorat, & tunc omissâ actione pœnali, restituere eam debet Domino absque pretii recuperatione, disc. 7. num. 3.

*Limita* in Bancheriis Hebræis, vigore privilegii eis concessi, ut non teneantur, nec civiliter, nec criminaliter, etiamsi scienter rem alienam in pignus acceperint, ibid. n. 5. & 6. in fin.

Quæ tamen limitatio duobus casibus non procedit. Primò nempe, quando in rebus pignoratis insculpta, vel depicta essent insignia Cardinalium, seu Magnatum.

Et secundò, quando Bancherius Hebræus non solùm conscius esset, rem esse alienam, verùm etiam furtivam, quia his duobus casibus tenetur actione civili, & criminali, eod. disc. 7. n. 7.

Ipsumque privilegium Hebræis concessum, est valde rationi consonum, ibid. n. 8.

BONA.

Bona cẽsentur potiùs in dubio à debitore creditori in solutum, quàm in pignus data, disc. 8. num. 4. disc. 9. nu. 2. & disc. 10. nu. 5.

Quod potissimùm suadetur, quando bona adæquant, vel sunt credito inferiora, disc. 10. n. 4.

Stabilia præsumuntur fructare ad rationem quinque pro centenario, disc. 21. n. 1.

*Limita* in feudalibus, & jurisdictionalibus, quorum fructus taxantur ad duo cum dimidio, disc. 27. num. 3.

Feudalia, & jurisdictionalia decernuntur magis pretiosa in duplo supra allodialia, disc. 27. num. 3.

*Intellige* de feudis Statui Ecclesiastico subjectis, non verò de extantibus in Regno Neapolitano, disc. 27. nu. 4. ubi latè de ratione.

BONA FIDES

Bona fides, seu non mala excusat à restitutione fructuum perceptorum, & consumptorum, disc. 12. n. 37. & disc. 31. nu. 2, & 8.

Quod etiam procedit in usuris bona fide exactis, disc. 12. n. 37.

Non excusat mulieres, rusticos, vel minores à restitutione fructuum perceptorum ex censu nulliter creato, disc. 17. num. 20. Et hoc etiam procedit in qualibet materia usuraria.

In Transactione, ex quibus arguatur concurrere, disc. 35. n. 16.

BULLA.

Bulla *Pii V.* super creatione census, non fuit in Hispania recepta, disc. 17. nu. 15.

Ex mente Romanæ Curiæ etiam in Regno Neapolitano servanda est, disc. 102. nu. 2. disc. 117. n. 4.

C

CAMBIUM.

CAmbium an valeat, si creditor sit certus, quòd debitor non potest cambiare, sed pecuniam erogare debet in extinctionem æris alieni, disc. 12. num. 4.

Quomodo differat à censu vel conventione de interesse, disc. 17. n. 18.

Inter negotiantes aliquando accipitur universaliter pro quibuscunque fructibus, disc. 16. nu. 5.

CAMPSORES

Campsores facientes cedulas bancharias regulariter exigunt interesse duorum pro centenario, disc. 4. n. 9.

*Adverte* tamen, quòd plus, vel minus exigere possunt secundùm majus, vel minus periculum, ibid. eod. num.

CENSUS

Census licèt nullus, adhuc debentur fructus tanquam damna, & interesse, disc. 30. nu. 3. remissivè.

Habetur loco rei stabilis, disc. 17. nu. 19.

An reviviscat, si pecunia à creditore avocatur, disc. 27. n. 8.

Potest constitui ad decem pro centenario, disc. 11. num. 10.

Quod procedit ex Bulla *Nicolai V.* non correcta per Bullam *Pii V.* ibid. eod. num.

Ubi creatur ex pretio rei fructiferæ, non servata forma Bullæ *Pii V.* debentur tamen fructus ad ratam fructuum ipsius rei venditæ, disc. 17. n. 2.

Licèt nulliter fuerit creatus, debentur tamen pro eo fructus in eadem quantitate conventa, quando adest explicita, vel implicita stipulatio damnorum, & interesse, disc. 17. n. 6.

*Declara*, quando nullitas provenit ex defectu rei, scilicet quando fuit constitutus census super re aliena incapaci, vel prohibita alienari, quamvis etiam ex intervallo creditor census ejusdem nullitatis notitiam habeat, disc. 17. n. 8.

*Declara* rursus, ubi census est nullus ob inhabilitatem impositoris, ibid. nu. 9.

Quid verò, ubi nullitas provenit ex defectu formæ, ibid. nu. 10.

Et quomodo rursus declarentur supradictæ conclusiones, ibid. n. 11.

Circumscripta Bulla Pii V. potest creari perpetuus, irredimibilis, attentis terminis juris communis, disc. 26. num. 7.

Reservativus potest constitui perpetuus, irredimibilis, disc. 26. n. 7.

Creatio ad formam Bullæ Pii V. etiam in Regno Neapolitano servari debet, disc. 17. nu. 4. & disc. 30. nu. 2.

Dicitur constitutus juxta formam Bullæ Pii V. si loco pecuniæ numeratæ tradatur cedula, disc. 25. num. 5. ubi de ratione.

Quomodo differat à cambio, vel conventione de interesse, disc. 17. n. 18.

CESSIONARIUS.

Cessionarius Christianus Judæi non potest exigere usuras Judaicas, disc. 5. nu. 11. & de ratione n. 14.

CLANDESTINITAS.

Clandestinitas argumentum præbet depravatæ intentionis fœnerandi, disc. 1. n. 14. & disc. 12. n. 17. & nu. 38.

CLAUSULA.

Clausula ex nunc prout ex tunc apposita pacto cõmissorio, an retrotrahat contractum à principio, ita,

ita, ut creditor, qui de fructibus alicujus rei penè fuit satisfactus, possit deindè ob modicum residuum, si fiat locus dicto pacto eandem rem sibi appropriare, discursu 8. numer. 11.

## CONDITIO

Conditio inducens viduitatem, vel matrimonii libertatem impediens, invalida est, disc. 36. numer. 9.

Quando id procedat, & de ratione, ob quam sponsio sub conditione futuri Matrimonii substinetur, *vid.* ibid. n. 10.

## CONDUCENS

Conducens equum sub pacto de illo restituendo in eodem statu, & valore quocunque periculo, & casu in se suscepto rectè contrahit sine labe usuræ, disc. 2. num. 8.

*Intellige* dummodò pensio consueta ita diminuatur, ut congruè compensatum remaneat susceptum periculum, ibidem num. 8.

*Limita* quando dictum pactum initum fuisset cum non itineraturo, sed illicò equum vendituro pro retrahenda pecunia per speciem stocchi, ibid. num. 8.

Quodq; hæc procedant in terminis supellectilium locatarum eod. disc. 2. num. 9. & *vide* in verbo *Pactum*.

## CONDUCTOR

Conductor stante difficultate probandi culpam deteriorationis animalium justè suscipit in se eorum periculum, discursu 2. num. 6.

*Declara*, quando susceptum periculum remanet congruè compensatum, ibidem n. 6.

## CONFESSIONES

Confessiones, & solidationes computorum partium, vel debitoris in materia usuraria non attenduntur, disc. 12. num. 9. & disc. 35. numer. 5. & 7.

*Limita* quando confessio est adminiculata, nam tunc attenditur etiam in prohibitis confiteri, & præjudicium Tertii, disc. 35. nu. 8.

Adverte tamen, quando agitur de præjudicio tertii, adminicula requiruntur majora, & ponderosiora, disc. 35. n. 12.

Secus verò quando agitur de solo præjudicio agentis, ejusque hæredum seu aliàs ab eo causam habentium ex post, nam tunc sufficiunt minora, & leviora, ibid. eodem num.

Tutoris fulcitæ adminiculis pupillo inferunt præjudicium, disc. 35. n. 8.

Prælati concurrentibus adminiculis Ecclesiæ præjudicant, ibid. eod. num.

## CONSIGNATIO

Consignatio scripturarum in rebus incorporalibus succedit loco traditionis ipsarum rerum, disc. 14. num. 6.

Cedulæ, seu ordinis Banco directi habet vim effectivæ solutionis quoties realiter in illo adsit pecunia, discur. 25. numer. 3.

*Limita* in constitutione census, nam cedula tantùm, non verò ordo habetur pro effectiva solutione, disc. 25. n. 5. ubi de ratione.

## CONSILIA

Consilia ubi allegantur, videndæ sunt decisiones in eo casu emanatæ, disc. 22. n. 3. ubi de ratione, & disc. 23, n. 3.

## CONSUETUDO

Consuetudo in materia usuraria non excusat, & potius dicitur corruptela, disc. 11. num. 11. & discur. 12. numer. 32. & 33.

*Intellige*, ubi qualitas usuraria est clara ob explicitam, vel implicitam mixturam mutui, non verò ubi intrant probabile dubium, disc. 11. numer. 11.

Loci si viget, ut pro lucro cessante, & damno emergente aliquod interesse solvatur, creditor id rectè percipit, & si bona fide consumpsit, non tenetur imputare in sortem, disc. 12. n. 33.

*Limita* quando creditor litigaret in Curia pro dicto interesse assequendo, quia certioratus de veriori opinione reprobante dictam consuetudinem idem interesse exigere nequit, ibid. num. 33. ubi de ratione.

Fœnerandi probatur in creditore ex duabus, vel tribus receptis usurarum ipsius, disc. 12. n. 21.

Et earumdem usurarum exactio deindè continuata præsumitur, ibid. eod. num.

## CONTRACTUS

Contractus multi prohibentur clam, & occultè celebrari, qui publicè, & palam facti liciti reputantur, disc. 2. num. 12.

Cadens super rebus dividuis cessante in parte, non cessat in totum, discursu 3. num. 5.

Dicitur usurarius, quando dantur animalia æstimata pastori sub pacto æstimationem eorum restituendi infrà certum tempus, & interim certum aliquod lucrum præstandi, disc. 2. n. 3. 5. & 11.

*Limita* quando non æstimationes, sed eadem animalia infrà certum tempus, & in eodem statu restitui debent, discursu 2. num. 11.

*Limita* rursus quando lucrum præstandum adeo diminuitur, ut utilitas conductoris adæquet onus susceptum ea restituendi in eodem valore, ibid. nu. 4. & 12.

Trinus, seu triplex, nempè societatis, & duplicis assecurationis sortis, & fructuum quòd valeat, disc. 1. num. 3.

Contraria tamen opinio verior, quæ hic recipitur, ibid. num. 5.

*Declara* ex opinione Rotæ sustineri ex intervallo, & non contemporaneè, disc. 1. nu. 7.

*Amplia*, etiam contemporaneè sustineri, sed quando asservatur sors, vel certum lucrum, non autem in simul concurrente utraque assecuratione, ibid. nu. 7. & disc. 3. num. 4.

Ut dicatur trinus non est necessaria explicita conventio dictorum trium contractuum, sed implicita sufficit, discurs. 1. n. 4.

Et de differentia quando isti tres contractus expliciti, vel impliciti sunt, disc. 1. n. 14.

Trinus casu quo permittatur necessaria est congrua, recompensa assecurationis, disc. 1. n. 16.

In trinis verò contractibus an consuetudini, & observantiæ standum sit, ibid. num. 17.

In contractu trino super animalibus an sit usui deferendum, & de differentia, ubi contractus est super pecunia, disc. 2. n. 7. & n. 12.

Quando isti tres contractus sustineantur etiam in sensu Canonistarum, disc. 1. n. 20.

Locationis, & conductionis, seu emptionis, & venditionis quando habet mutuum admixtum redditur usurarius, quamvis justitia pretii, seu pensionis accedat, disc. 4. nu. 2.

Contraria tamen opinio verior, ibid. nu. 3. ubi de ratione, & num. 9. & 11.

Emptionis cum pacto redimendi, & locationis eodem tempore factæ venditori licitus est, disc. 11. num. 2. 7. & 8.

*Intellige* nisi locatio sit facta pro excessiva pensione, ibid. num. 3.

Vel res sit empta tam modico pretio, ut modicitas excedat dimidiam justi pretii, etiam habita ratio-

ne diminutionis resultantis ex dicto pacto redimendi, ibid. num. 5.
Vel in isto contractu non adsit mutuum verum, vel interpretativum, quia tunc efficitur usurarius, ibid. num. 6. & 7. ubi exemplificatur.
In contractu emptionis & venditionis, quisnam prius teneatur adimplere, an venditor rem tradendo, an emptor pretium exbursando, disc. 14. nu. 7. ubi variæ opiniones referuntur.
Sed quod tanquàm in actu correspectivo non detur nec prioritas, nec posterioritas censetur probabilius, ibid. eod. nu.
Ad caput salvum ex Constit. 45. Sixti V. non permittitur, disc. 2. num. 2.
Societatis potest substantiari super uno officio, vel supra una navi, sed periculum distribui super pluribus personis, vel navibus, disc. 3. num. 6.
*Antichresis*, seu vulgò ad *gaudendum* quid sit, disc. 9. num. 3. & 6.
Et an dicatur usurarius, ibid. num. 7. ubi variè distinguitur & num. 10.
Valet constante matrimonio, disc. 9. num. 8. & 9.
Sponsionis non est in jure prohibitus non accedentibus circumstantiis alterativis illum corrumpentibus, & facientibus transire in mutuum verum, vel interpretativum, sivè quia aliæ conditiones illicitum reddant, disc. 36. nu. 6.
Intervenientibus autem conditionibus illicitis non dicitur usurarius, sed continere injustitiam, læsionem, & turpitudinem, ibid. nu. 8.
Et quod talis contractus sit licitus vel illicitus, pendet à qualitate, vel circumstantia, cum qua vestitur an sit de jure licita, vel illicita, seu contineat implicitam turpitudinem, disc. 36. nu. 7. ubi exemplificatur diversis casibus.
Per quem res majori pretio solvi debeat vel summa data cum excessu restitui pro quando emptor, vel mutuator uxorem ducet, non improbatur, disc. 36. num. 2.
Cum quibus terminis Morales tractent hanc materiam, ibid. num. 4.
Quorum via impugnatur, & de invalida conventione lucri ratione periculi ad terminos textus *in cap. Naviganti de usur.* ibid. n. 5.
Quod veri, & proprii termini istius contractus sint illi sponsionis, ibid. n. 6.
De læsione, ob quam iste contractus inficitur, disc. 36. num. 11. & de circumstantiis, ex quibus læsio resultat, num. 12.
Quomodo hic contractus debeat moderari, ibid. num. 14.

## CONVENTIO.

Conventio partium in materia lucri cessantis, & damni emergentis idem potest operari, quod operatur mora, disc. 12. num. 29.
Licita est super fructibus recompensativis pro pretio rei fructiferæ etiam ad certam summam, disc. 21. num. 3.
*Amplia* etiam si pretium ipsum repetere positum sit in facultate venditoris, ibid. eod. num.
Practicata inter exercentes artem, seu negotiationem maritimam, quæ vulgò dicitur *Cambium Maritimum*, importat potius quandam societatem quàm nauticum fœnus, disc. 3. numer. 3. & 12.
Et dictæ societati non obstat taxa certa fructuum, ibid. num. 4.
*Intellige* dummodò taxa sit congrua, & verisimilis, ibid. eod. num.

## CREDITOR.

Creditor exigens usuras quando dicatur in bona, vel mala fide, disc. 12. num. 38.
Quando excusetur exigendo fructus recompensativos in excessu, disc. 17. nu. 22.
Quando excusetur ab imputatione in sortem usurarum perceptarum, & consumptarum, disc. 30. num. 17.
Quando in alternativis eligere debet non sequuta electione debitorem in mora non constituit, disc. 20 num. 2.
Qui pactus est de usuris, durante dilatione potest istam negligere, & petere debitum stante invaliditate conventionis, disc. 9. num. 9.
Nullum jus habet in bonis per fideicommissum, seu legatum debitori obventis, nisi post agnitionem ab ipso factam, disc. 10. num. 1. ubi de ratione.
Quando verò jus adipiscatur etiam sine aditione saltem ad legitimam debitori competentem jure naturæ, ibid. nu. 3. remissivè.
In pignore conventionali non facit fructus suos perceptos, nec percipiendos, sed illos imputare debet in sortem, disc. 9. nu. 4.
Ex pacto facit in pignore fructus suos, & tunc contractus dicitur *antichresis*, seu ad *gaudendum*, disc. 9. num. 6.
Sed an talis contractus sit usurarius, nec ne, *Vide* ibid. num. 7. ubi distinguitur & nu. 10.
Habens facultatem capiendi pecuniam ad cambium in damnum dictam facultatem concedentis ad hoc ut juridicè interfuria prætendere possit, requiritur, ut sibi concessa facultate uti velle declaret, & concedenti denunciet mandatum exercere velle, disc. 23. num. 6.
Cui adjudicanda res erat, an petat fructus tanquam damna, & interesse, disc. 24. n. 10. & 11.
Obtinere non potest interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, si de eo non convenit, & dixit facere mutuum gratuitum, disc. 12. num. 23.
Si vigore consuetudinis loci pro lucro cessante, & damno emergente aliquod interesse percepit, & bona fide consumpsit, non tenetur imputare in sortem, disc. 12. num. 33.
*Limita* quando litigaret in Curia pro dicto interesse assequendo, quia certioratus de veriori opinione dictam consuetudinem reprobante idem interesse exigere non posset, ibid. num. 33. ubi de ratione.

## CREDITUM.

Creditum pecuniarium nullas parit accessiones, disc. 24. nu. 4. & 11.
*Limita* justificatis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis, disc. 4. num. 2.
Pro quocunque credito pecuniario potest conveniri à principio de interesse, & etiam taxari ad certam summam, disc. 17. num. 12.
*Intellige* quoad conventionem, non autem quoad exactionem, quia aliundè quàm ex dicta conventione justificari debet, quod revera tanti interfit, disc. 17. num. 14.

# D

## DATIO IN SOLUTUM.

DAtio in solutum est eadem, ac emptio, & venditio, quia eadem requisita desiderat, disc. 10. num. 6.

## DEBITOR.

Debitor non prohibetur vendere ejus bona etiam post pignus Prætorium, disc. 24. nu. 11.
*Limita*, si alienatio esset facta in præjudicium creditorum, ibid. eod. num.
Transigendo super propriis bonis potest præjudicare

care creditoribus disc.35. num.14. ubi de ratione & *vide* in verbo *Transactio.*
Depositans pecuniam debitam liberatur à solutione quorumcunque fructuum, etiam provenientium ex æquitate *l. curabit C. de act. empt.* disc.22. num. 16.
Non potest deponere pecuniam absque creditoris interpellatione, ibid. nu. 17.
Voluntariè solvens fructus recompensativos pro pretio rei fructiferæ, si deindè prætendat eos indebitos, vel excessivos, eò quia res tanti non fructaverit, hoc ipse probare tenetur, disc. 17. numer. 16.
Solvens accessiones usurarias, præsumitur id fecisse eo animo, ut sortem diminueret disc. 12. n. 19.
In sorte solvens accessiones usurarias dicitur hujusmodi solutiones indebiti, coactè fecisse, non voluntariè, disc. 12. n. 18.
Cessus liberatur solvendo cessionario id quod ipse solvit pro reportanda cessione, cum aliqua tamen majori recompensa ratione periculi, seu incommodi suscepti, disc. 5. nu. 2.
*Intellige* hoc procedere in cessione jurium litigiosorum, non autem quando creditum est certum, & liquidum, ibid. n. 3.
Morosus ut condemnari possit ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis quæ requirantur, disc. 12. num. 27.
Et quomodo in hac materia procedatur in Catalonia, Sicilia, & aliis Orbis partibus, ibid. n. 28.
Potest etiam teneri ad interesse alterius interesse in ratione multiplici, disc. 19. nu. 10. & disc. 32. n. 3.
Quando teneatur ad interesse pecuniæ destinatæ investimento, seu multiplico, disc. 32. nu. 3. ubi de ratione.
Suscipiens in se onus cambiandi quamvis spaccia non transmittat, tenetur nihilominus ad cambia tanquam damna, & interesse, disc. 19. nu. 3.
Suscipiens in se onus cambiandi intrà certum tempus, eo elapso, respondere cambia non tenetur, ibid. eod. num.
*Intellige*, quando terminus fuit adjectus causa finiendæ obligationis, non autem prorogandæ restitutionis sortis, ibid. nu. 6. ubi de ratione.

DEBITUM.

Debitum sortis quando cessat, non potest agi de interesse, disc. 30. nu. 13.

DECISIONES.

Decisiones Rotæ non attenduntur in eo quod incidenter tractant, disc. 1. n. 8.
Minusque pro decisionibus allegari possunt, ubi pendet revisio, ibid. n. 9.
*Mohedani decisio* 203. aliàs *decis. 2. sub tit. de usuris* in materia damni emergentis, quàm rigorosè fuerit per Rotam observata, disc. 14. nu. 11.
De ipsius limitatione, & quando ejus requisita dicantur concurrere per æquipollens, ibid. n. 12.

DECOCTIO.

Decoctio Banchi cedit damno recipientis cedulam, vel ordinem, si negligens fuit in exigendo, disc. 25. num. 4. ubi de ratione.

DELICTUM.

Delictum in dubio non est præsumendum disc. 25. num. 5.

DEPONERE.

Deponere non est solvere, disc. 22. n. 17.
Pecuniam debitam liberat debitorem à solutione quorumcunque fructuum etiam provenientium ex æquitate *l. curabit C. de act. empt.* disc. 22. n. 16.
Debitor non potest pecuniam absque creditoris interpellatione, disc. 22. nu. 17.

DEPOSITUM.

Depositum nullos parit fructus, disc. 27. n. 4.
Ad hoc ut dicatur integrum deponendi sunt etiam fructus decursi, nec soluti, disc. 22. n. 17.
*Limita*, quando probabiliter esset dubium an tales fructus deberentur nec-ne, ibid. eod. num. ubi de ratione.
Et quomodo in hac materia judicandum sit, ibid. num. 18.
Et *vide* verbum *Deponere.*

DILATIO.

Dilatio conventionalis dicitur pars pretii, disc. 27. num. 2.
Dilatione pendente non admittitur cursus fructuum recompensativorum, disc. 33 n. 2.
Ubi fuit data ad solvendum pretium de aliqua re fructifera, illa pendente non currunt fructus recompensativi, nisi de eis fuerit expressè conventum, disc. 16. n. 2. & 3. ubi de ratione.
*Limita*, etiam sine tali expressa conventione, quando constat de voluntate partium, quòd deberentur, ibid. num. 4.
Et *vide* in verbo *Fructus.*

DISPOSITIO.

Dispositio conditionalis non purificata prius conditione nihil ponit in esse, disc. 24. n. 5.
*Legis curabit C. de act. empt.* sicuti procedit favore venditoris, ita etiam favore emptoris, disc. 25. n. 2. ubi de ratione.

DOCTORES.

Doctores veri magis per juris principia, quàm per Doctorum præsertim Modernorum dicta veritatem perquirere solent, disc. 22. nu. 3.
Juxta authoritatem, quas allegant intelligendi sunt, disc. 29. num. 12.

DOMINIUM.

Dominium in rebus corporalibus non acquiritur sine traditione, disc. 25. n. 2.
Rei legatæ transit ipso jure in Ecclesiam, & proindè fructus ei debentur etiam non sequuta traditione ipsius rei, disc. 31. num. 2.

DOMINO.

Domino licet rem suam à manibus tertii vindicare etiam pretio non refuso, disc. 5. num. 17. & disc. 7. num. 4. & 6.
*Amplia* quamvis res fuisset empta in publicis nundinis, disc. 7. num. 6.
*Limita*, quando tertius rem emisset à fure bona fide, & ex motivo charitatis, quia nempè domino rei utile negotium gereret, disc. 5. num. 17. & disc. 7. num. 6.

DOMINUS.

Dominus si utitur opera alicujus famuli pluribus vicibus ad aliquod negotium explicandum, præsumitur illi dedisse mandatum, ita ut eidem famulo credens excusetur, disc. 7. num. 9.

DOS.

Dos an sit privilegiata ita, ut pactum commissorium in ea valeat remissivè, disc. 8. nu. 14.

## E

ECCLESIA.

Ecclesia in materia usuraria non est privilegiata, & in quo consistat ejus privilegium, disc. 30. num. 4. & disc. 31. num. 5.
In materia consequendi usuras ex legato quantitatis, in quo sit privilegiata, disc. 31. nu. 5.
Et *vide* in verbo *Legatum.*

EMPTIO.

Emptio, seu venditio non dicitur usuraria, quando habet

habet admixtum mutuum, scilicèt, quando datur pecunia anticipatè colonis pro recolligendis fructibus tempore penurioso cum obligatione illos vendendi eidem mutuanti, disc.4.n.11.

*Intellige* dummodò talis pecunia anticipatè soluta non causet diminutionem pretii ipsorum fructuum, ibid. eod. num.

Et à principio non fuerit taxatum pretium eorumdem, quia tunc usuræ suspicio oriretur, ibid.n.13.

EMPTOR.

Emptor non potest dici morosus in solvendo pretium, nisi res vendita tradatur, vel fiat oblatio, disc.14. num.4.

Cum pacto de retrovendendo dicitur perfectus dominus ad omnes effectus, disc.8.n.3.

Et fructus medio tempore perceptos non imputat in sortem, ibid. num.3.

Cum pacto de retrovendendo citrà usuræ vitium potest rem emptam venditori locare adhuc non capta possessione illius, disc.11.n.2.4.7.&8.

*Intellige*, dummodò pensio sit justa, & proportionata fructibus ex ipsa re colligendis, nam si esset excessiva, contractus judicaretur usurarius, ibid. num.3.

Et dummodò non adsit mutuum verum, vel interpretativum, ibid. nu.6.

Si repetit pretium solutum habetur ac si non solvisset, & debentur fructus recompensativi, disc.27. num.7.

*Limita* verò diversimodè, ut ibid. nu.9.

Pro tempore, quo habuit rem, & pretium tenetur ad fructus recompensativos, disc.27.n.2.

*Amplia*, etiam si sine mora possederit, & justam causam non solvendi habuerit, ibid.eod.num.

Pendente solutione pretii rei emptæ non tenetur ad solutionem fructuum recompensativorum juxta sententiam Theologorum, disc.26.n.3.

Contrarium verius, ibid.num.4.

Improbatur Theologorum opinio ex mente Canonistarum, quibus in materiis usurariis magis deferendum est, quàm Theologis, disc.26.n.5.

Non tenetur ad fructus recompensativos pro pretio rei fructiferæ, quando per judicis sequestrum, vel inhibitionem impeditus fuit solvere, disc.22. nu.1. & disc.23.num.5.

Contrarium verius, disc.22. num.4. ubi de ratione, & nu.8. ubi refellitur opinio *Paciani*, & n.10. ubi authoritatibus comprobatur.

*Amplia* etiam facto sequestro ad instantiam unius ex creditoribus, disc.22.num.11.

*Amplia* rursùs etiam cessante istius culpa, vel mora in solvendo, disc.22.num.5.

Item *amplia* etiam si emptor prævisо impedimento protestetur, non teneri ad solutionem pretii, donec ex parte venditoris implementum sequatur, d.22. num.6.

*Limita* ubi concurrit dilatio conventionalis ad solvendum pretium, disc.22. nu.7. ubi de ratione.

*Limita* rursùs, quando venditor obtinet pecuniam vinculatam ad effectum investiendi, & deponitur in Bancho, ut solvatur postquam adimpletæ fuerint conventiones in contractum deductæ, disc.22. num.9.

Cui lis mota est, non tenetur ad aliquod interesse lucri cessantis, vel damni emergentis pro pretio nisi ad limites fructuum rei, disc. 20. numer. 4. & 12.

*Amplia*, quamvis pretium convertendum esset in extinctionem æris alieni, vel acquisitionem aliorum effectuum majoris reditus ex authoritate *Sperell & Conciol.* ibid.nu.4.

Contrarium tamen verius, ibid. num.10. ubi prædictæ authoritates refelluntur, quod etiam ratione firmatur.

Quid verò si lis mota fuisset à venditore, ibid.n.15.

Passus evictionem rei emptæ post sequutam traditionem consequitur fructus recompensativos pro pretio soluto, d.25.n.6.

Et quid si non est passus evictionem, quam prævenit mediante solutione pecuniæ, An pro ista debeantur fructus recompensativi, ibid.num.7.

Gerere potest personam Depositarii pretii diversam ab emptore, & tunc non tenetur ad fructus recompensativos, disc.23.num.4.disc.27.nu.5.

Et ut talis efficiatur, seu aliàs pretium in diversum contractum transeat est, declarandum, & venditori denunciandum, disc.23.n.6.

Feudi absque Regio assensu consequitur interesse pretij, & restituit fructus perceptos casu quo emptio invalida declaretur, disc.9.num.11.

EVENTUS.

Eventus litis dubius non potest ita æstimari, ut in æstimatione cadat læsio enormissima, dis.20.n.8.

*Limita*, quando ageretur de lite omninò calumniosa, colluśiva, & effectata, ibid.eod.num.

EXACTIO.

Exactio detestabilis usurarum, ex quibus adminiculis probetur, disc.12. num.21. & etiam ad effectum repetitionis indebiti, ac pœnarum, n.22. & d.17. nu.19.

EXCEPTIO.

Exceptio firmat regulam generalem in contrarium, disc.7. num.7.

Usuræ non retardat executionem debiti jurati, disc. 21. num.2.

Hæc tamen regula in Curia Romana non observatur, nisi dato fumo boni juris creditoris, vel agatur de debito sortis, non autem de fructibus, ibid. eod. num.

Quæ non competeret cedenti, mutata qualitate personæ non competit cessionario, disc.5.nu.5.

EXECUTIO.

Executio debiti jurati non retardatur per exceptionem usuræ, disc.21.num.2.

Et *vide* in verbo *Exceptio*.

Pro executione obligationis Cameralis sufficiunt citationes domi, dimissa copia, disc.34. n.12.

F

FEUDA.

FEuda devolutioni subjecta, & cum onere alicujus annuæ recognitionis, minus æstimantur, quàm alia quæ habentur juxta naturam allodialium, disc. 27. nu.4.

Feudi emptio, si revocetur ob defectum Regii assensus, emptor restituit fructus perceptos, sed pretii interesse consequitur, disc.9.nu.11.

FIDEIUSSOR.

Fidejussor mutuatarii potest recipere mercedem ratione periculi fidejussionis, dis.4.nu.8.

Et *vide* in verbo *Obligatio*.

Non petit usuras pecuniæ solutæ pro principali, nisi prævia interpellatione personali, disc.34.n.2.

*Limita* quando mora principalis fuit causa immediata damni fidejussoris, nempè quia coactus fuit capere pecuniam creditori immediatè solutam ad societatem officii, seu ad cambium, vel aliud interesse, disc.34. nu.8 ubi de ratione.

Fidejussori per principalem morosum reficienda sunt omnia damna expensarum, litium, & alia quæcumque, & sic interusuria culpa sua à fidejussore passa, disc.34. num.8.

FI-

FIDUCIARIUS

Fiduciarius dicitur organum, per quod explicatur voluntas testatoris, disc. 30. num 9.

Gerit personam testis, ibid. nu. 10.

Declarando voluntatem testatoris, debet præstare juramentum, disc. 30. nu. 11.

In declaratione fiduciarii attendi debet verisimilitudo, ibid. nu. 12.

FOENERATORES

Fœneratores usuras occultare student ad impediendam illarum probationem, & ad pœnas evitandas, disc. 12. nu. 12.

Convincuntur de usura tam ad effectum imputationis, quàm pœnarum in Regno Neapolitano etiam per tres testes singulares, disc. 12. nu. 13.

FOENUS

Fœnus nauticum est usurarium ex communi tam canonistarum, quam legistarum sensu, in *cap. naviganti*, disc 3. nu. 2.

*Limita* ex opinione aliquorum scribentium fundata in mendositate impressionis ejusdem *cap. Naviganti*, ibid. eod. nu.

Quod tamen similis opinionis fundamentum destruitur, ibid. num. 9. & 10.

FORUS

Fori externi, & interni differentia in materia usuraria, disc. 1. num. 13.

FRUCTUS

Fructus dicuntur illi, qui supersunt deductis impensis, & oneribus, disc. 26. nu. 10.

Soluta sorte amplius non debentur, discur. 21. num. 1.

Bonorum quomodò calculandi sint, discur. 26. num. 10.

Bonorum feudalium, & jurisdictionalium taxantur ad rationem duorum cum dimidio, disc. 27. n. 3.

*Declara* hoc procedere in feudis Statui Ecclesiastico subjectis, non autem in Regno Neapolitano existentibus, disc. 27. num. 4. ubi latè de differentia, & ratione.

Bona fide percepti, & consumpti non veniunt restituendi, disc. 31. num. 2.

Quoties debentur in genere, vel substantia non prohibetur eorum conventio ad justam, & verisimilem taxam, disc. 21. nu. 4.

Indebitè soluti non extenuant sortem, si adest interesse tertii, disc. 30. n. 16.

Indebitè soluti administratori Ecclesiæ, an extinguant sortem, disc. 30. n. 15.

Recompensativi pro pretio rei fructiferæ non debentur ratione moræ, sed propter usum rei, disc. 22. nu. 4. & 8.

Recompensativi ex *l. curabit. C. de exempt.* debentur etiam sine mora, & quamvis emptor justam haberet occasionem non solvendi, discurs. 23. num. 2. & 3.

Recompensativi *ex l. curabit* spectant ad Dominum, non autem ad creditorem ex pretio satisfaciendum ex mente *Marescot. var.* disc. 24. n. 4.

Contrarium tenet *Leotard. de usur.* ibidem num. 5. ubi in suis terminis non reprobatur.

Recompensativi ex pretio rei venditæ non possunt excedere veros ipsius rei fructus, disc. 23. num. 8. & disc. 26. num. 8.

Pro pretio rei venditæ, quibus casibus possint excedere illos ipsius rei, disc. 21. num 8. & 9.

Recompensativi debentur pro pecunia solvenda loco dimissionis bonorum stabilium, vel censuum, disc. 32. nu. 4.

Et possunt excedere taxam legalem habito respectu ad fructus rei, vel census dimissi, vel donati, disc. 32. numer. 5.

Recompensativi possunt conveniri pro quantitate per transactionem promissa occasione litis super bonis fructiferis, disc. 28. nu. 4.

Recompensativi debentur emptori evictionem rei emptæ post secutam traditionem passo, discur. 25. num. 6.

Et quid si non fuit passus evictionem, quam prævenit mediante solutione pecuniæ, an pro ista debeantur dicti fructus recompensativi, ibid. n. 7.

Recompensativi non debentur ab emptore pro pretio rei fructiferæ, quando per Judicis sequestrum, vel inhibitionem impedita fuit solutio, disc. 22. nu. 1. & disc. 23. nu. 5.

*Contrarium* ampliationes, & limitationes, *vide* in verbo *Emptor*.

Recompensativi debentur ex pretio Tabernæ, seu Fundachi ex æquitate *l. curabit* tanquam de prædio fructifero, disc. 16.

*Limita*, quando fuit data dilatio ad solvendum, & de eis non fuit expressè conventum, ibid. num. 3. ubi de ratione.

*Sublimita* etiamsi non adsit expressa conventio fructuum, quandò aliundè constat de voluntate, quod deberentur, ibidem nu. 4.

Quomodò autem concludio procedat, declaratur, ibid. nu. 6.

Qui percipiuntur ex pretio rei fructiferæ dicuntur potius recompensativi damni quod patitur venditor in amissione fructuum rei venditæ, quàm lucrativi tanquam ex pecunia provenientes, disc. 18. num. 5. discur. 19. num. 3. disc. 21. num. 3. disc. 22. nu. 4. & disc. 26. nu. 5.

*Amplia* hos fructus deberi, etiamsi emptor culpa venditoris solvere fuerit impeditus, discur. 19. num. 5.

Item amplia deberi etiamsi in facultate venditoris positum esset ipsum pretium repetere, disc. 21. num. 3.

Pro pretio rei fructiferæ solent taxari ad quinque pro centenario, & hæc dicitur taxa legalis, disc. 18. num. 6.

*Intellige* hoc procedere in dubio, non verò quando adest expressa partium conventio pro majori quantitate, ibid. num. 6. ubi latè.

Pro pretio rei venditæ possunt conveniri etiam ad majorem rationem quàm ipsa res fructet, discur. 17. num. 13.

Quod præsertim sibi locum vindicat apud Regnicolas, ibid. eod. num.

*Declara* tamen, ut ibi num. 15.

Pretii rei venditæ ratione damnorum, & interesse excedere possunt fructus ipsius rei, disc. 19. n. 8.

Pretii rei venditæ à principio justè conventi, si deindè ejusdem rei fructus minuantur, an sint & ipsi minuendi, disc. 18. nu. 13.

Pro pretio rei venditæ possunt taxari, usque ad decem pro centenario, quando idem pretium fuit conversum in contractum censualem, disc. 18. nu. 7. & disc. 21. num. 6.

*Intellige* in locis, in quibus non fuit recepta Bulla Pii V. prout in Hispania, & Regno Neapolitano, ibidem eodem numero.

Ubi verò fuit recepta dicta Bulla, reducuntur ad ratam, & proportionem fructuum, quod ipsa res vendita producit, disc. 21. num. 6.

In dubio tamen præsumptio est pro taxa conventionali, disc. 21. n. 7. & de ratione nu. 8. & 9.

Pro pretio rei sterilis venditæ possunt taxari in majori quantitate, quàm reddat ipsa res, & hoc ratione dilationis, & promptæ occasionis illud inve-

investiendi, discurs. 18. numer. 8 ubi de ratione.

*Amplia*, ut ratione prompti investimenti etiam simplex mutuator pecuniæ possit de interesse pacisci, ibid. eod. num.

*Intellige* tamen, & distingue, ut ibid. nu. 10 & 11.

Si res fuit vendita pro scutis 100. & re vera valeat 200. possunt taxari ad rationem justi valoris, non ad rationem pretii conventi, ibid. nu. 6.

Ratione lucri cessantis non debentur, nisi justificatis requisitis *Pauli Castrens.* disc. 10. nu. 1. & disc. 12. num. 27.

Ratione verò damni emergentis, nisi justicatis requisitis posi is per *Mohedan. decis. 2. de usur.* disc. 12. num 27.

Quare autem hujusmodi requisita probari debeant, ibid. eod. nu. 27. & 28.

Ubi debentur ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, tunc nulla est habenda ratio ad favorem debitoris, in quo residet pignoris, seu rei datæ dominium, ita ut à debito relevetur, disc. 9. n. 10. ubi de ratione.

Pignoris ex opinione Romanæ Curiæ omnes imputantur in sortem, non habito respectu ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis creditoris, disc. 9 num. 5.

Quod secus est ex praxi diversorum Tribunalium Orbis, ibid.

*Limita* quando in instrumento adsunt clausulæ pro interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, disc. 9. num. 12. quod procedit etiam in mutuo, disc. 12. nu. n. 14.

Pignoris creditor ex pacto facit suos, & tunc contractus dicitur Antichresis, seu ad gaudendum, disc. 9. num. 6.

Sed an talis contractus sit usurarius, nec-ne, ibidem nu. 7. ubi distinguitur, & numer. 10.

Pignoris an imputandi sint in sortem nec-ne, potius ex facti circumstantiis, & mente contrahentium, quàm ex verborum formalitate desumitur, disc. 9. num. 13.

Perceptos, nec percipiendos non facit suos creditor in pignore conventionali, sed illos imputare debet in sortem, disc. 9. nu. 4.

Census debentur etiamsi debitor esset promptus ad restitutionem sortis, & impediretur à sequestro judicis. disc. 22. num. 10.

Dotis possunt esse majores taxa statutaria, si plus vel minus interest; disc. 18. num. 9. ubi exemplificatur in statuto Urbis.

Dotis ex *cap salubriter de usur.* non debentur soluto matrimonio, & hæc opinio est receptissima in Curia Romana, disc. 10. nu. 1.

*Amplia* etiam si supersint filii ex eodem matrimonio, ibid. num. 1.

Legitimæ ipso jure sine mora debentur, disc. 23. n. 2.

*Limita* ubi bona, ex quibus deducenda est, sunt sterilia, ut pecunia, mobilia, nomina debitorum &c. disc. 28. nu. 7. & disc. 33. num. 3.

*Sublimita* ut disc. 28. nu. 7. & disc. 33. n. 3.

Seu redditus Castri possunt vendi, vel dari insolutum, ipso Castri dominio remanente penes venditorem, disc. 8. n. 2.

Feudi in dotem dati sine Regio assensu maritus facit suos ob supportationem onerum matrimonialium, disc. 9. nu. 8.

Feudi empti absque Regio assensu restituuntur, si emptio invalida declaretur ob ejusdem assensus defectum, sed emptor consequitur pretii interesse, discur. 9. num. 11.

Medio tempore percepti ab emptore cum pacto de retrovendendo non imputantur in sortem, disc. 9. numer. 13.

Per transactionem possunt conveniri ad majorem summam, quàm fructuum rei, super qua transactum est, disc. 28. nu. 8. ubi de ratione.

Non debentur ex mercibus singulariter, & de per se consideratis, disc. 15. nu. 3.

Secus est quando considerantur, ut quid universum constituentes fundacum, ibid. eod. num. ubi de ratione.

Rei adjudicandæ debentur ei, cui adjudicatio fieri debebat, disc. 24. n. 2.

*Intellige* quando adjudicatio effectuata est mediante possessione, quam adjudicatarius habuerit, ibid. num. 9. & 10.

Rei deliberatæ, vel adjudicatæ spectant ad deliberatarium, seu adjudicatarium, quamvis talis actus retractetur, disc. 24. num. 3.

*Intellige* tamen ut suprà.


## H

### HÆRES


Hæres gravatus investiens instabilia, vel alios effectus nomine proprio pecuniam in hæreditate repertam, sivè ab illa alio modo obventam, investimentum acquirit hæreditati, discursu 29. num. 8.

*Intellige* tamen si adsit præceptum Testatoris de investiendo, nam secus est econtra, ibid. num. 8. ubi afferuntur rationes, & nu. 10. & 13.

Tenetur tradere legatum Ecclesiæ, vel causæ piæ, absque interpellatione, aliàs tenetur ad interesse ratione moræ irregularis, disc. 30. nu. 5.

Ex quibus excusetur à mora, disc. 30. nu. 8.


### HEBRÆI.


Hebræi sunt magis Christianis oportuni in pignorationibus, quàm Mons Pietatis variis de causis, quæ recensentur, disc. 6. num. 18.

Ex decreto Cardinalis Camerarii emanato de anno 1642. possunt à famulis pignora accipere, disc. 7. nu. 8 ubi etiam de communi usu ante decretum.

Quod decretum toleratur, licèt per eum videatur aperiri via fraudibus famulorum, & hoc ob præponderantiam majoris utilitatis, & commoditatis, ibidem num. 8.

Ex privilegio non tenentur indagare, an oppignorans sit Dominus rei, disc. 6. num. 13. & disc. 7. ubi variæ distinctiones.

Et *vide* in verbo *Bancherius*.

Quod privilegium dicitur rationi consonum, eod. disc. 7. num. 8.

Tenentur quatuor anni temporibus facere venditiones generales pignorum excedentium 18. menses, disc 7. n. 10.

Vendere impediti pignora à debitore, elapso tempore 18 mensium, nihilominus consequuntur usuras, disc. 7. nu. 12.

Possunt procedere ad venditionem pignorum, non obstante lite injusta, ibid. n. 11. & non incidunt in pœnas *text. in l. fin. C. de litigiosis.*

Sed ad hoc non obligantur, ibid. num. 11. ubi de ratione.

Artem sutoriam in vestibus novis exercere possunt, ibid. num. 18.

Verùm cum illa tantùm se substentare nequeunt, ibid. num. 18.


### HEBRÆORUM


Hebræorum variæ utilitates recensentur, pro quibus debent tolerari, disc. 6. num. 16.

Universitas Urbis gravata est summa scut. 25. m. pro datiis, & collectis, ibid. num. 18.

Ingens debitum, quo de præsenti gravatur ascendens ad scuta tercenta millia in sorte, discur. 6. numer. 18.

I

JANUENSES.

JAnuenses omnes sunt industres, & negotiari soliti, disc. 12. num. 9, & 22.

IGNORANTIA.

Ignorantia juris non excusat, disc. 17. num. 10.

Juris in materia usuraria non excusat in foro externo, disc. 12. num. 32.

*Amplia*, quod nec excusat consuetudo, ibid. nu. 32.

*Limita* in ignorantia juris dubii, quæ assimilatur ignorantiæ facti, & excusat etiam ubi agitur de lucro, ibid. num. 33.

Et quamvis agatur de personis literatis, disc. 17. numer. 21.

Juris non excusat in exactione usurarum ad effectum non restituendi, seu non imputandi, sed tantùm ad effectum evitandi pœnas usurariis inflictas, disc. 17. num. 20.

Non excusat mulieres, rusticos, seu minores à restitutione fructuum perceptorum ex censu nulliter creato, disc. 17. num. 20. Et hoc etiam procedit in qualibet materia usuraria.

IMPEDIENS.

Impediens sive justè, sive injustè, ut non sequatur implementum, non potest deinde opponere de mora, disc. 7. num. 12.

INHIBITIO.

Inhibitio sicut cessare non facit fructus census, seu alterius annui redditus, ita neque fructus recompensativos *ex l. curabit* provenientes, disc. 22. num. 16.

*Limita*, si sequatur depositum, nam tunc nulli currunt fructus, disc. 22. nu. 8. 9. & 16. ubi de ratione.

Judicis sive justa, sive injusta, semper est timenda, disc. 22. num. 13. ubi de ratione.

*Limita*, quando per debitorem mala fide, & affectatè hæc procurata esset, ibid. num. 14.

Item *limita*, si supervenit post moram incursam, ibidem num. 15.

INTERESSE.

Interesse sine mora non datur, ubi aliquid est implendum, disc. 14. num. 9.

Creditoris non autem debitoris spectatur in materia usuraria, discur. 27. numer. 10, & disc. 29. numer. 6.

Potest paciscì, & etiam taxari ad certam summam in quocunque credito pecuniario, disc. 17. num. 12.

Per transactionem potest conveniri ad majorem summam quàm fructuum rei, super qua transactum est, disc. 28. num. 8. ubi de ratione.

Fructuum census, seu tertiarum datur in Regno Neapolitano, sed non interesse, disc. 30. nu. 14.

Pro fructibus census nullum debetur non concurrentibus requisitis lucri cessantis vel damni emergentis, disc. 17. num. 7.

Ratione lucri cessantis non debetur, nisi justificatis requisitis *Pauli Castrens.* disc. 10. num. 1. & disc. 12. num. 27.

Ratione verò damni emergentis, nisi justificatis requisitis appositis per *Moheda. dec. 2. de usur.* disc. 12. num. 27.

Quæ autem hujusmodi requisita probari debeant, *vide* ibidem eod. num. 27, & 28.

Ratione lucri cessantis, & damni emergentis potest percipi à mutuante, quando de eo fuit ab initio expressè conventum, disc. 12. num. 24, & disc. 13. num. 6.

Quomodo verò dicta conclusio procedat, & sit intelligenda, *vide* disc. 12 numer. 25, & disc. 21. numer. 4, & 5.

Et de hac materia, *vide* rursus latè disc. 12. num. 35.

Quando dicatur benè justificatum, ita ut etiam ex mutuo licitè accessiones percipi possint, disc. 13. num. 6.

Ut percipi possit ratione damni emergentis, an probatio requisitorum sufficiat generica, vel specifica requiratur, disc. 14. nu. 10. ubi utraque opinio refertur, disc. 15. n. 3. & disc. 35. nu. 4.

Quando ad interesse damni emergentis non sit necessaria interpellatio, disc. 34. num. 6.

Damni emergentis per creditorem à debitore morosо petitum, quando debeatur, & quid concurrere debeat, disc. 34. num. 4. & disc. 35. num. 4.

INTERPELLATIO.

Interpellatio ex pacto in cambiis, & aliis contractibus, potest remitti, disc. 34. num. 5.

Ubi requiritur, non exigitur facta in certa forma præcisa, sed sufficit sententia debitoris, disc. 34. num. 10.

Pro interesse damni emergentis etiam præsumptiva, seu adminiculativa sufficit, disc. 35. num. 18.

JUDEX.

Judex est solus Deus in foro interno, in quo spectatur tantùm intentio, disc. 12. num. 23.

Neotericè aliquando magis quàm pragmaticè judicare debet, disc. 5. num. 5.

Quàm cautè auctoritatibus deferre debet, disc. 12. num. 3, & 5.

In causis usurariis, aliisque materiis externi fori, Canonistas potiùs, quàm Morales sequi debet, disc. 1. num. 6. & num. 12. & disc. 3. nu. 8. ubi de ratione.

JUS.

Jus Canonicum in materia usuraria servandum est, etiam in Terris Imperii, disc. 31. num. 3.

L

LÆSIO.

LÆsio dicitur enormissima, ubi est ultra bessem, & causat nullitatem, disc. 20. num. 6. ubi de ratione.

Non potest tamen nullitas dici incontinenti probata, ibid. num. 7. ubi de ratione.

Enormissima moraliter impossibile est, ut cadat in transactione super dubio litis eventu, disc. 20. num. 8. ubi latè de ratione.

LAICUS.

Laicus in materia usuraria non potest cognoscere, & judicare, nisi super iis, quæ facti sunt, nam quando quæstio est, an contractus sit usurarius, spectat ad Ecclesiasticos, disc. 12. num. 39.

*Amplia*, sive cognoscat per viam judicii, sive per viam arbitrii, ibid. eod. num.

LEGATARIUS, *vel* DONATARIUS.

Legatarius, vel Donatarius rectè percipiunt fructus ex judicio testatoris, seu donantis, pendente solutione legati, quando non est in eorum facultate, exigendi sortem, quod secus est, quando eandem sortem exigere possunt, disc. 15. num. 4. ubi de ratione, & disc. 32. num. 2. & 4.

Hæc tamen opinio rigorosa servatur in Romana Curia, nam alibi pro consecutione fructuum sufficit mora debitoris regularis, vel etiam irregularis, ibid. num. 4.

Legatarius conditionalis defecta conditione, non facit fructus suos pendente conditione decursos, disc. 31. num. 2.

LEGATUM.

In legatis dies non interpellat pro homine, & quando hæres dicatur constitui in mora, disc. 30. num. 6.

Pro legato quantitatis non debentur usuræ ratione solius moræ, nisi concurrant alia requisita lucri cessantis, vel damni emergentis, disc. 29. num. 2. & nu. 3. & disc. 30. nu. 4. disc. 32. nu. 2. disc. 33. nu. 2.

*Amplia*, etiamsi per testatorem, vel alium disponentem demandata esset earum solutio, disc. 30. num. 10 disc. 31. num. 3. disc. 32. num. 2.

*Intellige* tamen ampliationem procedere, quando in potestate legatarii fuit exigere sortem, disc. 32. num. 2. & disc. 33. num. 2.

*Amplia* rursus in legato facto favore Ecclesiæ, vel piæ causæ, disc. 29. num. 2, & 3. disc. 30. num. 4. disc. 31. num. 4. & disc. 32. num. 6.

*Intellige* tamen hanc ampliationem, ut eod. disc. 29. num. 14.

*Limita*, quando hæres investivit pecuniam legatam in occasiones fructiferas, quia tunc fructus debentur legatario, maximè quando agitur de favore piæ causæ, disc. 29. nu. 4. & disc. 31. nu. 7.

*Contrarium* tamen verius ex facti circumstantiis, ut eod. disc. 29. num. 5. & de ratione nu. 7. & distingue ut num. 8, 10, & 13.

Item *limita* favore Ecclesiæ, quando quantitas legata ab eadem Ecclesia investienda erat in stabilia, vel alios effectus fructiferos, disc. 30. num. 5. ubi de ratione, disc. 31. num. 5. & 32. nu. 7.

LIS.

Lis injusta non causat vitium litigiosi, disc. 7. num. 11.

Calumniosa dici non potest ab illo, qui illam movet, disc. 20. num. 15.

Mora emptori efficit, ut non teneatur ad aliquod interesse lucri cessantis, vel damni emergentis pro pretio, nisi ad limites fructuum rei, disc. 20. num. 4. & num. 12.

Et *vide* in verbo *Emptor*.

LITTERÆ.

Litteræ cambii si non justificantur, fructus pro cambio soluti imputantur in sortem, disc. 12. nu. 19.

LOCATIO.

In locatione periculum est locatoris, disc. 2. num. 4.

Rei emptæ cum pacto redimendi, per emptorem ante adeptam possessionem illius ipso venditori facta, ex illo solo pacto nō judicatur usuraria, sed insuper requiritur pretii modicitas, disc. 11. nu. 5.

*Intellige*, quòd talis modicitas debet esse valde notabilis, ita ut dimidium justi pretii excedat, demptâ diminutione resultante ex dicto pacto de retrovendendo, ibid. num. 5.

Et dummodo non adsit mutuum verum, vel interpretativum, ibid. num. 6.

Animalium dicitur usuraria, quando dantur prævia æstimatione quocunque casu non diminuenda, & interim à conductore pro eorum usu pensio solvitur, disc. 2. num. 3. ubi de ratione.

*Limita* hujusmodi locationem non dici usurariam, quando pensio, quæ percipitur à locatore, est valde tenuis, & utilitas conductoris adæquat onus susceptum restituendi animalia in eodem valore, ibid. num. 3, & 5.

Et *vide* in verbo *Contractus*.

LUCRUM.

Lucrum negotiationis est incertum, & periculosum, disc. 12. num. 28.

LUCRUM CESSANS.

Lucri cessantis, & damni emergentis materia quàm sit difficilis, disc. 12. num. 26. ubi de ratione.

Et circa illam diversæ opiniones, quæ inconvenientia causent, ibid. num. 30.

Quomodo sit regulanda, & an mos regionis excuset, ibid. num. 31.

Et *vide* in verbo *Interesse*.

M

MALA FIDES.

Mala fides ex contractu clandestino arguitur, disc. 12. num. 38.

MALUM.

Malum minus ex duobus est eligendum, disc. 6. num. 15.

MANDATUM.

Mandatum de adjudicando non importat adjudicationem, neque transfert dominium, nisi ejus effectu subsequuto, disc. 24. num. 7.

MATERIA.

Materia usuraria non recipit uniformem determinationem, sed regulatur ex facti circumstantiis, disc. 15. num. 8.

In materiis usurariis, aliisque causis externi fori Judex Canonistas potiùs, quàm Morales sequi debet, disc. 1. num. 6. & 12. & disc. 3. num. 8. ubi de ratione.

In materia usuraria spectatur solùm interesse creditoris, disc. 27. num. 10. & disc. 29. num. 6.

Usuraria in Romana Curia rigorosiùs tractatur, quàm cæteris Orbis Tribunalibus, disc. 21. nu. 3.

Lucri cessantis, & damni emergentis, quàm sit difficilis, disc. 12. num. 26. ubi de ratione.

Et circa eam diversæ opiniones, quæ inconvenientia causent, disc. 12. num. 30.

Quomodo regulanda sit, & an mos regionis excuset, ibid. num. 31.

MERCATOR.

Mercator pro mercibus venditis potest pacisci de interesse etiam ad duodecim pro centenario, pretio non soluto, disc. 18. num. 8.

*Intellige* tamen, si constat tanti interesse, ibid. eod. num.

Potest vendere merces cariori pretio, stante dilatione ad solvendum, ibid. num. 8.

MERCES.

Merces constituentes fundacum, salva substantia possunt locari, & ex illis percipi pensiones sine labe usuraria, disc. 15. num. 3.

Possunt vendi cariori pretio, stante dilatione ad solvendum, disc. 18. num. 8.

MOBILIA.

Mobilia, & supellectilia, quæ usu consumuntur, licèt fuerint locata, & percipiatur tanta pensio, quæ longè superet eorum valorem in uno anno, ob hoc contractus non dicitur usurarius, disc. 2. num. 12. ubi de ratione.

*Limita*, quando fuisset conventa restitutio ipsorum mobilium in eodem statu, & eadem conditione, prout erant de tempore contractæ locationis, ibid. num. 12.

MOLESTIÆ.

Molestiæ, quæ dantur ab ipso contrahente, non veniunt sub pacto, ut non teneatur liberare à molestiis, disc. 20. num. 16.

MORA.

Mora, ex quibus excusetur in hærede, disc. 30. nu. 8.

Absque mora nullum debetur interesse, disc. 30. num. 7.

Debet esse causa præcisa, & immediata damni, ad hoc ut creditor possit petere interesse à debitore, disc. 35. num. 4.

Per debitorem non incurritur, quando in alternativis creditor eligere debet, disc.19. num.2.
Non contrahitur per emptorem in non solvendo pretium, nisi res vendita tradatur, vel fiat oblatio, disc.14. num.4.
De mora irregulari favore piæ causæ, & quòd pro ista ipsi non debeantur usuræ pro legato quantitatis, disc.29. num.2.&3.
*Intellige* tamen, ut ibid. num.14.

MULIER.

Mulier habet ex privilegio *text. in l. rebus, C. de jur. dot.* regressum ad bona æstimata in dotem viro data, etiam in concursu creditorum anteriorum, disc.10. num.5.

MUTUANS.

Mutuans potest percipere aliquod interesse ex pecunia mutuata ratione lucri cessantis, & damni emergentis, si de illo fuit ab initio expresè conventum, disc.12. num.24. disc.19.num.9. & disc. 26. num.5.
Quomodo verò dicta conclusio procedat, & sit intelligenda, disc.12.num.25. & disc.26.num.5.
Et de hac materia vide rursus, & latè eod.disc.12. num.35.
Convenire potest de accessionibus citra usuram ratione interesse lucri amissi ex investimento pecuniæ aliter faciendo, disc.16.num.9.
Potissimùm quando non adest timor suffocationis mutuatarii, ibid. num.9.

MUTUATARIUS.

Mutuatarius ubi non est in damno, non spectatur utilitas, quæ mutuatori resultat ex contractu, disc.12. num.41.

MUTUUM.

Mutuum verum, aut interpretativum ad usuram omnino requiritur, disc.3.num.4.
Nullum lucrum, nullamque accessionem admittit citra usuram, disc.1.num.2. disc.4. num.2. & disc. 12. num.6, & 16.
Et quidquid pro tali lucro, seu accessione solvitur, imputari debet in sortem, disc.1. num.2.
*Limita*, quando à principio conventum est de aliquo interesse ratione lucri cessantis, & damni emergentis, disc.12. num.24. & disc.18. num.8. & disc.19. num.9. & disc.26. num.5.
Quomodo verò dicta limitatio procedat, *vide* disc.12.num.25. & disc.26. num.5.
Et de hac materia *vide* latè eod. disc. 12. num. 35.
Pro mutuo vero, aut interpretativo nullæ accessiones recipi possunt, non probatis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis, disc.13.num.2. & disc.26. num.3.
*Intellige*, quando solvuntur ex conventione, secus est, quando debitor sponte illas solvit, disc.13. num.3.
Et hæc distinctio congruit etiam materiæ simoniacæ, ibid. num.5.
Quando verò fuerint sponte solutæ, nec-nè, pendet ab arbitrio Iudicis dignoscere, ibid. num.4.
Pro mutuo gratuito non datur interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, nisi de eo fuit conventum, disc.12.nu.23.
Licèt correspectivum ad emptionem, & venditionem rei fructiferæ, non tamen ex illo ob dilationem debentur fructus, prout ex ipsa re fructifera, disc.16. num.7.
*Amplia*, etiamsi adsit evidenter correspectivitas, & mutuum sit unus, & idem contractus cum emptione, & venditione, ibid.eod.num.
*Amplia* rursus, ut rejecto *text. in l. curabit*, non debeantur, nec per dispositionem *text. in cap. per Card. de Luca de Usur. & Interess. vestras*, nec ad limites contractus trini, eod. disc. 16. num.8.
Non dicitur usurarium, quando habet admixtam emptionem & venditionem, scilicet quando datur pecunia colonis pro recolligendis fructibus tempore penurioso, cum obligatione illos vendendi eidem mutuanti, disc.4.num.11.
*Intellige*, dummodo talis pecunia anticipatè data, non causet diminutionem pretii ipsorum fructuum, ibid. num.11.
Et à principio non fuerit taxatum pretium eorumdem, quia tunc usuræ suspicio oriretur, disc.4. num.13.
Ex mutuo habente admixtam locationem, & conductionem, potest percipi aliquod lucrum, disc. 4. num.9.
*Intellige*, dummodo locatio fuerit facta cum alteratione, seu diminutione soliti pretii, & dicta diminutio sit proportionata dictæ mercedi, ibid. num.9.
Quando detur in cambio, & ex eo oriatur usura, disc.4. num.5. remissivè.

N

NEGOTIATIONES.

Negotiationes non semper sunt lucrosæ, immò aliquando damnum pariunt, disc.18.num.11.

NULLITAS.

Nullitas proveniens ex læsione enormissima, non potest dici incontinenti probata, disc.20.num.7. ubi de ratione.

O

OBLIGATIO.

Obligatio mutuandi, vel mutuare faciendi aliquam egregiam pecuniarum summam, efficit, ut ex mutuo percipi possit aliquod interesse absque labe usuræ, disc.4. num.6. ubi de ratione.
*Intellige*, hoc procedere in mutuatarii fidejussore, non in ipso mutuatore, & quatenus interesse sit justum, & moderatum, ibid.num.8. ubi de communi.

OBLIGATIO CAMERALIS.

Obligatio Cameralis est nullius momenti, quando legitur adjecta actui ipso jure nullo, disc.10. num.5.
Rejicit omnes exceptiones altioris indaginis ad petitorium, disc.36. num.1.
Pro illius executione sufficiunt citationes domi dimissa copia.

OBSERVANTIA.

Observantia dicitur interpres etiam contractuum, & voluntatis contrahentium, disc.19.num.7.

OFFENSA.

Offensa potest remitti, & satisfaciendo præcepto Evangelico, diligi inimicus, ac nihilominus prosequi vindicta in judicio, disc.3.num.12.

OPERARIUS.

Operarios conducere non licet pecunia anticipatè soluta, cum obligatione præstandi operas debitis temporibus, disc.4.num.10.
Contrarium verius, dummodo pecunia non det causam diminutioni solitæ mercedis eorumdem operariorum, ibid.num.10.
Et dummodò non fuerit taxatum pretium eorumdem à principio, quia tunc oriretur suspicio usuræ; disc.4. nu.13.

Et *vide* in verbo *Mutuum*.

OPINIO.

Opinio Canonistarum à Judice magis est sequenda, quàm Moralium, in materiis usurariis, disc. 1. num. 6. & 12. & disc. 26. num. 5.

Admittentium interesse judiciale, vel conventionale pro credito pecuniario, absque probatione requisitorum impugnatur, disc. 12. num. 34. ubi de ratione.

*Baldi*, quòd usuræ pretii possint excedere fructus rei venditæ, reprobatur, disc. 18. num. 4.

Romanæ Curiæ diversa ab aliis Orbis Tribunalibus circa contractum *antichresis*, seu ad *gaudendum*, disc. 9. num. 12.

OPINIONES.

Opiniones diversę circa lucrum cessans, & damnum emergens, quæ inconvenientia producant, disc. 12. num. 30.

Et in hac materia regulanda, an mos regionis excaset, ibid. num 31.

P

PACTUM.

PActum auferens libertatem redimendi, ac restituendi sortem, invalidum est, disc. 26. nu. 4.

*Declaratur* tamen hæc conclusio, ibid. nu 6, & 7.

Idem appositum in creatione census vitiatur, & non vitiat, disc. 26. num. 7.

De restituendo equo in eodem statu, & valore initum per conductorem cum vecturino quocunque casu, & periculo in se suscepto, non dicitur usurarium, nec improbatur, disc. 2. num. 8.

*Intellige*, dummodo pensio consueta ita diminuatur, ut congruè compensatum remaneat susceptum periculum, ibid. num. 8.

*Limita*, quando dictum pactum initum fuisset cum non itineraturo, sed illicò equum venditurò pro retrahenda pecunia per speciem stocchi, ib. eodem num.

Quòdq; hæc procedant in terminis supellectilium locatarum, *vide* eod. disc. 2. num. 9.

Insertum in contractu cambii limitati, ut si quis non solvit statutis temporibus, remaneat subjectus cambiis currentibus, valet, disc. 8. num. 12.

Francandi Bononiæ usitatum, disc. 11. num. 8. & in Lombardia, aliisque partibus, ibid. num. 11.

PACTUM COMMISSORIUM.

Pactum commissorium in pignore reprobatur, disc. 8. num. 6.

*Declara*, quando tale pactum adjicitur in continenti, ob probabilem suffocationem debitoris, non autem, quando adjicitur ex intervallo, & abest hujusmodi periculum, ibid. num. 7.

Sed contrarium verius, quando etiam apponitur ex intervallo, eod. disc. 8. num. 8. ubi de ratione.

Valet tamen in pignore, ubi non concurrit injustitia pretii, & contrarium sentientes, reprobantur, ibid. num. 9.

Quando verò injustitia pretii concurrere dicatur, *vide* ibid. num. 10.

Quando valeat, eò quòd non continet pœnam, sed subtractionem lucri, disc. 8. num. 12.

PACTUM REDIMENDI.

Pactum redimendi quando dicatur usurarium, eò quòd pendeat à voluntate emptoris rehabere à venditore pecuniam, disc. 11. num. 7.

Ex conventione in constitutione census prohibitum non vitiat, sed vitiatur, disc. 26. num. 7.

Minuit valorem rei in tertia, quarta, & sexta justi pretii secundùm diversas opiniones, disc. 11. nu. 5.

Veriùs tamen minuit pro Judicis arbitrio, juxta mensuram præfiniti temporis, ibid. eod. num.

PECUNIA.

Pecunia utpotè de sui natura sterilis, nullum lucrum, nullamque accessionem parit citra usuram, disc. 1. num. 2. & disc. 28. num. 2.

Et quicquid pro tali lucro, seu accessione solvitur, imputari debet in sortem, disc. 1. num. 2. & disc. 28. num. 2.

Et *vide* in verbo *Mutuum*.

Anticipatè soluta operariis cum obligatione præstandi operas debitis temporibus, sapit usuram, disc. 4. num. 10.

Et de hac materia, *vide* in verb *Operarius*.

Periculum deteriorationis animalium, justè suscipitur à conductore, disc. 2. n. 6. ubi de ratione.

*Declara*, quando susceptum periculum remanet congruè compensatum, ibid. n. 6. & n. 12.

In societate officii consideratur accessoriè, & consecutivè, disc. 36. num. 5.

PIGNORA.

Pignora si non fierent per famulos fiduciarios, oppignorandi materia redderetur impracticabilis, disc. 7. num. 8.

PIGNUS.

Pignus conventionale differt à Prætorio, quia fructus conventionalis tam percepti, quàm qui percipi potuerant, imputantur in sortem; in prætorio verò imputantur tantùm percepti, disc. 9. num. 4.

Ubi adæquat creditum, vel est illo inferius, censetur habitum pro derelicto, & creditor facit fructus suos, disc. 10. num. 2.

*Intellige*, quando dantur bona nullo expresso titulo pignoris, vel dationis in solutum, eod. disc. 10. num. 4.

*Amplia*, etiam quando dantur expresso titulo pignoris, sed concurrit diuturnum silentium, & æquivalentia bonorum credito, quia tunc præsumitur facta novatio, & censentur data in solutum, ibid. num. 5.

*Limita*, quia non suffragatur æquivalentia pignoris credito, ad hoc, ut res censeatur data in solutum, quando fuit continuatum in titulo pignoratitio, disc. 10. num. 5.

*Intellige*, supradicta procedere in pignore conventionali, non in legali, seu Prætorio, ibid. num. 7.

Fructus pignoris ex opinione Romanæ Curiæ omnes imputantur in sortem, non habito respectu ad interesse lucri cessantis, vel damni emergentis creditoris, disc. 9. num. 5.

Et *vide* in verbo *Fructus*.

PŒNA.

Pœna conventionalis exigitur ob factum, vel non factum, non autem ob datum, vel non datum, disc. 8. num. 15.

PONDERATIONES.

Ponderationes facti magis attenduntur, quàm illæ juris, disc. 12, num. 22.

PONTIFEX.

Pontifex usuras licèt de jure divino damnatas, permittere potest, disc. 6. num. 5.

*Declara*, per modum tolerandi, non autem per viam dispensandi, eod. disc. 6. num. 6. & disc. 12. num. 30.

Suum judicium regulare debet rationibus, non autem simpliciter auctoritatibus scribentium, ibid. eod. num.

PRÆCEPTUM.

Præceptum testatoris de usuris ab hærede legatario præ-

præstandis, nec obligatorium, nec servandum est, disc. 30. num. 10 disc. 31. num. 3. & disc. 32. nu. 2.

PRÆDIA.

Prædia urbana sunt naturaliter infructifera, & fructant per accidens, disc. 26. num. 9.

PRÆDIUM.

Prædium intelligitur propriè datum in pignus, non autem in solutum, quando datur alicui sub pacto de se satisfaciendo de fructibus, disc. 8. nu. 4.

PRÆSUMPTIONES.

Præsumptiones in claris non sunt necessariæ, disc. 8. num. 5.

Quod etiam procedit in actibus inter vivos, ibid. eod. num.

PRETIUM.

Pretium debet esse periculo, seu incertæ aleæ proportionatum, disc. 36. num. 11.

Rei fructiferæ, si convertatur in aliam speciem debiti, vel contractus, non est ampliùs fructiferum, *ex l. curabit, C. de act. empt.* sed ex alio contractu, in quem transit, cujus requisita concurrere debent, disc. 16 num. 5. disc. 17. num. 16. disc. 23. num. 3. & disc. 27. num. 8.

*Intellige*, ubi contractus, in quem pretium jure novationis convertitur, est ab initio validus & perfectus, aliam formam, seu solemnitatem non requirens, quàm voluntatem contrahentium, disc. 17. num. 17. ubi latè exemplificatur.

Rei venditæ, quando convertitur in contractum census, possunt pro illo taxari fructus, usque ad decem pro centenario, disc. 18. num. 7.

*Intellige* in locis, in quibus non fuit recepta Bulla *Pii V.* ut in Hispania, & in Regno Neapolitano, ibid. eod. num.

PRINCEPS.

Princeps sæcularis, an possit Hebræis usuras permittere inconsulto Romano Pontifice, disc. 5. num. 6.

Si vult populum in loco, debet illi suppeditare necessariè ad victum, disc. 6. num. 17.

PRIVILEGIA.

Privilegia inter æquè privilegiatos conquassantur, disc. 31. num. 6.

PROBATIO.

Probatio præsumptiva sufficit in materia usuraria, disc. 12. nu. 11. ubi *Archidiac.* opinio reprobatur, & num. 12.

*Intellige*, sufficere ad effectum usuras repetendi, non autem mulctandi usurarium, ibid. num. 15. ubi de ratione.

Imperfecta faciliùs admittitur in materia usuraria, quando à principio fuit conventum de certa quantitate usurarum, disc. 12. n. 17.

*Contrarium* tamen verius ex mente Auctoris, ibid. eod. num. ubi de ratione.

Ad consequendum interesse ratione damni emergentis, an sufficiat generica, vel specifica requiratur, *vide* disc. 14. num. 10. ubi utraque opinio refertur, & *vide* in verbo *Interesse*.

PROCURATORES.

Procuratores in Romana Curia gerunt partes, quas in aliis Europæ partibus peragunt Advocati, disc. 26. num. 2.

Et in quo differant ab Advocatis, ibid. eod. num.

Q

QUALITAS.

Qualitas bona creditoris considerabilis est ad excludendam suspicionem usuræ, disc. 12. num. 36.

QUANTITAS.

Quantitas, quæ promittitur uni ex transigentibus super bonis fructiferis dicitur pretium portionis ipsorum bonorum, & ideo pro illa possunt exigi fructus recompensativi, disc. 28. num. 6.

Pro quantitate legata non debentur usuræ ratione solius moræ, nisi concurrant alia requisita lucri cessantis, vel damni emergentis, disc. 29. n. 2. & 3.

Et de hac materia, *vide* in verbo *Legatum*.

R

REPETITIO.

Repetitio indebiti quomodo differat ab imputatione in sortem, disc. 12. num. 18.

Indebiti ad hoc ut locum habeat est probanda vera, & effectiva solutio, nec sufficit quietantia, seù confessio de recepto, disc. 12. n. 8. ubi de ratione.

Et ad repetitionem agens non solùm probare debet veram solutionem, sed quidem fuisse indebitam pro qua excludenda sola possibilitas interesse sufficit, ibid. n. 9, & n. 17. ubi declaratur, in quibus casibus procedat.

*Adverte*, quòd hæc sola possibilitas in materia usuraria non sufficit ad excludendam ipsammet repetitionem, ibid. n. 10. ubi de ratione.

Immo admittitur per præsumptivas probationes, disc. 12. nu. 11. ubi reprobatur opinio *Archidiac.* num. 12, & num. 16. ubi de ratione.

REQUISITA.

Requisita *Pauli Castrens.* in materia lucri cessantis, & damni emergentis habentur pro notoriis, & probatis, juxta opinionem aliquorum Regnicolarum, & Hispanorum, disc. 18. num. 2.

Quomodo debeant practicari, ibid. num. 10, & 11. ubi plures casus distinguuntur.

Eadem juxta opinionem Romanæ Curiæ debentur specificis probationibus justificari, ita ut non sufficiant generales occasiones, seu partium assertiones, & conventiones, disc. 21. nu. 5. & disc. 24. num. 11.

*Limita*, in fructibus recompensativis debitis pro pretio rei fructiferæ, & restaurativis onerum matrimonialium, disc. 21. num. 5.

De tribus requisitis adjudicationis, & quando adesse non dicantur, disc. 24. num. 8.

RES.

Res non dicitur data, quæ deinde avocatur, seu repetitur, disc. 27. num. 7.

In rebus incorporalibus consignatio scripturarum succedit loco traditionis ipsarum rerum, disc. 14. num. 6.

Plures ubi sub diversis pretiis in eodem contractu venditæ sunt, tot dicuntur venditiones quot eædem sunt, disc. 14. num. 3.

Vendita si non fuit tradita, seu fuit evicta, cessat omnis ejus obligatio etiam favore tertii, d. 14. n. 5.

RESIGNATARIUS.

Resignatarius solvens aliquid resignanti spontè, & ex mera liberalitate simoniam committere non dicitur, disc. 13. num. 5.

S

SANATIO.

Sanatio census, quando denegetur, etiam si constet de vero credito, disc. 17. num. 3.

SCIENTIA.

Scientia sola sine citatione sufficit fidejussori adversus creditorem, disc. 34. num. 7.

Sufficit ubi etiam requiratur interpellatio, quia ista

non debet esse in certa forma præcisa, disc. 34. num. 16.
De differentia inter scientiam præsumptam, & scientiam veram cum præsumptionibus probatam, disc. 34. num. 11.
Et ex quibus hæc probetur, ibid. num. 12.

SENTENTIA.

Sententia, ubi non est absolutoria, seu trahens executionem ipso jure, sed exigit alium factum, post se non transfert dominium, neque possessionem, nisi post executionem, disc. 24. num. 6.
Sententia, seu mandatum de adjudicando non importat adjudicationem, neque transfert dominium, nisi ejus effectu subsecuto, disc. 34. nu. 7.

SEQUESTRUM.

Sequestrum sive justum, sive injustum excusat à mora solvendi, disc. 22. num. 13. ubi de ratione.
*Limita*, quando per debitorem mala fide, & affectatè id procuratum esset, ibid. num. 14.
Item limita, si supervenit post moram incursam, ibid. num. 15.
Sicut cessare non facit fructus census, seu alterius annui redditus, ita neque fructus recompensativos *ex l. curabit* provenientes, disc. 22. num. 16.
*Limita*, si sequatur depositum, nam tunc nulli currunt fructus, disc. 22. nu. 8, 9, & 16. ubi de ratione.

SOCIETAS.

Societas ad caput salvum, ex *Constitutione* 45. *Sixti V.* non permittitur, disc. 2. num. 2.
Et *vide* in verbo *Contractus*.
Potest substantiari super uno officio, vel super una navi, sed periculum distribui super pluribus personis, vel navibus, disc. 3. num. 6.

SOLIDATIO.

Solidatio computorum, seu conventio gesta cum principali debitore, præjudicat ejus creditoribus, vel fidejussoribus, disc. 35. num. 15.

SOLVENS.

Solvens usuras dotales debitas ex Statuto soluto matrimonio absque interpellatione, & eas repetere, seu imputare volens ex defectu ipsius interpellationis, tenetur probare, se non fuisse interpellatum, disc. 12. num. 16. ubi de ratione.
Alteri quàm creditori de mandato Iudicis, an excusetur, nec-nè remissivè, disc. 22. num. 15.
Cum ordinibus falsis, an liberationem obtineat, vel actionem acquirat, disc. 7. num. 9.

SPONSIONES.

Sponsiones quæ fiunt super futura electione Pontificis, sunt prohibitæ, disc. 36. num. 7. ubi vide alios casus, in quibus improbantur, & *vide* in verb. *Contractus*.

SOLUTIO.

Solutio cujuscunque debiti rectè probatur præsumptionibus, & adminiculis insimul junctis, disc. 12. num. 20.
*Amplia*, in materia usuraria, ubi probationes etiam imperfectæ admittuntur, ibid. eod. num.
Ad effectum repetitionis indebiti verè, & effectivè probanda est, nec sufficit quietantia, seu confessio, disc. 12. num. 8. ubi de ratione.
Fructuum conventorum ex pretio rei venditæ non debet retardari pendente disputatione, an sint excessivi, nec-nè, disc. 21. n. 10. ubi de ratione.

STIPULATIO.

Stipulatio damnorum, & interesse apposita in contractu census à principio invalidi sufficit ad constituendum in mora debitorem pro ipsis consequendis absque alia interpellatione, discursu 17. num. 10.

SUCCESSOR.

Successor usurarii non potest usuras exigere, vel retinere, disc. 5. num. 13.
*Amplia*, etiamsi acquirat titulo onero so, sciendo tamen usurariam qualitatem, ibid. num. 13.

SUSPICIO.

Suspicio usuræ magis oritur, quando fit triplex contractus super pecunia, quàm super animalibus, seu aliis rebus, disc. 1. num. 15.

## T

TESTES.

Testes tres etiam singulares deponentes de facto proprio, in materia usuraria probant in Regno Neapolitano, licèt aliàs non probarent, disc. 12. num. 15.
*Amplia*, etiam in judicio criminali ad effectum puniendi Fæneratorem, ibid. eodem num.

TEXTUS.

Textus *in cap. per vestras*, de usuris expenditur, disc. 1. num. 11.
Quando verò ejus dispositio locum habeat, & an favor alimentorum in hoc operetur, ibid. nu. 18.
In *cap. Naviganti de usur.* latè declaratur, disc. 3. num. 9, 10, & 11.
In *l. curabit C. de act. empt.* habet locum tam favore venditoris, quàm emptoris, disc. 25. num. 2. ubi de ratione.

TRADITIO.

Traditio cedulæ, seu ordinis Banco directi habet vim effectivæ solutionis, quoties realiter in illo adsit pecunia, disc. 25. num. 3.
*Limita*, in Constitutione census, ubi cedula tantùm, non verò ordo habetur pro effectiva solutione, disc. 25. num. 5. ubi de ratione.

TRANSACTIO.

Transactio supponit litem præcedentem, disc. 34. num. 12.
Dicitur species rei judicatæ, disc. 28. num. 5. & disc. 35. num. 15.
Extinguit priora jura, prioresque actiones, disc. 20. num. 2.
*Declara*, quando habet implicitum statum validitatis, nam secus est, quando est nulla ipso jure, ibid. num. 5. Quod etiam locum habet in obligatione Camerali, ibid.
Et ut possit agi ex prioribus juribus debet ipsa tolli per tres conformes, disc. 20. num. 3.
Ad regulandam transactionem attendendum est tempus, & locus, in quibus inita est, disc. 35. n. 17.
Ex quibus arguatur in transactione concurrere bonam fidem, disc. 35. num. 16.
Proceditur in ea per Curiam Romanam cum terminis *text. in leg. 2. C. de rescindend. vendit.* quod tamen est contra probabiliorem, & communem opinionem, disc. 12. num. 40.
An veniat sub nomine prohibitæ alienationis, & exigat easdem solemnitates, quas alienatio requirit, disc. 28. num. 3.
Distingue tres casus. Primus est, quando prohibitus alienare possidet bona, quæ recepto pretio collitiganti per transactionem dimittit, & tunc dicitur alienatio prohibita, ibid. eod. num.
Secundus, quando possidet, & non dimittit, sed aliquam pecuniariam summam collitiganti promittit cum ipsorum bonorum obligatione, & isto casu non dicitur alienatio, ibid. eod. num.
Tertius, quando non possidet, sed à collitigante possessore aliquam obtinet quantitatem pro juribus

ribus in litem deductis, & tunc dic, ut in secundo casu, ibidem eodem num.
Transactio, seu alia conventio licitas usuras reddere nequit, disc. 12. nu. 40. & disc. 35. num. 10.
*Limita* in dubio, an usuræ sint licitæ nec-ne, & transactio sit facta habito respectu ad dubium litis eventum, disc. 12. num. 40.
*Limita* rursus, quando cessante ratione suffocationis debitor scienter, & voluntariè illas remittit, ibidem eodem num. & disc. 35. num. 10.
Super usuris fieri potest, & bene per eam remittuntur, disc. 12. num. 40. & disc. 35. num. 10.
Inita tamen ex falso præsuppositio non sustinetur, eod. disc. 12. num. 40.
In transactione super dubio litis eventu moraliter impossibile est, ut cadat læsio ænormissima, disc. 20. num. 8. ubi latè de ratione.
Requirit non tantùm dubietatem, quàm ut aliquid hincindè detur, & remittatur habito respectu ad dubium litis eventum, disc. 12. num. 40.
Quando afficiat successores venientes independenter ex propria persona, disc. 20. num. 9. remissivè.
Facta bona fide afficit etiam tertios independenter à transigente ex persona propria venientes puta Fideicommissarios, Feudatarios, & similes, disc. 35. numer. 9.
*Amplia* etiam in terminis usurarum, dummodo non contineat ipsarum canonizationem in futurum, disc. 35. num. 10.
*Intellige* ampliationem procedere, quando transigitur super usuris, non verò quando eædem donantur, vel remittuntur, disc. 35. num. 11. ubi de differentia inter transactionem, & remissionem, vel donationem in hac materia.
*Declara* conclusionem principalem procedere, quando jus tertii, est accessorium, & tanquam per speciem successionis transigentis, ibid. nu. 13.
Secus autem ubi tertius habet jus coæquale, ac radicatum, quia tunc transactio est personalis, nec afficit tertium, ibid. eod. num.
*Adverte* hoc jus requiri omnino coæquale, & ideo debitor potest transigendo præjudicare creditoribus illud in patrimonio ipsius non habentibus, disc. 35. num. 14.
Dicitur Leonina, quãdo unus totum recipit, & alter nihil, disc. 12. num. 50.

TUTOR.

Tutor debet pupilli pecuniam otiosam investire, aliàs tenetur ipse ad quanti interest, disc. 13. nu. 6, disc. 15. num. 7, & disc. 29. num. 9.
Pupillarem pecuniam nequit negotiationibus exponere ob periculum earumdem, disc. 12. nu. 28, & disc. 18. num. 12.
Et contrarium agens damnum, quod potest indè resultare ad ipsum spectat, lucrum verò ad pupillum contra regulam secundùm naturam &c. in odium, & pœnam ipsius, ita malè agentis, disc. 29. num. 9.

V

VALOR.

VAlor rei diminuitur ob pactum redimendi juxta diversas opiniones in tertia, quarta, & sexta justi pretii, disc. 11. num. 5.
Verius tamen diminuitur pro arbitrio Judicis, juxta mensuram præfiniti temporis, ibid. eod. num.
Locorum montium dupliciter diminuitur, vel intrinsecè ob accidentia Montis dotem destruentia, disc. 29. num. 7.
Vel extrinsecè ob extractiones, quæ in dies contingunt, ibid. eod. num.

VENDITIO.

Venditio facta cum pacto, ut de pecuniis fiat multiplicum, si hoc non sequitur emptor, tenetur ad fructus recompensativos, non verò ad fructus fructuum, disc. 14. num. 13.
*Limita*, quando emptor assumpsisset in se onus multiplicum faciendi, quia tunc in ratione non impleti mandati in faciendo ad illos teneretur, eod. disc. num. eod.

VENDITIONES.

Venditiones tot sunt, quot sunt res distinctè appretiatæ in eodem contractu, disc. 14. num. 3.
Generales pignorum excedentium 18. menses, debent fieri ab Hebræis quatuor anni temporibus, disc. 7. num. 10.

VENDITOR.

Venditor pendente solutione pretii rei venditæ non obtinet fructus recompensativos, juxta Theologorum sententiam, disc. 26. num. 3.
*Contrarium* verius, ibid. num. 4.
Improbatur Theologorum opinio ex mente Canonistarum, quibus in materiis usurariis magis deferendum est, quàm Theologis, ibid. num. 5.

VERISIMILITUDO.

Verisimilitudo attendi debet in declaratione voluntatis testatoris facta à fiduciario, disc. 30. num. 12.

VOLUNTAS.

Voluntas in dubio à potestate metienda est, disc. 25. num. 5.
Testatoris dicitur explicata per fiduciarii organum, disc. 30. num. 9.

USURA.

Usura materiæ parvitatem non admittit, disc. 12. num. 6. & nu. 30.
Non datur sine mutuo vero, aut interpretativo, disc. 3. num. 4. disc. 11. num. 6. disc. 15. num. 8.
In usuris attenditur rei substantia, non autem formula verborum, disc. 4. num. 7.
Non intrat, quando quis assignat alteri fundum, non facta declaratione pretii certi sub annua præstatione excedente fructus dicti fundi, sed bene intrat læsio, & injustitia, disc. 18. num. 3.
Secus est in emptione, & venditione, ibid. eod. num. ubi de ratione.
Judaica quantum sit Christianis damnosa, disc. 6. num. 14.
Etiam in Hebræis est illicita, & damnata de jure divino, disc. 5. num. 6. & disc. 6. num. 10.
Illis verò permittitur ab Ecclesia, ob eorum desperatam salutem, disc. 6. num. 11.
Hebræorum, quòd possit excedere sortem, de mente *Surdi*, disc. 5. num. 4.
*Contrarium* tamen contra *Surd.* sustinet *Manent.* & alii, ibid. eod. num.
Exigitur Romæ ab Hebræis ex permissione summi Pontificis, disc. 5. num. 8. & redditur ratio, num. 9.
Inexacta non exigitur ab Hebræo ad orthodoxam fidem conversо, disc. 5. num. 10.
Exactam verò tenetur restituere debitori, si est certus, si verò incertus, Ecclesia, ibid. eod. num. & ad dispositionem Papæ, eod. num.
Condonatur tamen aliquando in partem, vel in totum, ne Hebræus à Christi fide avertatur, ibid. num. 10.

USURÆ.

Usuræ absque mora regulari, vel irregulari nullæ debentur, disc. 30. num. 7.
Quoties debentur in genere, vel substantia, non pro-

prohibetur earum conventio ad justam, & verisimilem taxam, disc.21. num.4.
Ubi cantant in unam causam, non possunt referri ad aliam, disc.35. num.6.
Magis committerentur, si ad illas probandas requireretur exacta probatio, disc.12. num.16.
In usuris non spectatur utilitas debitoris, sed interesse creditoris, disc.15. num.8.
Hæc tamen valde confert ad ostendendum solutas accessiones fuisse præter suffocationem ejusdem debitoris, disc.15. num. 8.
Super usuris fieri potest transactio, & benè per eam remittuntur, disc.12.nu.40. & disc.35. num.10.
Pretii non possunt excedere fructus rei venditæ, disc.18. num. 4. ubi reprobatur opinio Baldi.
Et *vide* in verbo *Fructus*.
Indebitæ voluntariè solutæ imputantur in sortem, non autem repetuntur per viam repetitionis indebiti, disc.17. num.22.
Antiquitùs dabantur cum solo spatio unius anni sortem adæquantes, & sic ad centum pro centenario, disc. 6. num. 1.
Centesimæ, de quibus in jure fit mentio, quomodo fuerint ab aliquibus malè intellectæ, ibid.num.2.
Hebræorum taxatæ fuerunt ad triginta pro centenario à Leone X. & Paulo III. PP. disc. 6. num.3.
In Sabaudia verò, & Lombardia fuerunt taxatæ usque ad 33. pro centenario, ibid. eod.num.
Et de illarum reductione in eodem Statu Sabaudiæ, & de eventu, ibid. num.6.
De aliis verò moderationibus primò ad 24. & secundo loco ad 18. *vide* ibid. num. 4. & de aliis num. 12.
Ab Hebræis super pignoribus possunt exigi tantùm pro mensibus 21. elapsis, disc.7. num.10.
*Limita*, accedente consensu, seu conventione debitoris, juxta quam regulatur restrictio, seu temporis ampliatio, ibid.eod.num.
Debentur Hebræo à debitore impedito vendere pignora elapso tempore 18. mensium, disc. 7. num. 12.
Pupillares per jus civile decretæ, à jure canonico correctæ sunt, disc.29. num. 3.
Dotales non debentur soluto matrimonio, etiamsi reliquiæ matrimonii supersint, disc. 35. num. 3.
Dotales debitæ ex statuto soluto matrimonio cum interpellatione hæredibus viri, seu dotantibus, si solvantur absque interpellatione, & ob hanc causam prætendantur imputari in sortem, seu eas repetere, tenetur solvens concludenter probare, se non fuisse interpellatum, disc.12.num.16.
Legatorum statutæ de jure civili sunt hodie correctæ per jus canonicum, disc.29. num. 2. & disc. 31. num. 3.
Legatorum non debentur ex judicio testatoris, multò minùs ex declaratione fiduciarii, disc. 30. num.10.disc.31.nu.3. & disc.32.n.2.
Pro legato quantitatis non debentur ratione solius moræ regularis, vel irregularis, nisi concurrant alia requisita lucri cessantis, vel damni emergentis, disc.29.num.2.& 3. & disc.30. nu.4.
*Vide* ampliationes, & limitationes in verbo *Legatum*.
Et multa *vide* in verbo *Accessiones*, & in verbo *Fructus*.

## USURARUM.

Usurarum fautores, seu consultores, & cooperatores peccant, disc.5. num.12.
Judaicarum permissionem redarguentes damnantur, disc.6. num.7. ubi de absurdo, quod ex illarum ademptione oriretur.
Et contra illos fortis ponderatio, ibid. num.9.
Judaicarum varia incrementa, & decrementa, secundùm variam temporum conditionem, disc. 6. num. 19.
Judaicarum tentata reductio ad minorem summam, quàm de præsenti Romæ currat, quare non fuerit effectum sortita, disc.6. num.20.

## UTILITAS.

Utilitas mutuatoris in materia usuraria, non mutuatarii spectatur, disc.12. num. 41. & disc.16. num. 8.
Mutuantis absque damno mutuatarii, vel econtra, non causat usuram, disc.4. num.12.
Proveniens ex prompto modo retrahendi pecuniam super pignoribus ab Hebræis, est pretio inæstimabilis, disc.6.num.18.

TRACTATUS DE USURIS ET INTERESSE

FINIS.



# PARS TERTIA
## DE
# CENSIBUS.

# INDEX
## ARGUMENTORUM
## IN DISCURSIBUS,
### Qui habentur in hoc quinto Libro de Censibus.


Disc. I.

*Oppiden. Census.*

De pacto rescissorio instrumenti censualis, & facultate repetendi sortem principalem ob non solutionem fructuum statutis temporibus; An improbetur per Bullam Pii V. & quatenus sic, An vitiet contractum, vel solum vitietur pactum.

Et an Bulla prædicta Pii V. sit recepta, vel servari debeat in omnibus in Regno Neapolitano.

Disc. II.

*Tranen. Census.*

De nullitate census creati ex fructibus alterius census, An procedat solùm ex Bulla Pii V. vel etiam de jure communi, & ex infectione usuraria, ita ut census mereatur sanationem nec nè.

Disc. III.

*Baren. Census.*

De sanatoria concessa per Signaturam cum clausula *arbitrio Rotæ*, denegata ex eo quod tardè petita esset post latas sententias super censu invaliditate, per quas quæsitum dicitur jus debitori, ideoque non concedenda.

Disc. IV.

*Sabinen. Census.*

De forma pecuniæ numeratæ per Bullam Pianam in censuum creatione præscripta, num impleatur per cedulam bancariam, sivè per ordinem directum banco.

Disc. V.

*Spoletana.*

Si in matrice seù originali imbreviatura instrumenti censualis reperta inter rogitus notarii mortui, non exprimatur servatam esse formam Bullæ Pianæ, Ad id per notarium successorem in extensione instrumenti suppleri possit; Et an forma prædicta quamvis in instrumento non expressa probari possit per testes, vel aliàs extrinsecas probationes.

Disc. VI.

*Urbevetana Census.*

De nullitate census ex defectu fundi censiti certi, quia esset impositus super bonis aliquorum Castrorum in genere; Et an hæc exceptio impediat creditorem agentem in judicio executivo, vel in altero manutentionis.

Disc. VII.

*Romana Census.*

An census creari possit super domo construenda cum pecuniis ad censum traditis, ita ut de tempore creationis fundus censitus fructifer, & capax non sit in rerum natura.

Et de impositione census sapiente veram alie-

alienationem, proindeque cadente sub *extravaganti Ambitiosæ.*

Disc. VIII.

*Romana seù Farfen. Census.*

An super re emphyteutica ad certas generationes concessa imponi possit census, ita ut ex isto debeantur fructus nec ne.

Disc. IX.

*Romana pecuniaria seù census vitalitii.*

De validitate vel invaliditate census vitalitii ob defectum fundi capacis; Et an hujusmodi census subjaceat Bullæ Pii V. super necessitate fundi fructiferi, & capacis, vel dari possit census personalis.

An per mortem creditoris fiat locus lucro sortis principalis, ubi debitor ex parte sua non implevit promissa, Vel potius ex capite non implementi cesset lucrum; Et de aliis ad materiam census vitalitii.

Disc. X.

*Prænestina Census.*

An & quando pactum repetitionis sortis principalis adjectum favore creditoris vitiet contractum censualem, illumque reddat usurarium, vel potius ipsum pactum vitietur.

Disc. XI.

*Tuscanen. Census.*

De eadem materia facultatis repetendi sortem principalem post certum tempus, an vitiet contractum, vel ipsum pactum vitiet; Et an hæc exceptio sit apta impedire summariissimum possessorium manutentionis in quasi possessione exigendi fructus census.

Disc. XII.

*Romana seù Terracinen. Census.*

De eadem materia actiobligantis debitorem census ad illum redimendum, An & quando substineatur, ubi non est ad favorem creditoris, sed tertii, puta fidejussoris, vel emptoris bonorum.

Disc. XIII.

*Romana Salviani.*

An & quando detecto contractu censuali invalido ex defectu fundi non liberi vel non capacis, debeantur nec ne creditori fructus.

Et an eorumdem fructuum cursus cesset, ubi ex eadem vel simili causa creditor pulsavit debitorem ad restitutionem sortis, atque mandatum contra ipsum obtinuit.

Disc. XIV.

*Romana Reductionis.*

Census pertinens ad fideicommissum, An per gravatum, vel alium alienare prohibitum possit abassari, & ad minorem summam reduci in præjudicium successoris venientis independenter, & jure proprio.

Disc. XV.

De reviviscentia census extincti vel novati mediante datione in solutum, vel sub alia conventione inita sub certo implemento, An scilicèt & quandò ob sequutam evictionem, seù non sequutum implementum reviviscat idem census cum cursu fructuum, vel remaneat simplex creditum.

Disc. XVI.

*Civitatis Castelli census.*

De eadem materia extinctionis census per novationem ejusque transfusionem in aliud creditum, An ob non implementum reviviscat, ita ut fructus debeantur.

Disc. XVII.

*Florentina Legati.*

An sub legato stabilium veniant census, ita ut istorum fructus cadant sub dispositione facta de redditibus bonorum stabilium, Et an sub istorum nomine veniant pecuniæ investitæ super Montibus.

Disc. XVIII.

*Romana pecuniaria de Maximis.*

Census consignativi, an importent onus reale fundi censiti, vel potius personale, ad effectum videndi, An donato vel legato fundo censito, onus census pertineat ad donatorem vel hæredem testatoris, vel potius ad donatarium, seù legatarium.

Disc. XIX.

*Romana diminutionis Census.*

De censu impositio super officio Custodis unius portæ Civitatis, ac emolumentis ex hujusmodi custodia provenientibus, An cesset in toto vel in parte per hujusmodi emolumentorum cessationem vel diminutionem, de mandato Superiorum, seù ex alio casu sequutam.

Disc. XX.

*Ariminen. Census.*

De materia præscriptionis, seù præsumptæ extinctionis census ob longissimam cessationem ab exactione, ac respectivè solutione fructuum.

Disc. XXI.

*Romana retentionis.*

An & quando creditori censuario, seù ejus cessionario competat retentio bonorum debitoris pro debito sortis principalis adversus creditores posteriores.

Disc.

# INDEX ARGUMENTORUM.


Disc. XXII.

*Romana extinctionis Census.*

An & quando extinctio census fieri possit per usufructuarium in præjudicium proprietarii, seù ejus, qui vocatus est, per mortem illius, ad cujus favorem sub nomine usus fructus de censu per creditorem dispositum fuit.

Disc. XXIII.

*Romana fideicommissi de Alicornis.*

De valida vel invalida extinctione census facta cum hærede gravato in præjudicium vocatorum ad fideicommissum.

Disc. XXIV.

*Romana Census.*

An extinctio census validè fieri possit cum eo procuratore, cum quo creatus fuit, & qui etiam ad fructuum exactionem deputatus erat.

Disc. XXV.

*Tudertina Census.*

Malè extinguens censum non servata forma in ipso instrumento censuali adjecta favore tertii, cujus cautela solam sortem principalem respiciat, An teneatur ad illa interesuria, ad quæ tertius actionem habet contra creditorem, cum quo census extinctus fuit.

Disc. XXVI.

*Camerinen. Census.*

An & quando depositum sortis principalis dicatur benè vel malè factum pro extinctione census, ita ut ejus periculum cedat damno debitoris, vel respectivè creditoris.

Disc. XXVII.

*Romana extinctionis Census.*

De validitate vel invaliditate depositi sortis facti post elapsum bimestre in Bulla *Piana* præscriptum.

Disc. XXVIII.

*Romana pecuniaria.*

De extinctione census, ac cessatione fructuum, ex eo quod creditor efficiatur dominus fundi censiti; Et quid si ex facto merè voluntario desinat ille possideri, An census reviviscat.

Disc. XXIX.

*Romana Census de Maffeis.*

Cessio census quando dicatur facta translativè vel potius extinctivè, ad diversos effectus, illum præsertim, An in hujusmodi cessione per mulierem vel alium prohibitum contrahere sine solemnitatibus statutariis, istæ requirantur; Et an hæres debitoris censuarii possit translativè acquirere census.

Disc. XXX.

*Imolen. Census.*

De Constitutione *Clementis Octavi* disponente, ut per Communitates imponi non possint census prætet formam sibi præscriptam, An procedat in censibus impositis per aliquos particulares, quamvis re vera pro Communitate deservientes.

Disc. XXXI.

*Sabinen. Census.*

Imposito censu super fundo alieno vel incapaci, quem debitor asseruit proprium capacem, absque eo quod creditori de tempore impositionis dicta incapacitas innotesceret; An sequuta fundi evictione, seù aliàs superventa notitia, quod fundus esset alienus vel incapax, cesset cursus fructuum, qui in futurum exigi non possint.

# INDEX CAVSARVM

## Hoc Titulo de Censibus, ordine alphabetico per Diœceses dispositus.


### A

ARiminen. census, disc. 20. fol. 35.

### B

BAren. census, disc. 3. fol. 9.

### C

CAmerinen. census, dis. 26. f. 44.
Civitatis Castelli census. disc. 16. fol. 30.

### F

FLorentina Legati, disc. 17. fol. 31.

### I

IMolen. census, dis. 30. fol. 50.

### O

OPpiden. census, disc. 1. fol. 1.

### P

PErusina census, disc. 15. fol. 28.
Prænestina census, disc. 10. fol. 20.

### R

ROmana census, disc. 7. fol. 14.
Census, dis. 24. fol. 40.
Seu Terracinen. census, d. 12. f. 23
Diminutionis census, d. 19. f. 34.
Extinctionis census, d. 22. fol. 37.
Extinctionis census, d. 27. f. 45.
Seu Farfen. census, disc. 8. fol. 16.
Census de Maffeis, disc. 29. f. 48.
Fideicommissi de Alicornis, d. 23. fol. 39.
Pecuniaria, disc. 28. fol. 47.
Pecuniaria de Maximis, disc. 18. fol. 32.
Pecuniaria seu census vitalitii, disc. 9. fol. 18.
Reductionis, disc. 14. fol. 27.
Retentionis, d. 21. f. 36.
Salviani, disc. 13. fol. 25.

### S

SAbinen. census, dis. 4. fol. 11.
Census, disc. 31. f. 51.
Spoletana, dis. 5. fol. 12.

### T

TRanen. census, disc. 2. fol. 7.
Tudertina census, disc. 25. fol. 42.
Tuscanen. census, disc. 11. fol. 21.

### V

VRbevetana, disc. 6. fol. 13.

# DE CENSIBUS

## DISCURSUS PRIMUS,

## OPPIDEN. CENSUS

*PRO*

## ILLIS DE MONTELEONE

*CVM*

## JAMUNDIS.

*Casus disputatus in Signatura Iustitiæ, & resolutus, ut infra.*

De pacto rescissorio instrumenti censualis, & facultate repetendi sortem principalem ob non solutionem fructuum statutis temporibus, An improbetur per Bullam Pii V. & quatenus sic, an vitiet contractum, vel solum vitietur pactum.

Et An Bulla prædicta Pii V. sit recepta, vel servari debeat in omnibus in Regno Neapolitano.

### *SVMMARIVM*

1 *Facti series.*

2 *Pacta rescissoria in Regno Neapolitano sunt in viridi observantia, sed in Curia Romana id est improbatum.*

3 *Regnicolæ credunt in eo Regno receptam non esse Bullam Pii V. de Censibus.*

4 *Contrarium tenet Rota & Curia.*

5 *De stylo Signaturæ etiam ubi agitur de mandato in vim pacti rescissorii relaxato pro sorte & fructibus, illud substinendi pro solis fructibus.*

6 *Et de stylo substituendi mandatum, ac etiam executionem pro sola summa debita, licèt sit excessivum.*

7 *De stylo Sac. Consilii & Tribunalium Regni super rescissione instrumenti censualis in vim pacti rescissorii ob non solutos fructus.*

8 *An Bulla Pii V. obliget ubique terrarum.*

9 *Quod verior sit opinio ut dicta Bulla attendi debeat in Regno.*

10 *Quid de Regno Siciliæ ultrà.*

### DISC. I.

IMposito per Fratres de Monteleone ad favorem Joannis Matthæi de Jamundis annuo censu ducatorum 90. pro sorte principali ducatorum 1000. sub pacto, ut in casu non solutionis fructuum per sex menses, seu mutationis monetæ, aut reductionis censuum per Summum Pontificem, vel quemcumque alium Principem faciendæ, licitum esset rescindere instrumentum, ac petere sortem principalem; Hinc creditoris hæredes in vim pacti prædicti, ob non solutionem fructuum, mandatum obtinuerunt contra debitores ab Ordinario producatis 1286. in confuso & unica structura, tàm pro sorte quàm pro fructibus; Undè interposita appellatione, & commissa causa in Rota, ex parte creditorum adita fuit Signatura justitiæ pro reformatione commissionis, petindè ac si esset signata cum clausula *sine præjudicio quoad fructus*, atque ita obtinuerunt; Et quamvis per binam subsequentem disputationem acerrimè probatum esset id de jure subsistere non posse, nihilominus semper perstitum fuit in decisis, quod fuit causa, ut lis ulteriorem prosequutionem non haberet, quia debitores curarunt, eo quo potuerunt modo se cum creditore concordare, potissimum stante quod creditores hujusmodi disputationum occasione agnoverunt, quod non obstante pacto prædicto desperata esset repetitio sortis, super qua ipsi principaliter insistebant.

Mihi de recenti in Curia in statu adhuc indeterminato, an Advocationis munus suscipere deberem; ita ut quamvis labores essent proprii, subaliorum tamen Curialium cognitorum nomine scripturæ prodirent, utpotè de stylis non benè informato, resolutio dura visa est ob dilemma, quod; Aut semota Bulla *Pii V.* hujusmodi pacta rescissoria servanda sunt, ut tenent Regnicolæ communiter attestantes illa in Regno esse in viridi observantia, *ut per Rovit. super pragm. prima de Censibus* & alios, & tunc ita rescribi substineri debuisset pro toto debito tam sortis quàm fructuum; Aut econversò tenenda est opinio, quàm firmiter etiam in dicto Regno Neapolitano tenet Rota & Curia, ut dicta Bulla Pii, etiam in eo Regno locum habeat ac servari debeat, ut in decisionibus, de quibus infra, quodque etiam hujusmodi pacta sub dictæ Bullæ prohibitione veniant, atque hoc jure passim in Curia vivitur; & tunc dum sententia vel decretum non distinguebat sortem à fructibus, sed pro omnibus insimul conflatis, unico contextu, ac sub eadem structura verborum prodierat, locus erat rescripto de appellatione in totum, ex vera & recepta juris propositione, quod injustitia in parte inficit sententiam vel decretum in totum, atque mixtura sum-

mæ appellabilis reddit sententiam appellabilem, etiam quoad summam non appellabilem, quoties non est per capitula separata, sed unico contextu, & cum eadem structura verborum *Seraph.dec.1168. nu. 11. Buratt.dec.177.n.5.& 337.num.27.add. ad eum dec. 368.litt.B.ubi concordantes.*

Expertus deinde Curiam, agnovi hunc esse frequentem & ferè quotidianum stylum hujus Tribunalis in causis censualibus Regni prædicti; ex quo circà ea prima tempora, & priusquam ex infortuniis revolutionum popularium ac pestis illiud in hodiernam miseriam reduceretur, frequentissimus erat causarum concursus ad Curiam; Hic autem stylus illi innixus est probabili rationi, quod cum certum sit ibi vivi de facto cum hac opinione, quod Bulla Pii V. in eo Re-
3 gno non sit recepta, sed vivatur cum Bulla *Nicolai V.* registrata *in pragm.prima de censibus*, quodque dicta pacta sint in viridi observantia, ut testantur *Apont. cons.41.nu.37.lib.2.Constant.in l.3. Cod.de fisc.usuris lib.10.numer.45.& sequen.& Tappia lib. 4. juris Regni de censibus num.29.& in fine*, qui tres fuerunt Regentes Cancellariæ, & Consiliarii supremi consilii Collateralis, prius verò primarii advocati, atque in aliis judicaturæ muneribus diu versati, rectè absque dubio de observantia informati, & cum quibus pertranseunt alii communiter.

Idcircò quamvis Rota & Curia Romana hujusmodi opinionem semper rejecerint *ut dec. 103. 87.*
4 *146.& 147.post Cenc.de cens.in Telesina census.9.Decembris 1639.coram Dunozetto* inter suas *decis. 184. num.5.In Neapolitana domorum 13.Maii 1641.coram Verospio impress.dec.20.par.9.recent. & repetit. post Merlin.de pignor. dec.* 43. & sæpissimè in aliis moderno tempore editis, ita ut sit hodie principium absolutum, Attamen dicebant Cardinalis *Sacchettus* Præfectus necnon *Andosilla* & alii tunc in Signatura sedentes, qui hunc rescribendi modum introduxerunt, istam opinionem, sive veram, sive falsam in ea regione introductam, excusare saltem debere judi-
5 ces & partes ab injustitia seu ineptia sententiarum seu decretorum super hujusmodi rescissionibus prodeuntium, ideoq; locum esse debere dicto æquitativo temperamento, rejiciendi scilicet repetitionem sortis, ac demandandi executionem pro fructibus, circa quos debitor nullum gravamen allegare potest,
6 Adinstar illius styli, qui habetur etiam in Tribunali A.C. per Signaturam etiam ad alias Curias extensi, quod mandatum excessivum, licèt in stricta juris censura esset nullum in totum, nihilominus de æquitate quoties non est exequutum substinetur & executioni demandatur pro summa debita; Quinimò Signatura moderna contra receptas etiam Rotæ propositiones, ad resecandas calumnias ac tollendos inanes circuitus debitorum, etiam post factam executionem, introduxit eas substinere pro summa debita, cum ita nulla injuria inferatur debitori, atque nullitas seu appellabilitas in totum, sit quædam juris formalitas calumniarum nutritiva ideò resecanda, quod meo genio semper arrisit, & rationabile visum est.

Occasione verò aliarum consimilium disputationum habitarum, vel pro debitore vel pro creditore, post susceptam Advocationem ac obtentam Curiæ praxim, Dicebam quod ratio ob quam hujusmodi stylus introductus est, dicto discursu retento, videtur quidem probabilis, sed in stricto rigore non subsistit, neque judices & partes tali excusatione digni videntur, etiamsi admittamus quod in eo Regno vivatur de facto cum dicta opinione, tàm circà validitatem censuum creatorum absque pecunia numerata, quàm circà dicta pacta rescissoria, spectata solùm forma præscripta per dictam Bullam *Nicolai V.* quoniam adhuc judices de partibus ita de facto hujusmodi rescissiones admittentes non sunt ab injustitia & ineptia inexcusabiles, dum attenta etiam praxi ipsius Sac. Cons. Neapolitani, à quo tanquam Supremo regu- 7
lantur cætera inferiora Tribunalia, non proceditur ita de facto, & executivè ad solam creditoris petitionem ad hujusmodi rescissionem, sed stylus est, quod debitori fiant duæ vel tres monitiones cum congruo termino unius mensis vel circiter pro qualibet, ut solvat fructus, quos ibi *tertias* appellant, & quandò debitor in mora & contumacia perseverans solvere non curat, tunc proceditur quidem ad rescissionem, adjecta tamen clausula, quod supersedeatur in exequendo per aliquorum mensium congruum terminum præscribi solitum, intrà quem si debitor solvit fructus, dicitur ita purgare moram, ac evitat rescissionem, quæ habetur pro non facta, remanente solùm onere debitori reficiendi expensas tali occasione factas, ut de hac praxi *Capyc.Latr.dec.30.num.17.* Igitur inexcusabiles dicebam illos judices Ecclesiasticos inferiores de partibus, qui opiniones Rotæ & Curiæ Romanæ in istis præsertim materiis potiùs sequi debentes, non autem illas Tribunalium laicalium, adhuc neque istorum æquitativam praxim seruant: Sed quia verè hic potiùs ignorantiæ quàm malitiæ effectus est, idcircò ad evitandos inanes circuitus, ac ad resecandas debitorum calumnias, his non obstantibus dictum Signaturæ stylum probabam.

In disputationibus verò habitis super ista Causa *Oppiden.* quæ fortè prima vel contemporanea fuit cum altera *Nullius Baren. sub tit.de dote*, in juvenili calore, ac otii abundantia, plenum ac satis elaboratum, juxtà patrium tamen prolixiorem ac superfluum stylum, edidi discursum super d.puncto, an Bulla *Pii* servari debeat ubique Terrarum, atque de 8
ejus non usu dari valeat in genere, præsertim verò super puncto particulari hujus pacti rescissorii initi, non ad simplicem creditoris voluntatem, sed in casu moræ, quasi quod tunc id sequi dicatur potiùs ex ejusdem debitoris voluntate, ita ut juxtà plurium non improbabilem sententiam dicatur dictæ Bullæ non adversari, expendendo in hoc pleniori forsan calamo de anno 1644. omnia, quæ doctissimè ac nimium felici stylo postmodum luci tradidit *Leotar: in ejus tract.de usuris quæst.44. 66. & 68.* Verùm deindè ad id reflectendo, comperii fuisse inanem laborem, quoniam quoad ea, quæ forum internum concernunt, ad viros forenses inspicere non pertinet, cum sit munus confessariorum & Moralium, apud quos receptum videtur, communem opinionem publicè & palam ab omnibus etiam probis observatam excusare, quamvis in stricto jure minùs probabilis esset, ut admittit idem *Leotar.* observantiæ hujus Bullæ religiosissimus; Quo verò ad forum externum, decisio pendet à qualitate loci seù Tribunalis, ubi de hujusmodi contractus validitate & executione disputari contingat, quoniam si in Regno prædicto de hoc disputetur in Sac. Consilio, vel aliis Tribunalibus laicalibus, quamvis non defuerint plures Regnicolæ, qui more Advocatorum causæ inservientes, ut executionem impedirent, hujusmodi nullitatem ob non servatam formam Bullæ *Pii* allegaverint, ut liquet ex allegationibus *Brancatii impress. per Laganarium in addit.ad Rovit.super pragmaticis in rubr.de censibus Capic.latr.consult.70.nu.34.& sequen.& consult. 125.num.24.& sequen.& aliis.* Nihilominùs irrideretur, qui hanc provinciam ibi assumeret; Idemque

in

in Hiſpania, Germania, in Catalonia & aliis circà eas partes, in quibus dicta Bulla eſt inductiva novæ ſolemnitatis ſeu novæ legis non adverſantis ſubſtantiæ vel naturæ contractus, itaut non percutiat infectionem uſurariam; Econversò autem in Curia Romana irrideretur, qui ſubſtinere vellet validitatem cenſuum creatorum ſpreta forma per dictam Bullam præſcripta, ſive validitatem pacti reſciſſorii & ſimilium; Igitur omninò ſuperfluæ remanent hujuſmodi diſputationes potius academicis, & otioſis congruæ.

Eſt benè verum, quod quidquid ſit de aliis regionibus, quoad ea, quæ pertinent ad prædictum
9 Regnum Neapolitanum, probabilior meliuſque fundata videtur opinio Curiæ, contraria verò ſapere de abuſu, ita paulatim inducto ex originaria aſſertione *Apont. d. conſ. 41.* ita fortè ſcribentis tanquàm Advocati, ut cauſæ inſerviret, non ſolùm quia ſeniores Regnicolæ, præſertim *Vivus deciſ. 365. & Rovit. ſuper dicta pragmat. prima de Cenſibus*, ac alii dixerunt hujuſmodi Bullam in materia conſulendam eſſe, Sed clarius, ac meo judicio evidentiſſimè, reflectendo ad hiſtoriam, quæ ſuper ejuſdem Bullæ *Pianæ* obſervantia habetur circà alterum Regnum Siciliæ ultrà Pharum, cui Bulla *Nicolai*, & pragmatica prima de cenſibus ſunt communes; Cum enim ibi dictæ Bullæ Pianæ obſervantia multa pareret incommoda, atque reputaretur impracticabilis, Hinc Rex *Philippus Secundus*
10 enixè ſupplicavit eidem *Pio*, ut dictum Regnum ab hujuſmodi Bullæ obſervantia eximere vellet, ſed obtinere non potuit, niſi quaſdam declarationes regiſtratas etiam apud *Cenc. & Duard. poſt eamdem Bullam*; Mortuo verò Pio, eædem preces per Archiepiſcopum Panormitanum Regium Oratorem ad id ſpecialiter deputatum renovatæ fuerunt *apud Gregor. XIII. ſucceſſorem* à quo fuerunt exauditæ cum aliquibus etiam reſtrictionibus ſeu declarationibus, & cum expreſſa reſtrictione ad dictum Regnum Siciliæ Ultrà.

Hoc enim clariſſimum eſt argumentum, quod in hoc Regno Siciliæ citrâ Bulla prædicta ſinè aliquo dubio recepta fuerit, Tum quia omninò improbabile eſt, quod idem *Pius* adeo tenaciter donec vixit à dictæ Conſtitutionis obſervantia eximere noluerit dictum Regnum Siciliæ ultrà magis remotum, ubi Nuntium Apoſtolicum non retinet, ac ubi Sedes Apoſtolica ſaltem de facto non habet ea directi dominii jura, & quod id tolerare voluerit in iſto Regno magis proximo, ubi Nuntium Apoſtolicum fixum habet, & ubi Sedes habet jura dominii directi; Tum etiam quia dum idem *Philippus Secundus* erat Rex utriuſque Regni, atquè Oratorem ad hunc effectum deputavit, veriſimiliter pro utroque ſupplicaſſet, dum Bulla *Nicolai* erat utrique communis; Et ſic ad ſolam veritatem reflectendo, omninò improbabilis videbatur præfata Regnicolarum opinio, quæ tamen utcumque ſit ibi de facto ſervatur; Et quæ obſervantia eſt cauſa temperandi illum rigorem, qui aliàs in ſtricta juris cenſura practicari deberet, imputandi fructus ſolutos in ſortem principalem, atque concedendi de facili paſſim ſanatoriam cum clauſula *Conſtito de vero credito*, operantem effectum retrotractivum etiam quoad fructus medio tempore ſolutos, ut habetur in aliis de materia *hoc eodem tit.*

# TRANEN. CENSVS
## PRO
## FRANCISCO AMENDONO
## *CVM*
## CAPITULO NAZARENO

*Caſus diſputatus in Signatura Gratiæ, & reſolutus pro Amendono.*

De nullitate cenſus creati ex fructibus alterius cenſus, An procedat ſolum ex Bulla Pii V. vel etiam de jure communi & ex infectione uſuraria, ita ut illa admittat ſanationem necnè.

### *SVMMARIVM.*

1 *Facti ſeries.*
2 *Sanatio nullitatis cenſus ob defectum pecuniæ innumeratæ concedi ſolet per Signaturam Gratiæ cum clauſula* conſtito de vero credito, *idque facilius in cenſibus Regni Neapolitani, & de ratione.*
3 *De jure prohibita eſt converſio fructuum in ſortem.*
4 *Quid de fructibus cenſus affirmativè, contrarium. num. 6.*
5 *Retenta etiam opinione, ut non dentur uſuræ uſurarum ſeu intereſſe intereſſe, adhuc tamen juxtà unam opinionem debetur intereſſe profructibus cenſus & de ratione.*
6 *De concluſione, de quan. 4.*
7 *De ſtylo concedi non ſolet nova audientia in Signatura Gratiæ.*
8 *De Sanatione cenſus conſtituti ex fructibus, an concedatur, & concedi vel denegari debeat.*
9 *In quibus propriè cadat anathociſmus.*
10 *De ponderatione, quod etiam ex cenſu invalido non ſint reſtituendi vel imputandi fructus percepti.*
11 *Bona fides vel ſimplicitas muliebris non excuſat à nullitate cenſus ob defectum pecuniæ numeratæ.*
12 *Quid agendum eſſet in hac cenſuali materia.*

### DISC. II.



Etento principio in Curia indubitato, proindeque tenendo in 1
Curiis Eccleſiaſticis Regni Neapolitani, quod ibi ſervari debeat in omnibus Bulla Pii V. non obſtante contraria opinione, quæ in illius laicalibus Tribunalibus tenetur *ut diſc. præced.* Cum Amendonus Barolitanus tanquàm hæres Antoniæ de Micco matris pulſaretur per Capitulum Nazarenum, & Franciſcum Antonium Eucarellum, tanquàm hæredes Horatii Cicchilli pro fructibus unius Cenſus ſcutorum 85. pro ſorte ducatorum 950. Introducta cauſa coram A. C. per appellationem à quodâ decreto Ordinarii Tranen. contrà

cum lato, coràm judice appellationis opposuit de census nullitate, Tum ex defectu pecuniæ numeratæ contrà formam præscriptam à Bulla *Pii V.* Tum fortius quia in parte census fuerat ereatus ex fructibus alterius census, unde creditorum defensores agnoscentes non posse causam defendere, timenteque de sententia absolutoria declarante fortem cum fructibus indebitè solutis extinctam esse, adierunt Signaturam Gratiæ pro sanatione, quam ego scribens pro debitore dicebam denegandam esse saltem pro rata ducatorum 360. profructibus antiquioris census ducatorum 441. conversis in sortem. ità cum alia partita ex causa mutui confessati adauctam, & proposita causa per *Marazzanum*, satis scissa erant vota Prælatorum.

Cum enim quoties agitur de nullitate proveniente solùm à solemnitate, vel novo jure introducto per dictam Bullam *Pii*, sanatio passim concedi so-
2 leat cum clausula, *Constito de vero credito*; facilius verò in censibus Regni Neapolitani, ubi ob opinionem, quæ ibi habetur, excusabiles videntur contrahentes, adeout ejusdem census ex aliis causis quàm ex fructibus creati sanationi egomet non contradicerem; Idcircò punctus difficultatis erat, an hæc nullitas proveniret ex nova dictæ Constitutiõis dispositione, vel potius ex jure communi prohibente conversionem fructuum in sortem juxtà dispositionem *textus in l. finali Cod. de usuris cum concord.*
3 *per Merlin. decis.* 409. alias 301. *par.* 5. *rec. Andreol. controv.* 110. *Leotar. de usuris quæst.* 86. *cum duabus sequen.* Et sic an Bulla in hac parte sit inductiva novi juris vel potius declarativa antiqui.

Tenentes partes creditoris se fundabant in speciali auctoritate *Duardi in tract. de censibus §.* 4.
4 *qu.* 38. ubi in specie, ex rationibus & auctoritatibus ibidem deductis, dicit istum contractum de jure communi, & secluſa Bulla *Pii* subsistineri, quod etiam de fructibus, quos ibi *tertias* vocant licitè convertendis in capitale, firmant communiter DD. utriusque Siciliæ, atque ita passim servatur, ut præsertim *Costanz. in l. vlt. C. de fisc. usur. Rovit. pragm.* 1. *de cens. n.* 10. *Giurba decis.* 24. *nn.* 34. *& seqq.* & communiter.

Qunimò licet in utroque Regno, præsertim verò in isto Siciliæ citrà, rreprobata sententia *Cagnoli* & sequacium, receptissima sit opinio damnans interesse alterius interesse, ac accessiones
5 accessionum, ut latè *apud Rovit. decis.* 9. & alios passim, Nihilominus receptissimum pariter est, per morosum debitorem fructuum census deberi interesse, quod ibi habitis requisitis *Paul. de Castr.* pro notoriis & probatis ex sola mora decernitur juxtà *decis. Franchi* 254. quæ ibi magistralis in materia reputatur, ubi ea satis congrua & probabilis ratio adducitur, quod cum sors census, etiam secluſa Bulla *Pii*, vel juxtà Bullam *Nicolai*, vel ex natura contractus, ac intentione juris communis sit demortua & perpetuò irrepetibilis ex partè creditoris, idcircò fructus, ità pro nostro loquendi usu nuncupati, dicuntur stare de per se, ac importare debitum potius sortis quàm usurarum seu accessionum; Quo posito infertur, nil prohibere, ut quemadmodum probatis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis, vel illis præsuppositis pro probatis & notoriis, tale debitum sit aptum ad productionem interesse, ita nil prohibere debet novi census creationem ex vero & legitimo debito de jure communi non prohibitam.

Alii verò inhærentes auctoritatibus ac rationibus à me deductis erant, in contraria sententia, quod scilicet hæc prohibitio resultaret à jure communi, ex cujus intentione talis contractus tanquam anathocismus, vel anathocismi species esset usurarius *Navarr. de usuris n.* 94. *Boccacc. de cens. par.* 1. *numer.* 10. *Vivius decis.* 369. *n.* 13. *Felician. de cens. lib.* 1. *cap.* 9. *vers. Septimam conditionem*, qui satis 6
contrà istam contractus speciem invehit, eam exagerando Reipublicæ nimis pernicioſam, atque hunc sensum habuit *Rota in Romana prætensi canonis seu census* 22. *Iunii* 1606. *coram Manzanedo num.* 12. *impress. post Cenc. prima impressionis decis.* 56. *par.* 2. aliàs *decis.* 379. *post eundem recentioris impressionis, & eodem numero post Duardum eodem tract.*

Si Pontifex *Innocentius* simpliciter negotium remisisset ad vota, absque proprii sensus expressione, utique pro sanatione resolutio prodiisset, quoniam major, & fortè sanior pars primam opinionem sequebatur, sed quoniam ipse insinuaverat, probabiliorem sibi videri alteram, istumque esse abusum illius Regni, in quo ipse per plures annos Nuntii Apostolici munus gesserat, idcircò negativa resolutio prodiit pro hac rata, illam concedendo pro alia; Verùm hujus gratiæ nullus erat effectus, quoniam cum census creatus esset usque ab anno 1608. idcircò fructus istius ratæ infectæ absorbebant totũ; Cumque
contrà stylum (itaut Curiæ visa fuerit res omninò 7
nova) idem Pontifex concessisset novam audientiam, mandando causam denuò proponi in sequenti Signatura; Hinc proponente *Emerix*, acerrima habita fuit disputatio, itaut major pars classicorum Advocatorum Curiæ scripserit pro creditore, ob unionem & assistentiam quamplurium creditorum consimiles census satis notabiles ita creatos habentium, Adhuc tamen perstitum fuit in decisis, undè creditor acquievit, & credo quod concordia in partibus controversiam terminaverit; Sed quomodò rerum status immutanturi defuncto *Innocen-* 8
*tio*, sub *Alexandro* successore in hoc propriam opinionem non declarante, cum consimiles sanationes essent petitæ, absque ferè votorum discrepantia plures inhærendo fundamentis primæ opinionis, illa concessa fuit, atque in hoc sensu verè persistit Signatura.

Reflectendo autem ad veritatem, perpensis hinc indè fundamentis, ac rationibus, mihi quoque dicta prima opinio pro sanationis concessiõe probabilior videbatur, ex ratione potissimum ponderata in allegata *decis. Franch.* quod ob sortem demortuam, verè & propriè isti fructus dici non possunt usuræ vel accessiones ex pecunia, sed potiùs important creditum independens stans de per se, productum ab eo jure censuali; Ac etiam quia ut habetur *in eadem dec.* 409. *Merlini* aliàs 301. *par.* 5. *rec.* 9
anathocismus verè & propriè intrat in usuris odiosis, & ex quadam juris civilis potiùs petmissione quàm canonizatione debitis, undè propterea intrare non videtur in hujusmodi fructihus à jure Canonico & Apostolicis Constitutionibus expresè canonizatis.

Verùm è conversò magnam vim faciebat modus, cum quo *Pius V.* hujusmodi conversionem fructuum in sortem prohibet, adijciendo dictionẽ *Omnino* indicativam cujusdam præcisæ voluntatis prohibendi actum tanquam usurarium & intrinsecè malum; Ubi enim super actus validitate nulla urgeret ratio dubitandi, sed de plano, circumscripta nova lege, validus reputaretur, tunc dici posset Bullam prædictam in hac parte esse inductivam novi juris omninò positivi, ac exorbitantis

ductivam novi juris omninò positivi, ac exorbitantis à jure communi; cui per sanationem dispensatur, sed cùm probabiliter posset dubitari, adeò ut tali etiam lege secluſa urgerent rationes hinc indè, idcircò id satis stingere videbatur, ut hujusmodi lex potius esset declarativa, quàm de novo dispositiva.

Adhuc tamen hoc non obstante, mihi videba-
10 tur hujusmodi ultimam ponderationem satis considerabilem esse in ordine ad denegandam sanationem, ità & taliter quod, contractus canonizaretur, non autem quod exindè inferri posset ad infectionem usurariam, cujus ratione fructus soluti imputari deberent in sortem principalem, quoniam saltem hæc opinionum dubietas, potissimè verò, quod ex more regionis de facto, etiam apud probos & doctos viros contractus validus reputatur, atque in judicio canonizatur, itaut cesset omnis fraudis & calliditatis usurariæ suspicio, id esse debeat justa causa, ob quam etiam in foro externo creditor ratione bonæ fidei percipere ac suos facere potuerit fructus jam exactos & consumptos, ex iis, quæ in simili habentur deducta *in Baren. disc. 17. & in aliis sub tit. de usuris.*

Licet enim in foro externo receptum sit in materia usuraria bonam fidem non excusare, quamvis
11 ageretur de mulieribus & rusticis, seu aliàs jurium ignaris, quia ignorantia juris non excusat ob facilitatem consulendi peritos, ut ultrà generalia, in specialibus terminis fructuum indebitè perceptorum per mulierem ex censu creato contrà formam Bullæ Pii *Seraph. dec.* 1006. cum aliis de quibus *ind. Baren. sub tit. de usur. disc.* 17. Attamen id recipiendum rectè venit ubi jus est clarum, itaut ejus ignarus de facili peritos consulendo, de illo certificari potuerit, quod in præsenti dici non potest, cum etiam apud Sapientes eadem haberetur opinio ita publicè practicata, atque à judicibus & Tribunalibus canonizata, ideoque videtur nimius rigor hujusmodi imputationem decernere.

Sanctius autem videretur, quod ad hujusmodi,
12 ac plerasque alias usurarias quæstiones dirimendas, nova & generalis declaratio Apostolica de consensu Principum Catholicorum, ac prævio concordi tractatu emanaret, quia si in hac præsertim materia passim sanationes conceduntur, Hinc proindè ad quamdam formalitatis speciem hæc prohibitio reducta videtur, & quasi quod justitia vel injustitia contractus pendeat à qualitate Tribunalium, in quibus causas agitari contingat, quod videtur absurdū, quia una ubiq; æqualis debet esse lex vel opinio, animarum & conscientiæ regulativa, ut etiam generaliter practicatur in materia usuraria, quod in una ditione aliqui contractus reputantur liciti, & in altera illiciti & usurarii, ut frequenter habetur in sua materia *sub titulo de usuris*, Et tamen unum est principium divinum & naturale inalterabile, & super quo neq; Pontifex, multò minus alii Principes dispensare possunt, unaque est conscientia: Igitur inter ejusdem Catholicæ Religionis professores tanta varietas super eodem principio, parum commendabilis videtur, præsertim intra ipsa Ecclesiæ Catholicæ viscera.

# BAREN. CENSVS
## PRO
## MARTINO DE CORDE
## CUM
## JACOBO SALUTIO.

*Casus decisus per Rotam pro Cordè.*

De sanatoria concessa per Signaturam cum clausula *arbitrio Rotæ*, denegata ex eo, quod tardè petita esset post latas sententias super census invaliditate, per quas quæsitum dicitur jus debitori, ideoque non concedenda.

### *SUMMARIUM.*

1 *Casus controversiæ super deneganda sanatione aliàs concedi solita re non integra.*
2 *De sanatione concessa cum clausula*, arbitrio, *& de istius clausulæ operatione.*
3 *Quando arbitrium sit interponendum nec nè.*
4 *Concedi non solet sanatio post sententiam.*
5 *Regulariter re integra quomodò sanatio concedi soleat.*
6 *Concessa validat actum ab initio cum retrotractione.*
7 *An pretium rei venditæ converti possit in censum.*
8 *Census non potest excedere fructus rei censitæ, ad quorum ratam solum substinetur.*
9 *De stylo Signaturæ rescribendi in hac materia sanationis.*
10 *Quandò ad hunc effectum dicatur res integra nec nè ad effectum concedendi vel respectivè denegandi sanationem.*

### DISC. III.

POstquam juxtà facti seriem de qua in hac eadem causa *sub tit. de usur. disc. 17.* census creatus ex pretio rei venditæ non servata forma Bullæ *Pii V.* declaratus fuit invalidus, creditor adiit Signaturam Sanctissimi pro sanatione, Et quamvis creditum esset verum & legitimum, itaut de jure communi nulla concurreret prohibitio, quin ex eo census creari posset, unde quādo sanatio re integra petita esset, de plano concedi debuerit, dum solitæ clausula, *constito de vero credito*, erat de plano justificabilis, Nihilominùs, me pro debitore opponente quod petitio esset congrua, utpotè re non integra, & post duas sententias, Ordinarii scilicet & A. C. ac decisionem Rotalem super contractus invaliditate, ac successivè usurarum excedentium fructus ipsius rei venditæ imputationem in sortem; Idcircò attento quod causa pendebat in Rota, eidem rescriptum fuit de sanatione cum clausula *arbitrio*, quæ operatur, ut Papa nihil determinet, sed remittat Tribunali seu judici, cui rescribit An sit locus concessioni & executioni gratiæ necnè.

Assumpta igitur desuper disputatione *in Rota co-*

*ram*

*ram Veroſpio ſub die 4. Iulii 1663.* ſolo debitore informante, procedendo cum iis, quæ Ego pro hac
2 parte ſcribens deducebam, negativè reſponſum fuit, ex eo fundamento, quòd licet dicta clauſula *arbitrio* relaxet juris rigorem ex deductis apud *Cavaler. deciſ.* 11. *Coccin. deciſ.* 278. *n.* 1 *& paſſim*, Nihilominus illud à jure eſt regulandum, nequè talis clauſula tribuit facultatem tollendi jus alteri quæſitum, atque grave præjudicium inferendi; Ideoque in propoſito ſanationis nullitatum de facili interponi ſolet circà nullitates judiciarias ex quadam juris ſubtilitate reſultantes, atque in ſubſtantia con-
3 tinentes ſimplicem circuitum repetendi eadem acta, quæ nulliter geſta ſunt, circà quæ jus collitigantis parùm vel nihil læditur, ſecùs autem ubi agitur de ipſius rei ſubſtantia, ut generaliter *Gregorius & Adden. deciſ.* 189. *num.* 3. *Burat. deciſ.* 130. *nu.* 8. Et de qua diſtinctione inter ſanationem ſolemnitatum quarum defectus inducit nullitatem ex ſolo rigore juris, & ſanationem illorum defectuum qui percutere videntur ſubſtantiam actus, & voluntatem partis, habetur in ſpecialibus terminis ſanationis nullitatis ex reſcripto Signaturæ Gratiæ cum eadem clauſula, *arbitrio* habetur *dec.* 61. *n.* 3. *& 4. cum ſequen. par.* 8. *rec.* ubi concordantes *in Firmana ſanationis ſub tit. de contractibus in genere.*

Unde cum per binas ſententias ac per deciſionem Rotalem, jam declaratum eſſet, fructus, ſeu uſuras exceſſivè ſolutas extinxiſſe ſortem principalem, atque debitorem obtinuiſſe liberationem à debito. Hinc reſultabat, quod idem erat ſanare cenſum, ac facere debitorem illum, qui jam liberatus erat, & conſequenter tali caſu Signatura Gratiæ reſcribere non ſolet ſuper ſanationibus, ut *per Marcheſ. de commiſs. par.* 1. *num.* 481. *fol.* 97. & hæc ſunt
4 deciſionis fundamenta.

Quibus addebam voluntatem Papæ gratiam non concedendi, ex ejus conſuetudine ſivè diſcretivo modo reſcribendi deſumptam, quoniam ubi nulla adeſt ſententia ad favorem debitoris ſuper cenſus nullitate, gratiam purè & ſimpliciter concedere ſolet, reſcribendo judici ordinario, & partium competenti, ſeu illi, coram quo cauſa pendeat de ſanatione cum clauſula *Conſtito de vero credito,*
5 itaut partes judicis commiſſarii in alio non ſint, niſi circa verificationem hujus clauſulæ, an ſcilicet conſtet de credito legitimo & tali, quod circumſcripta forma inducta per Bullam Pianam, ex illo inſpecta juris communis vel antiquiorum Apoſtolicarum Conſtitutionum diſpoſitione, validè cenſus creari poterit, quo conſtito proceditur ad ſanationem cum effectu retrotractivo ad ſuum initi-
6 um, ut liquet *ex deciſione* 194. *num.* 2. *par.* 6. *rec. Interamnen. Cenſus* 27. *Ianuarii* 1638. *coram Buccabella & in aliis.* Unde quando denegatur hæc reſcribendi forma, ſed altera ſervatur cum clauſula, *arbitrio*, hujuſmodi diſcretiva diverſam denotat voluntatem, juxta vulgatum diſcretivæ axioma deductum *ex l. unica §. ſin autem Cod. de caduc. tollen.*

An reſolutio probabile fundamentum haberet necne, maturum judicium efformare non potui, dum altera pars non informavit, unde viſum non fuit quid in contrarium deduceret.

Reflectendo autem ad veritatem, cogitabam eſſe quidem impracticabilem ſanationem hujuſmodi cenſus ità ſimpliciter prout jacet, quoniam licet verificaretur clauſula *Conſtito*, dum pretium rei venditæ prohibitum non eſt de jure communi & circumſcripta forma inducta per Bullam *Pii V.* converti in diverſam ſpeciem contractus cenſus ſeu 7
annui redditus, ex iis quæ *ex Dec. Covarr. & aliis* frequenter deducta habentur *ſub tit. de uſuris*, præſertim *in Lucana, & in hac eadem Baren. d.* 17. & 18. Attamen cum probatum eſſet quod ex peſte aliiſque infortuniis, domorum penſiones in ea Civitate eſſent notabiliter diminutæ, itaut fructus domus, de cujus pretio agitur, non aſcenderet ad annuos ſcutos 90. impoſſibile erat ſanare cenſum annuorum ſcutorum 140. cum etiam de jure communi, ex veriori ſententia non detur cenſus 8
excedens fructus rei cenſitæ, quia in parte excedente remaneret cenſus merè perſonalis, Undè ad ſummum ſanatio practicari debuiſſet cum reductione fructuum ad proportionem illorum fundi cenſiti, quod juris diſpoſitioni conformat, ex recepta propoſitione, quod fundo cenſito in parte diminuto, ſi pars, quæ remanet, eſt ſufficiens ad totum cenſum, talis diminutio creditori non præjudicat, ſed ſi non ſufficit, atque diminutio non eſt culpoſa, ſubſtinetur tantùm pro rata capacitatis, ex
ded. per *Cenc. hoc tract. qu.* 110. *nu.* 1. *cum ſeqq. Firmana cenſus* 13. *Iunii* 1642. *Peuting. dec.* 213. *num.* 4. *poſt Zacch. de obl. dec.* 47. *nu.* 3. *poſt. Merlin. de pign. & in aliis.*

Et circa punctum juris debitori quæ ſit, necnè, id pendere cogitabam ab eo, quod in hac eadem cauſa diſcurſum habetur *ſub dicto tit. de uſuris diſc.* 17. Quoniam ſi fructus exceſſivè ſoluti, verè importaſſent extenuationem ſortis principalis, tunc rectè inttabat motivum prædictum juris quæſiti, ſecùs autem in caſu converſo, quoniam ceſſante imputatione prædicta, itaut de præſenti empto, remaneret debitor integræ ſortis hujus potius intereat concedi ſanationem, qua mediante ſors fiebat irreptibilis, ac urgeri non poterat ad ſalutionem, ad quam aliàs eadem ſanatione denegata creditor agere poterat, & fructus ad menſuram ſeu capacitatem fundi cenſiti minimum reducerentur.

Licet autem ex antiquiorum traditionibus Signaturæ ſtylus eſſe ſoleat, quando in cauſa adeſt 9
ſententia, favore debitoris reſcribendi ſimpliciter de ſanatione cum ſola clauſula *Conſtito*, Quando verò adeſt, vel eam denegare, vel reſcribere cum dicta clauſula, *arbitrio*, ut frequentiſſimè in quampluribus conſimilibus cauſis in dicto Tribunali à me tractatis pro debitore vel creditore juxta contingentias ſcribendo ſum expertus; Attamen quoties debitor formiter de hujuſmodi nullitate oppoſuit, ac declaravit ſe à ſortis debito liberatum ob imputationem fructuum ſolutorum, non percipiebam vim dictæ diſtinctionis, an eſſet ſententiatum in cauſa necnè, quoniam ubi ſententia non fecit tranſitum in judicatum, itaut firmet ſtatum, ſed ſuſpenſa eſt per appellationem, in cujus gradu de ejus viribus diſputatur, nullos operatur effectus, perindè ac ſi non adeſſet, præterquam illum fumi boni juris pro decernendis alimentis vel ſimilibus levioribus effectibus.

Undè propterea quoad jus debitori quæſitum per gratiam non tollendum, conſiderabam veram 10
diſtinctionem non conſiſtere in hoc, an eſſet in cauſa ſententiatum necnè, ſed potius an adeſſet debitoris oppoſitio cum declaratione aſſequutæ liberationis à debito, Vel potius debitore non declarante, res dici poſſet integra, & in quodam implicito ſtatu validitatis ob non declaratam

contra-

contrariam voluntatem debitoris, qui solvendo fructus atque non opponendo, ita videatur continuare in statu agnitionis bonæ fidei super contractus validitate & observantia, cum de reliquo non agnoscerem rationem differentiæ; Sed huc usque occasio non præbuit id formiter disputare.

# SABINEN. CENSVS PRO COMMUNITATE CONFINEI CUM COMMUNITATE N.

*Casus disputatus coram A. C. incertus est exitus, forsan per concordiam.*

De forma pecuniæ numeratæ per Bullam Pianam in censuum creatione præscripta, num impleatur per cedulam bancariam, sivè per ordinem directum banco.

## *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Census constitutus sine pecunia numerata est nullus, & fructus imputantur in sortem.*
3 *An dicta forma impleri possit per aquipollens & per cedulam bancariam.*
4 *Si intervenit pecunia sine numeratione, an sufficiat.*
5 *An sufficiat ordo directus banco, & de differentia inter ordinem & cedulam.*
6 *Quando census creatus etiam mediante ordine sufficiat.*

## DISC. IV.

1 VUm Julius in ejus testamento quasdam summas reliquisset Communitati propriæ patriæ, in effectus fructiferos investiendas, ut ex fructibus exinde percipiendis quædam subsidia pia vel prophana per eum demandata præstarentur, Communitas Confinei pecuniis indigens, censum creavit ad favorem dictæ alterius Communitatis legatariæ ex pecuniis à dicto Testatore provenientibus, quarum numeratio in ipso actu creationis coram Notario & testibus ad formam Bullæ Pianæ non accessit, sed impositrici consignatus fuit ordo directus Sac. Monti Pietatis, illinc ad aliquos dies vel menses impletus; Cum aurem tractu temporis, vel eadem Communitas creditrix, vel ejus nomine illi, quibus dicti census fructus destinati erant, istam Communitatem debitricem coram A.C. pulsarent, de pluribus dicti census de nullitatibus excipiebatur, præsertim deficiente licentia Sac. Congregationis boni Regiminis, ac deficiente versione, cujus securitati aliàs dicta Cõgregatio incõcessione licentiæ consulere solet, necnon ex defectu pecuniæ numeratæ juxta formam præscriptam per dictam Bullam Pianam, Quidquid esset de aliis exceptionibus & defectibus, de quibus utpotè in nudo facto consistentibus, non ad Advocatos, sed ad causæ Patronum juxta Curiæ stylum agere pertinet.

Quatenus concernebat dictam exceptionem juris resultantem à defectu formæ seu solemnitatis; Pro Communitate debitrice scribens fundatam, dicebam ejus intentionem, quod ob decretum irritans in eadem Bulla contentum, contractus censualis aliàs creatus dicatur ipso jure nullus, atque 2
remanente credito sortis in terminis simplicis mutui veri, vel interprætativi nulli fructus ex eo prætendi possint, quinimò atque soluti deberent in sortem imputari ex plenè deductis *per Cenc. de Cens. q.* 48. *Leotar. de usuris q.* 59. *nu.* 32. *Seraph. dec.* 106. ubi quod creditoris simplicitas, vel ignorantia in proposito non excusat *dec.* 43. 7. *cum sequen. post Merlin. de pignor.* cum aliis, de quibus infrà.

Non negabant scribentes pro creditore veritatem dictæ propositionis, utpote indubitatæ, Replicabant tamen formam prædictam impletam esse, proindeque cessare objectum ex facto, dum pecunia per æquipollens in ipso actu tradita fuerat mediante ordine directo Sac. Monti Pietatis, quam formam æquipollentem in proposito sufficere decrevit idem *Pius* in declarationibus dictæ ejus Constitutionis editis in gratiam Regni Siciliæ ultra 3
Pharum ac registratis *per Conc. hoc tract. in princ.* declarando ita satisfactum esse, vel ubi census constitueretur ex causa dotis, vel per viam traditionis cedulæ bancariæ, quam in proposito sufficere firmant *Rota dec.* 103. *post. Cenc. & cateri per Leotar. dicta. q.* 59. *n.* 39. & habetur in infrà allegandis decisionibus; In forma etenim prædicta spectandus est finis, ob quem illa inducta fuit, nè scilicet fiat fraus usuris, atque ita debita aliàs illicita & malè contracta in hujusmodi contrahendi speciem converterentur, Undè propterea si pecunia in ipso contrhandi actu intervenit, quamvis illius distincta 4
& actualis numeratio non sequatur, sed partes eam pro numerata habeant, id sufficit, *ut per Rot. dec.* 436. *post Cenc. n.* 5 *&* 6. *idem Cenc. quæst.* 51. *in fine; & dictum fuit in Tarentina Census* 5. *Decembris* 1663. *coram Taia,* & in aliis, quia de facto ita servat communis usus, etiam in ipsamet Urbe.

Admittebam ego præmissa concernentia cedulam bancariam Negabam verò applicationem 5
ad factum, in quo non agebatur de cedula, sed de simplici ordine creditoris directo banco, cujus casus est longè diversus; Ideò enim cedula æquipollet pecuniæ numeratæ, atque vim habet veræ solutionis, quia bancherius vel campsor, qui cedulam fecit, recusare non potest solutionem, minusque pecuniam in ea contentam solvere potest deponenti, vel alteri cedulam non exhibenti, nam tali solutione non obstante ad aliam tenetur, qui cedulam exhibeat ex deductis in materia *per Rovit. dec.* 13. Secus autem est in simplici ordine, quem ipse mandans potest reddere inanem cum præventiva pecuniarum exactione à seipso facta, vel dando alteri ordinem prius effectuandum, sivè quod tunc pecuniam in banco non haberet; Ideoque firmata in cedula non procedunt in hujusmodi ordinibus, ob satis diversam rationem inter unum casum & alterum, *ut per Cenc. de cens. q.* 50. *num.* 19. *Rot. post eundem dec.* 435. *nu.* 1. *in Licien. census* 18. *Maii* 1654. *&* 17. *Maii* 1655. *Priolo Romana Salviani* 17. *Martii* 1666. *&* 1667. *Otalora*, & in terminis ordinis directi S. Montis Pietatis

tatis Urbis, licèt ad alium effectum, *in Romana domus* 14. *Maii* 1657. *Bevilaqua & in aliis.*

Verùm reflectendo ad veritatem, periculosa, vel nimis aspera mihi videbatur dicta distinctio ita generaliter & indefinitè sumpta, per quam cen-
6 sus creati cum ordinibus directis Monti Pietatis vel alteri banco censeri debeant invalidi, utpotè carentes forma Bullæ Pianæ; Si enim constat quod tunc creditor pecunias in eo banco promptas habebat, seu aliàs talis esset ejus conditio, quod etiam si integra pecuniarum quantitas ad ejus creditum descripta non reperiretur; adhuc tamen ob ejus probatam fidem Bancherius absque dubio ordinem promptè impleviſſet ut quotidiana praxis docet, atque de facto, vel immediatè, vel ex intervallo ad libitum debitoris pro ejus commoditate differentis, quando ordinem exhibuit, promptam invenit pecuniam, itaut cesset quæcumque suspicio illius fraudis, ob quam dicta forma pecuniæ numeratæ præscripta fuit, nè scilicet sub hoc pallio pro stocchis, barochis, & civantiis, seu ex causa ludi, aut aliàs illicitis & suspectis creditis census crearentur, tunc data sinceritate actus, quædam judaismi species videtur, quod ob solam possibilitatem reddendi ordinem inanem, & sine effectu, quoties observantia contrarium docuit, contraventū esset formæ prædictæ; Ideoque distinctio intelligenda videtur sano modo, ac juxta facti circumstantias, sinceritatem vel fraudem respective ostendentes.

Et quemadmodùm communis usus, ipsius potissimùm Urbis dictam Constitutionem interpretatus est, ut ejus formæ satisfactum dicatur ex solo interventu pecuniæ in sacculo, quamvis non deveniatur ad actualem numerationem coràm Notario & testibus, quibus etiam ignotum sit, an pecunia in eodem sacculo existens, illam quantitatem importet necnè, quia in dubio præsumenda non sunt medacia & delicta, ex firmatis in supra allegatis, præsertim *in dicta Tarentina census coram Tata*, ita pariter non videtur urgere ratio prohibitiva satisfaciendi dictæ formæ mediantibus hujusmodi ordinibus, dum implementum habere possunt, cum contraria possibilitas in dubio præsumenda non sit utpotè sapiens delictum, eademque præsumptio comprobata remaneat ab observantia; Atque in omnem eventum, quemadmodum *in Baren. census* 16. *Iunii* 1661. *Verospio*, de qua causa habetur *sub tit. de usur. disc.* 17. etiam data nullitate debentur fructus tanquam damna & interesse, ita in præsenti quia pecunia per necessè investienda erat in occasiones fructiferas juxtà deducta *in Marsicana, & in Neapolitana sub dicto tit. de usur. disc.* 29. & 30.

---

# SPOLETANA
## PRO
## MONASTERIO PALATII SPOLETI.

*Responsum pro vertate.*

Si in matrice seu originali imbreviatura instrumenti censualis reperta inter rogitus Notarii mortui, non exprimatur servatam esse formam Bullæ Pianæ, An id per Notarium successorem in extensione instrumenti suppleri possit; Et an forma prædicta quamvis in instrumento non expressa probari possit per testes, vel alias extrinsecas probationes.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Notarius rogatus vel successor quam facultatem habeat circà extensionem clausularum.*
3 *Notarii fidei non defertur, nisi in iis, quæ coram ipso gesta fuerunt in ipso actu sui rogitus.*
4 *Non potest attestari de interventu pecuniæ numeratæ in censu, si instrumentum non dicat.*
5 *Dictus interventus pecuniæ vel expressio confinium rei possunt extrinsecus justificari, etiamsi instrumentum non dicat.*
6 *Quando talis facultas Notario concedatur.*

### DISC. V.

CUm inter rogitus Notarii Vrighi reperta esset quædam imbreviatura instrumenti censualis ad favorem Monasterii prædicti cum 1
N. absque eo quod prothocollum vel instrumentum publicum redacta esset, atque hæredes debitoris, quamvis eorum auctor donec vixit fructus soluisset, præcognito, quod in dicta imbreviatura non contineretur forma Bullæ Pianæ super actualis interventu pecuniæ coram Notario & testibus, recusassent continuare solutionem fructuum, prætendentes cum jam solutis utpote indebitis & usurariis ipsam sortem principalem extinctam esse; Hinc monasterii administratores ut istius indemnitati consulerent, insteterunt apud Notarium successorem, penes quem dictæ scripturæ conservabantur, pro extensione dicti instrumenti, cumque hic dubitaret, an id agere posset circa suppletionem dictæ formæ, ac propterea cuperet audire responsum pro veritate alicujus classici Advocati Urbis, ad id Ego fortè d. opinione indignus requisitus.

Negativè in hac parte respondi, quoniam Notarius successor, vel quicumque alius, judicis etiam 2
mandato accedente, extendere vel supplere non potest, nisi ea, quæ extendere vel supplere posset idem Notarius si viveret, cùm nunquàm fictio excedere possit veritatem, neque subrogatus habere majorem potestatem, quàm ille, in cujus locum subrogatus est; Ipse autem Notarius rogatus facultatem solùm habet extendendi clausulas & verba, quæ ex debito officii & consueto stylo apponenda erant in originalibus imbreviaturis ideò omitti solita, ut commodius in extensione prothocolli seu publici instrumenti, non immutata conventionis substantia, apponerentur, sed non potest supplere illa substantialia, quæ pendent à partium voluntate, sivè ab illo facto extrinseco, quod data etiam veritate scripturæ, potest esse diversum, seu potuit omitti, quia sic factum requirebat ex deductis per *Buratt. & Adden. decis.* 507. *Rovit. pragm.* 1. *de Notariis n.* 10.

Attestaretur. n. ita Notarius de actu facti gesto vel non gesto inter ipsas partes, de quo attestari 3
non potest, cum ejus fides solum deferatur in iis, quæ in ipso actu celebrationis instrumenti intervenerunt *Greg. & adden. decis.* 177. *Adden. ad Buratt. decis.* 95. Et in his terminis specialibus pecu- 4
niæ numeratæ in censu non intervenientis *Rota in Neapolitana domorum coràm Verospio decis.* 43. *post Merlin. de pignor.* aliàs *decis.* 20. *par.* 9. *rec.*

Undè

Undè si id utpotè respiciens substantialia contractus, ac factum extrinsecum, quod potest se habere ad esse & non esse, suppleri non potest per ipsummet Notarium rogatum, qui saltem de dicto actu, tanquam coram se gesto attestari posset tanquam testis, multò minus absque dubio id fieri potest per Notarium successorem.

Et quamvis multa darentur adminicula, ad ostendendum verè ibi intervenisse pecuniam numeratam, præsertim partita libri ejusdem Monasterii, & quia sic attestabantur pleræque Moniales, ac etiam quæ in actu fuerunt præsentes, Dicebam tamen id pertinere ad judicem, coram quo per debitorem de hujusmodi nullitate opponeretur, ut stantibus probationibus aliàs quàm ex instrumento resultantibus, dictam exceptionem rejiceret, cum de jure certum sit id posse cum extrinsecis probationibus justificari, quia Notarii negligentia in exprimendo in instrumento aliquem actum, præjudicare non debet veritati, Ut in simili circa expressionem confinium fundi censiti habetur *apud Buratt. decis.* 10. aliàs 502. *par.* 1. *rec.* Et habemus in terminis matrimonii describendi in libro Parochi, quod si non reperiatur descriptum, non prohibetur aliundè probari, cum similibus.

Verùm hoc non pertinet ad Notarium extendere debentem instrumentum, quoniam ipse non potest se ingerere, nisi in extendendis clausulis & cautelis de stylo apponi solitis, non alterantibus substantiam contractus, neque concernentibus factum extrinsecum, quod potest esse diversum; Et licèt *in dicta decis.* 10. *Buratti* aliàs 502. *par.* 1. *rec.* considerata fuerint adminicula, & extrinsecæ probationes ad istum effectum extensionis instrumenti cum expressione confinium, qui in originali imbreviatura omissi erant, & sic pariter circa rem substantialem, Nihilominus ibi præcedebat rescriptum Signaturæ Gratiæ super sanatione, Ac ulterius omissio erat potius circà verba, dum fundus censitus expressus fuit, hic verò erat circà factum omninò extrinsecum, interventus, vel non interventus pecuniæ, & sic interminis satis diversis, ac longè majori defectu substantiali; Ideòque concludendo dixi, Monasterium quidem fovere bonum jus, curando censum canonizari cum extrinsecis probationibus dictæ formæ, quæ verè intercessit, sed ex notarii incuria in imbreviatura expressa non fuit, istæ verò erant partes judicis non autem notarii.

---

# URBE VETANA

## CENSVS

## PRO

## COMITE LAURENTIO DE MARSCIANO

## CVM

## CAMILLO BONAVENTURA.

*Casus disputatus in Rota occasione possessorii, sed non decisus.*

De nullitate census ex defectu fundi censiti certi, quia esset impositus super bonis aliquorum Castrorum in genere; Et an hæc exceptio impediat creditorem agentem in judicio executivo, vel in altero manutentionis.

### SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Decretum irritans contentum in Bullâ Pii V. ob non servatam formam ibi præscriptam, an inficiat etiam possessionem, ita ut obstet in sumarissimo possessorio retinendæ.*

3 *Et quando defectus pecuniæ numeratæ, vel fundi censiti impediat etiam in judicio executivo.*

4 *Cur autem in judicio manutentionis secùs.*

5 *De cautela non producendi instrumentum.*

6 *Defectus certa expressionis confinium annullat censum.*

7 *An specificatio fieri possit ex intervallo & retrotrahatur.*

8 *Quandò dicta specificatio non sit necessaria.*

9 *De facilitate sanationis hujusmodi defectuum.*

### DISC. VI.

DE annò 1591. Joannes Franciscus Monaldensis imposuit censum scut. 2500. in sorte ad favorem Laviniæ Mazzatostæ uxoris Julii Bonaventuræ super prædiis, terris & aliis bonis existentibus in castris & territoriis, Ripaldellæ, & Collis longi Comitatus Urbis Veteris, absque aliqua confinium expressione, dictoque censui accessit tanquam principalis principaliter, & insolidum obligatus Comes Ludovicus de Marsciano senior; Cum autem Camillus dictæ Laviniæ filius, & hæres seu donatarius, occasione primogenituræ contemplatione matrimonii per contractum erectæ, de mandato Congregationis Baronum aliquas fecisset exactiones fructuum à Comite Ludovico juniore prædicti fidejussoris ex filio nepote, ut de ista eadem causa habetur *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc.* 95. Hinc introducta causa in *Rotâ* priùs *coram Albergato*, & deindè *coram Bichio*, de pluribus punctis actum fuit ad rem non facientibus, potissimè verò ex parte Ludovici debitoris opponebatur de nullitate census in continenti probata ex ipsius instrumenti lectura resultante ab omissione confinium fundorum censitorum contrà formam Bullæ *Piana* continentis expressum decretum annullativum. 1

Sed quia exparte actoris, suspenso quocumque petitorio, intentatum fuerat summariissimum possessorium retinendæ, quod vulgò *manutentionis* dicitur, idcircò in disputatione desuper habita *sub die* 23. *Februarii* 1654. *coram Bichio*, inhærendo eidem responsioni traditæ in decisione desuper edita *sub die* 16. *Junii* 1653. *coram Albergato*, respondendo de manutentione ad favorem creditoris, ista exceptio tanquam altioris indaginis, ac sapiens petitorium, ad istud remissa fuit, non admittenda in hoc summariissimo & executivo judicio manutentionis, atque resolutio in hac parte visa est probabilis.

Licèt enim Ego scribens pro debitore insisterem in decreto irritanti contento *in Bulla Piana*, cujus virtus est inficere titulum & possessionem, Attamen quamvis hæc sit vera & recepta propositio, illa procedit, 2

cedit, quaudò certum est decretum irritans intrare, secùs autem ubi de hoc dubitari potest, atque à justificationibus in petitorio faciendis potest ostendi non adesse defectum, cujus ratione decretum adjectum est, Tunc enim non impeditur possessori manutentio in illa facti detentatione, ut in specialibus terminis manutentionis non impediendæ creditori censuario, eò quia ex instrumento censuali appareat de non servata forma pecuniæ numeratæ decium fuit *in Assisien. census 23. Junii 1653. coram eodem Bichio*, & generaliter *Seraph dec. 1471. Cavaler. dec. 8 Merlin. dec. 57. & sapius.*

Quamvis enim etiam in judicio executivo in vim
3 obligationis cameralis, hujusmodi defectus pecuniæ numeratæ, vel fundi censiti admittatur ad impediendam relaxationem mandati pro fructibus, atq; ita servet praxis, Nihilominùs id procedit, quia actor pro fundamento suæ actionis deduxerit ipsum instrumentum, quod ex sui facie apparet defectivum, undè propterea dicitur exceptio resultans ex ventre ejusdem scripturæ ex qua actor agit, quæ species exceptionis dicitur privilegiatissima, & absque dubio
4 admittitur inquocumque judicio quantumvis executivo & privilegiato; Secùs autem ubi sumus in judicio possessorio in quo actor se non restringendo ad solum jus resultaus ex scriptura, principaliter fundatur in solo facto possessionis, cum tunc hujusmodi exceptiones non admittantur utpotè elidibiles in petitorio in quo per extrinsecas probationes justificari potest interventus pecuniæ numeratæ, seu expressio confinium, cum non requiratur perneccsse id apparere ex scriptura, ut habetur deductum *in Spoletana disc. præced*; Undè propterea cautela
5 est in hujusmodi judiciis non exhibendi instrumentum seu titulum suæ possessionis, sed ista probata per scripturas vel testes insistendi in nudo facto, ita ut contra producentes practici dicere soleant, quod sibi imputent producentes, cur se proprio ligone percusserint.

Quatenus verò pertinet ad punctum principalem invaliditatis contractus ob non expressos certos fines fundi censiti, Dicebam regulam esse pro nullitate ex litterali dispositione *Constitutionis Pii V.* in-
6 nixæ vivæ rationi fraudis, quæ aliàs ex parte creditoris inesse posset in non subjacendo periculo amissionis sortis, cui creditor censuarius subest in casu peremptionis fundi censiti in toto vel in parte, ut pro nullitate firmant *Cenc. hoc tract. quæst. 46. Honded. cons. 25. n. 32. l. 2. Rota post Cenc. decis. 80. Leotar. de usuris quæst. 58. nu. 37.* Verum & de hoc pariter dubitari poterat, undè propterea ab initio causæ satis dubitabam de hoc motivo, in quo cæteri pro hac eadem parte scribentes potissimè insistebant, Tum quia aderat subsequens specificatio, quæ sufficit, solùmque dubitari potest, an retrotrahatur ad suum
7 initium, vel potius revalidet contractum ex nunc, ex deductis *per Thes. jun. lib. 3 qu. 104. Rovit. pragm. 1. de censibus n. 22. Merlin. lib. 1. controv. 55. n. 20.* Tùm etiam quia ubi inponens non habet in loco quamvis generali nisi unum prædium, sivè habet plura, quæ vel ex nuncupatione, vel ex qualitate habent speciem notorii, ita ut cesset ratio omnimodæ incertitudinis, tunc de hujusmodi defectu expressionis non curatur ex deductis per *Caren. resol. 235. Leotar. dicta quæst. 58. n. 34. cum sequen.* ubi de impositione super toto Castro *Rota decis. 636. par. 4. rec. & in aliis*, ita ut fortè unquam vel satis rarò visum fuerit ex hujusmodi defectu census annullari, quoniam hæc non est forma præcisa de novo inducta, sed declarativa ejus, quod est de jure ad tollendos census personales, & consulendum fraudibus super evitatione periculi pendentis à nimis de rarò contingibili casu peremptionis fundi censiti, undè quoties dicta ratio cessat, de facili suppletur hic defectus, atque nimis debilia sunt hujusmodi debitorum subterfugia, ob facilem recursum in omnem eventum ad Signaturam pro sanatione, quæ non negatur, quoties constet de vero credito, ita ut infectio non resulter ex mala radice, seu causa creationis census, & cui malo verè & propriè *Pius V.* cum dicta Constitutione occurrere voluit, & sic in hujusmodi materiis totum pendet à facti circumstantiis sinceritatem vel malitiam actus præferentibus.

---

# ROMANA CENSUS PRO SOCIETATE SPIRITUS SANCTI NEAPOLITANORUM CUM SOCIETATE S. MARIÆ DE HORTO.

*Casus decisus per Rotam pro Societate Spiritus Sancti.*

An census creari possit super domo construenda cum pecuniis ad censum traditis, ita ut de tempore creationis, fundus censitus fructifer & capax non sit in rerum natura.

Et de impositione census sapiente veram alienationem, proindeque cadente sub *extravaganti Ambitiosæ.*

## SVMMARIVM

1 *Facti series.*
2 *Impositio census super bonis Ecclesiæ dicitur alienatio prohibita, & quid requiratur ad hujusmodi actum substinendum.*
3 *De invaliditate census ex defectu fundi, tunc non extantis.*
4 5 *An creari possit census super domo ædificanda vel acquirenda, si & postquam erit propria seu ædificata.*
6 Extravag. ambitiosæ *non obstat creationi census super re acquirenda.*

## DISC. VII.



UM Societas Spiritus Sancti Nationum Regni Neapolitani pro reducendis ad formam pa- 1
latii, cum imprudentissimo, vel malitioso consilio quibusdam domunculis dictæ Ecclesiæ adjacentibus, quamplures imposuisset census, quorum fortè major pars in privatam, tunc administrantium utilitatem cessit, Hinc successores pii & zelantes administratores, curantes cum justitiæ fundamento Societatem prædictam à gravissima æris alieni mole oppressam sublevare, de anno 1632. curarunt à tuoc temporis V. Gerente, & Sac. Visitæ Apostolicæ judice obtinere sententiam in judicatum transactam, annullantem quamplures ex hujusmodi censibus, canonizatis solùm illis, quos detectum fuit esse legitimè impositos, cum

versione

versione pecuniæ in dicti palatii fabricam, seu aliam Ecclesiæ utilitatem, inter quos census rejectus fuit unus impositus ad favorem Antonii Thesauri, quo ad plures annos defuncto, scripta hærede Societate B. Mariæ de Horto, curavit ista committi in Rota *coram Bichio* causam restitutionis in integrum adversus rem judicatam, & assumpta disputatione super consueto dubio, *An* scilicet *constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum*, sub die *15. Aprilis 1652.* prodiit resolutio affirmativa in prima parte, & negativa in secunda, constare scilicet de re judicata, non autem de causis restitutionis in integrum.

Potissimum resolutionis probabile fundamentum fuit, quod restitutio in integrum adversus rem judicatam non datur sine læsione, quæ in proposito resultat ab injustitia, qualis prætendi non poterat ob evidentem contractus censualis nullitatem ex defectu Beneplaciti Apostolici, copulativè cum justa causa requisiti in alienatione bonorum Ecclesiæ vel loci Ecclesiastici, qualem non dubitabatur esse istam Societatem, utpotè erectam cum Ordinarii auctoritate ad opera pietatis exercenda, & habentem Ecclesiam cum Oratorio, omniaque alia requisita necessaria ad constituendum locum, vel corpus Ecclesiasticum, illudque distinguendum à simpliciter loco pio, cum hodiè receptissimum sit, præsertim in Rota & Curia, impositionem census importare veram alienationem cadentem sub dis-
2 positione *dictæ extravag.* ad cujus effectum, ut dictum est, copulativè requiruntur solemnitas hodiè consistens in Beneplacito Apostolico, & justa causa necessitatis vel evidentis utilitatis, ita ut unum sine altero non sufficiat, quoniam Beneplacitum Apostolicum non supplet causam, atque ista, quamvis justificata, sine solemnitate potest quidem esse apta ad producendam actionem negotiorum gestorum, seu de utili in rem verso, à qua nequè Ecclesia exempta esse debet, quia tanquàm pietatis & justitiæ cultrix locupletari non debet cum aliena iactura, non autem ad salvandum contractum, multò magis in præsenti, dum uterque defectus concurrebat saltem in parte, undè licèt probaretur partem sortis erogatam esse in fabricam, & sic versam in utilitatem, nihilominùs posita nullitate contractus id quod pro fructibus erat solutum, excedebat dictam ratam ex sola æquitativa actione *de in rem verso* restituendam, ut de his omnibus conclusionibus habetur in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* atque sunt conclusiones hodiè receptæ & notoriæ, quæ sunt præsupponendæ, & super quibus, nonnisi ab indocta & infima plebe leguleicæ auctoritates desiderandæ sunt.

Scribentes pro altera parte insistebant in eo, quod futura fabrica, utpotè adhuc in bonis Ecclesiæ non existens alienari potuerit, eam d. censui subjugando, ex regula, quod in quærendis dispositio d. extravagantis non intret; Verùm istud erat satis debile fundamentum ad effectum de quo agebatur, impugnandi scilicèt de injustitia rem judicatam annullantem contractum censualem, Quoniam quicquid sit de conclusione, An & quandò bona quærenda distrahi vel repudiari possint, de quo in d. sua materia *sub tit. de alienationibus & contractibus in genere*, posita etiam illa regula, retor-
3 quebatur ad effectum controversiæ, quoniam ita intrabat altera nullitas census ex defectu fundi, Vel de jure communi & natura census juxtà unam opinionem etiam probabiliorem, Vel indubitanter ex Bulla Piana, omninò necessarii de tempore quo census imponitur, cum tunc requiratur subjectum habile, sine quo contractus ad esse deduci non potest ex deductis *per Cenc. de cons. quæst. 35. nu. 1 cum seqq. & Leotar. de usur. quæst. 45. & seqq.* & advettitur in decisione desuper edita.

Est benè verum, quod si Ecclesia, ut novum ædificium construere vellet, tam pro isto, quam pro soli acquisitione pecuniam acciperet ad censum sub pacto, ut iste creatus censeretur, si & postquam construendum ædificium redactum erit ad esse rei 4
fructiferæ & capacis ejusdem census, tunc id nil obstare videtur hujusmodi contractus validitati, tam in ordine ad *Bullam Pii* super forma creandi census, quam in ordine ad *extravagant. Ambitiosæ* super alienatione bonorum Ecclesiæ; Quatenus enim pertinet ad primam, Licet ex permissis requiratur fundus capax & fructifer de tempore ipsius creationis, cum aliàs donec iste reducatur ad esse, diceretur interim census personalis, ac sine subjecto, Attamen nil prohibere videtur, ne plura requisita ad hujusmodi contractum perficiendum necessaria diverso tempore adimpleri possint, Et sic anticipatè formam pecuniæ numeratæ tanquam præparatio seu præventivum implementum dicti requisiti pro futuro contractu perficiendo ex tunc, & postquam fundus construendus ad statum capacitatis redactus erit, ita ut contractus interim stet in pendulo, ac interminis conventionis conditionalis, initium seu effectum sortituræ post purificatam conditionem.

Eodem modo quo nil prohibere videtur dari 5
ad censum pecuniam super fundo, cum eadem acquirendo, si & postquam ille acquisitus fuerit, effectus erit de dominio debitoris, quoniam licèt inspecto tempore conventionis dici non valeat censum esse benè creatum, utpotè super re aliena sinè consensu domini & sciente creditore, Nihilominùs talis dicitur potius conventio præparatoria futuri contractus initium & perfectionem recipere debentis post acquisitionem seu redemptionem, cum similibus. 6

Minusque obstare videtur dispositio d. *extravag. ambitiosæ*, quoniam nihil alienatur de bonis Ecclesiæ, sed onus imponitur ipsi rei acquirendæ, quæ in ipso instanti quod acquiritur, annexum habere dicitur hujusmodi onus, tanquàm intrinsecum seu priùs impressum, Undè quemadmodum Ecclesia acquirente ex contractu, vel ultima voluntate bona censibus aliisque oneribus obnoxia, non prohibetur id facere, dummodò absit læsio seu damnum in aliis ejus bonis propriis, quæ tali occasione non prohibetur etiam hypotecare cum simplici tamen hypotheca generali, quæ donec deducatur ad exercitium, non cadit sub hujusmodi prohibitione, ex plenè deductis in pluribus decisionibus editis *in Amerina bonorum coram Rojas decis. 205. 230. & 261* præsertim in ultima, quæ prævia discussione in Signatura Gratiæ coram *Innocentio X.* & ex istius etiam Tribunalis sensu, est præcedentium declarativa, & reputatur hodiè in materia magistralis, sic à pari, cum eadem in omnibus ratio militare videatur.

Practicabilis tamen ac frequenter contingibilis esse potest iste casus in ea pecunia, quæ ad censum acciperetur ad effectum emendi seu redimendi fundum vel ædificium jam constructum; Rarò tamen ubi ad effectum construendi, quod scilicèt ædificium de novo constructum ita construenti utile & fructiferum esse possit, quod saltem adæquet valorem pecuniæ desuper erogatæ, cum id in urba-

nis videatur ferè impracticabile ; Verùm etiam tali casu non adesset nullitas ex defectu formæ vel solemnitatis respectivè , solumque intraret reductio ad limites capacitatis; Atque ex his , reflectendo etiam ad veritatem, justa & probabilis visa est resolutio , dictaque decisio desuper edita videtur in hoc singularis, super dicto scilicèt puncto istam censualem materiam percutiente: an super domo construenda census validè creari possit nec ne.

# ROMANA
## SEU
## FARFEN. CENSUS
## PRO
## FRANCISCO OLIVARIO
## CUM
## JOANNE BAPTISTA PELLEGRINO

*Casus disputatus coram A. C. credo resolutus pro Pellegrino.*

An super re emphyteutica ad certas generationes concessa imponi possit census, ita ut ex isto debeantur fructus nec ne.

*SVMMARIVM*

1 *Facti series.*
2 *Census imponi non potest super re emphyteutica.*
3 *Facto casu devolutionis, censu evanescit quoad dominum.*
4 *An & quando pro censu impositio super re aliena vel incapaci debeantur fructus loco damnorum & interesse.*
5 *Declaratur conclusio, de qua num. 2.*
6 *Sequuta devolutione fundi censiti an debitor liberetur.*
7 *Exceptio nullitatis census non solet retardare processum executivum pro fructibus.*
8 *De natura & qualitate bonorum emphyteuticorum Abbatiæ Farfensis.*

## DISC. VIII.

1 IMposuit Joannes Olivarius de anno 1639. ad favorem Joannis Baptistæ Pellegrini censum in sorte scut. 725 super quadam ejus possessione sita in territoriis Abbatiæ Farfensis ejusdemque Abbatiæ emphyteutica, prout sunt omnia bona in eo territorio existentia, ex iis quæ in proposito hujusmodi bonorum pluries deducta habentur *sub tit. de Emphyteusi præsertim disc. 8.* ac etiam *in alia Farfen. sub tit. de Feudis disc. 52.* dictaque qualitas in instrumento censuali narrata fuit, ita ut creditor esset ejus conscius; Isto autem pulsante Franciscum prædicti Joannis filium & hæredem ad solutionem fructuum, ultrà aliàs exceptiones ex parte rei conventi deductas in nudo facto consistentes, illa etiam juris deducebatur, super hujusmodi census nullitate ex defectu fundi liberi , dum impositus erat super fundo emphyteutico absque domini directi licentia, undè propterea prætendebatur invalidus, stantibus præsertim prohibitionibus alienandi contentis in investitura, seu in ejusdem Abbatiæ statutis absque licentia Abbatis , cujus emolumentum, quod ex hujusmodi bonis percipit , consistit in laudemiis seu capositis pro istis licentiis seu consensibus præstandis *ut dicto disc. 8. sub tit. de emphyteusi* , assumptaque desuper disputatione.

Scribens tanquàm Advocatus pro reo convento, nullitatem deducebam ex iis, quæ super validitate census impositi super re emphyteutica sinè consensu domini , quoties præsertim prohibitio accedit, firmant in materia, *Cenc. de cens. quæst 22. Leotar. de usuris quæst. 52.* & omnium latiùs *Fulgin. in tract. de emphyteusi tit. de alienat. quæst 1. ex num. 108.* Clara etiam ratione assignata , quod cum census de sui natura debeat esse perpetuus ex parte creditoris , cui nunquam competere debet facultas repetendi sortem pro demortua habendam, Hinc proindè in emphytheusi temporanea & ad certas generationes concessa, (quam in ejus regione non agnovisse profitetur *Leotar.* ubi supra) id non est practicabile , quoniam facto casu devolutionis , ob quem , quoad dominum non consentientem certum est censum resolvi , ac bona ad eum libera reverti, ex iis, quæ in specialibus terminis hujus Abbatiæ firmantur *per Rot. decis. 86. par. 5. rec.* sequitur exindè , quod tunc resoluto contractu ex defectu subjecti , census dici non posset perpetuus, atque creditori concederetur facultas repetendi sortem, quod adversatur contractui censuali.

Et quamvis scribentes in contrarium responderent, quod in omnem eventum, per debitorem imponentem censum super re non sua debiti essent fructus ad eamdem rationem, non tanquàm ex censu, sed loco damnorum & interesse, facilis tamen erat replicatio, quoniam dicta conclusio, in suo casu vera , procedit ad favorem creditoris ignorantis , ac bona fide credentis debitoris assertioni , quod res censita esset propria & libera , secus autem ubi ipse est hujusmodi qualitatis conscius ex deductis *per Cens. quæst. 14. num. 14. cum seqq. & quæst. 88. post numer. 15. Rota decis. 45. post. eundem Martin. Andr. decis. 33. nu. 7. decis. 46. nu. 11. par. 7. rec. Duard. de cens.* §. 1. *quæst. 26. in fine*, & habetur ita distinguendo particulariter actum *in Romana Salviani hoc eodem titul. disc. 13.* ubi quæstio fuit , an scientia superveniens post contractum impediat nec ne in creditore assequutionem fructuum loco damnorum & interesse , & resolvitur negativè , quia sufficit fuisse in statu bonæ fidei de tempore initi contractus , quamvis Rota moderna contrarium senserit *ut ibi*, & *in aliis hoc eodem tit.*

Verùm licèt causæ inserviendo in gratiam clientis ista deducerem, eidem tamen ab initio juxtà stylum liberè insinuavi, hoc fundamentum esse periculosum , ita ut nisi aliæ exceptiones consistentes in facto suffragarentur, magis sanum consilium esset , eo meliori quo posset modo cum creditore se concordare , ut fortè sequutum fuit, quoniam præmissæ auctoritates & aliæ apud eosdem tractant hujusmodi quæstionem validitatis vel invaliditatis census impositi super re emphyteutica quoad præjudicium domini in casu devolutionis, an scilicèt res tali onere affecta ad eum reverti debeat nec ne ; Sivè etiam ad effectum caducitatis ob hujusmodi prohibitam alienationem, Non tamen descendunt ad hanc speciem validitatis vel invaliditatis

ditatis contractus inter debitorem & creditorem, præsertim verò ad effectum cursus fructuum durante emphyteusi, cum tunc secluso jure & interesse domini, ex eorumdem auctorum sensu nil obstare videatnr dicti actus validitati quoad ipsas partes, inter quas solùm, finitis generationibus, atque facto casu devolutionis, oriri posset quæstio, quam usque
6 adhuc occasio disputandam non dedit, An scilicèt resoluto contractu ex deficientia fundi, debitor liberationem consequatur, vel potius creditori jus comperat reperendi sortem, undè quicquid sit de isto casu in ejus contingentia disputabili, cum in hac facti specie concessio duraret, non videbatur exceptio apta impedire assequutionem fructuum de quibus tantùm erat quæstio.

Et quidem satis rari casus sunt, in quibus non
7 data infectione debiti in sorte principali, sivè non docto in continenti de tanta illicitorum fructuum solutione, quod eamdem sortem consumpserint, per exemptionem invaliditatis contractus censualis impediatur processus exequutivus super assequutione fructuum, quoniam srmper creditor allegare potest dilemma, quod Aut opposita exceptione obstante contractus est validus, & fructuum solutio denegari nonpotest, Aut exceptione subsistente est invalidus, & denegari non potest restitutio sortis, quam debitori potius expedit ita diminutè peti & respectivè solvi, Igitur semper debitor tenebitur ad solutionem ex eventu causæ declarandam, an in sortem vel in fructus solutio cedere debeat, & ita pluries ac pluries practiçavi in Tribunali A. C. & in Signatura justitiæ.

Clarius verò in hac facti specie, Tùm quia in contractu censuali, expressa quidem fuit qualitas emphyteutica in genere, sed non explicatum, an illa esset temporalis vel perpetua, & an ex pacto, vel merè hæreditaria, unde non docto in creditore de explicita scientia omnium hujusmodi qualitatum & prohibitionum, ex quibus nullitas actus resultat, contrà debitorem respondendum venit, saltem ad dictam obligationem præstandi fructus loco damnorum & interesse, cum delictum ex ejus parte inesse dicatur imponendo censum super re, super qua talem facultatem non habebat, Ideoque cùm delicta in dubio præsumenda non sint, rectè creditor dicere potest se bona fide credidisse, quod debitor sufficientem facultarem habuisset, quodque emphyteusis esset talis, ut actus validitati non obstaret, Ad instar eorum, quæ habemus in contractu emptionis & venditionis, quod venditori imputandum est cur rei venditæ defectus non benè expresserit, atque ad speciem non deduxerit, sed tantùm sub involucro & verbis generalibus æquivocis aptis continere talem qualitatem, quæ defectum excludat, ut in sua materia *sub tit. de empt. & vend.* ac est in jure notorium.

Tum certius ex iis, quæ longè post istam causam disputatam in proposito hujusmodi bonorum emphyteuticorum Abbatiæ Farfen. deducta fuerunt
8 ad declarationem *dictæ decis. 86. par. 5. rec.* quod scilicet cum Ecclesia finitis generationibus non possit hæc bona pro se retinere, sed de necessitate teneatur renovare ultimi possessoris successoribus, etiam ad commodum creditorum, Hinc proindè, ex consuetudine introducta à necessitate commercii, bona prædicta quamvis concessa in forma pacti & providentiæ, ad instar allodialium redacta sunt, dum eorumdem bonorum libera reversio ad dominum in prædicta *decis* 86. firmata, respiciat solum ejus cautelam & potioritatem pro assequutione laudemii seu capofoldi pro nova concessione, ut latius *in d. Farfen. sub titulo de emphyteusi dis.* 8. Atque hinc sequitur id nil obstare perpetuæ impositioni censuum durare debentium etiam post factum casum devolutionis, pro ea rata, pro qua salvo jure domini in laudemio seu capofoldo, remanet capax, ita præsertim communi observantia docente, Ideoque nisi juxtà consilium reus conventus se concordaverit, credo quod contra eum, & justè judicatum fuerit.

---

# ROMANA

## PECVNIARIA

## SEU

## CENSUS VITALITII

## PRO

## SEBASTIANO ANTINORO

## CVM

## CREDITORIBUS CARDINALIS BURGHESII JUNIORIS.

*Casus disputatus coram A. C. incertus est exitus, credo per concordiam.*

De validitate vel invaliditate census vitalitii ob defectum fundi capacis, Et an hujusmodi census subjaceat Bullæ Pii V. super necessitate fundi fructiferi, & capacis, vel dari possit personalis.

An per mortem creditoris fiat locus lucro sortis principalis, ubi debitor ex parte sua non implevit promissa, vel potius ex capite non implementi cesset lucrum; Et de aliis ad materiam census vitalitii.

### *SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*

2 *Censu vitalitio nulliter creato non lucratur debitor sortem per mortem creditoris.*

3 *Idem de censu vitalitio facto ad favorem religiosi.*

4 *Item non est locus lucro, si debitor non implevit contractum.*

5 *Census vitalitius an requirat fundum, vel possit esse personalis de utraque opinione.*

6 *Ubi etiam fieri posset personalis, si partes voluerunt illum facere realem super fundo, isto cessante corruit.*

7 *De ratione, ob quam in societate officii debitor, qui non implevit promissa, non faciat lucrum; Et quid in hoc censu.*

8 *In censu vitalitio sors est demortua, & per debitorem restitui non potest invito creditore, & quid de pacto rescissorio.*

9 *In contractibus nominatis, non implementum non causat resolutionem, sed solùm actionem ad interesse.*

10 *Quandò creditor non excusetur à restitutione pecuniæ consumptæ.*

11 *Si census vitalitius est nullus ex culpa debitoris, an debeantur fructus loco damnorum & interesse ad eandem rationem.*

12 *Restitutio sortis facta per debitorem de mandato judicis loco implementi non causat extinctionem census.*

## DISC. IX.

1 DE anno 1637. Cardinalis Petrus Maria Burghesius Senensis, quem ex motivo gratitudinis erga memoriam *Pauli V.* ac pro restitutione Cardinalitii galeri ab eo accepti, *Urban. VIII.* tanquàm de dicti Pontificis familia, nulla tamen ut remota nimis conjunctione accedente, evexit ad Cardinalitiam dignitatem, imposuit annuum censum vitalitium scutorum 800. adj favorem Marci Antonii Scalari ad istius vitam pro sorte principali scut. 8. m. habitorum in pecunia numerata in ipso actu celebrationis instrumenti, quem censum imposuit super quibusdam bonis, quæ in Civitate Senarum possidere asseruit, libera, fructifera & capacia dicti annui redditus, ac majoris, & sub pacto, ut contingente morte ipsius Cardinalis, ejus hæredes idoneum fidejussorem in Urbe præstare tenerentur. Sequuta verò illinc ad breve tempus morte Cardinalis prædicti, Scarlatus egit contrà hæredes coram A. C. pro præstatione fidejussoris, ac aliàs loco damnorum & interesse sibi concedi mandatum, quod obtinuit pro restitutione sortis, quam proindè dicti hæredes illi solverunt cum obligatione de restituendo anterioribus, & potioribus & ad omne mandatum &c. Undè sequuta etiam dicti Scarlati morte, posteriores ejusdem Cadinalis creditores, qui ob bonorum insufficientiam in numero & respectivè quantitate notabili excluſi remanserant in concursu, judicium instituerunt coram A. C. contra Antinorum Scarlati hæredem pro restitutione d d. scutorum 8.m. ex motivo lucri sortis ad favorem hæreditatis debitoris facti juxta naturam census vitalitii, Atque assumpta desuper disputatione.

Scribens pro Antinoro reo convento, more Advocati dicebam, actorum prætensionem fundari
2 in sola ratione lucri sortis prædictæ cui dupliciter locus non erat, Primò ob dicti census nullitatem, qua posita resultat non posse ex parte debitoris prætendi luorum sortis, quia cum non entis nullæ sint partes, atque quod nullum est, nullum possit effectum operar; Hinc sequitur, ut sublato de medio contractu prædicto pecunia sub ejus nomine debitori data, remaneat sub mutuo vero vel interpretativo, seu verius avocabilis ex condictione sine causa, ut in specialibus terminis pecuniæ datæ ad censum
3 vitalitium per Religiosum non habentem ad id facultatem, ut non obstante istius morte, debitor acceptam pecuniam restituere teneatur monasterio ob contractus nullitatem firmavit *Rota in Romana censuum 27. Maii 1652. coram Bichio impress. dec. 253 par. 11. rec. confirmata 28. Aprilis 1654. coram Bevillaqua.*

Secundò ex capite non implementi, cum sequuta morte Cardinalis, hæres non præstitisset fidejussorem juxtà formam conventionis, ideoque
4 non poterat ex contractu non adimpleto reportare lucrum, ex iis, quæ in terminis Societatis officii habentur *dec. 542. nu. 2. par. 4. rec. tom. 3. ubi latè Addend. nu. 23. cum sequen. Pisauren. Societatis officii* 30. *Maii 1639. coram Rojas* inter suas *dec. 64. & sapius*, ut habetur in sua materia *sub tit. de Societate officii.*

Nullitas aurem deducebatur ex defectu fundi liberi, fructiferi & capacis, quoniam in facto verificabatur, bona super quibus tanquam talibus debitor professus erat censum imponere, esse fideicommissaria, ita ut sequuta ejusdem debitoris morte, adhibitis exactis diligeniis per alios creditores nil repertum fuerit de bonis ejus liberis; Quinimò cessante vinculo, adhuc eo vivente nec erant dicti oneris capacia ob longè minorem fructum.

Et quamvis scribentes in contrarium satis insisterent, quod in casu vitalitio istud requisitum non esset 5
necessarium, cum ille non cadat sub *Constitutione Pii V.* neque videatur prohibitum eum esse personalem, ut in specie censuit *Rota dec. 514. post Cenc. de Cens.* ac tenent plures relati *per Leotar. de usuris quæst. 49. ex numer. 23.* Atque mihi reflectenti ad veritatem ista opinio probabilis videretur, quoniam non videtur quid prohibeat dare uni mille sub incerta alea præstandi ejusdem sortis partem singulis annis, cum in effectu, fructus qui percipitur ex juribus vitalitiis, quamvis pro nostro loquendi usu nuncupetur talis, revera non sit accessio neque fructus, sed potius distributa exactio sortis sub incerto eventu, cum fructus dicatur ille, qui percipitur salva rei substantia, ex iis, quæ in proposito officiorum vel locorum Montium vacabilium habentur deducta ad illorum materiam *sub tit. de Regalibus*, Nihilominus, quod etiam in hoc censu vitalitio servari debeat Bulla Piana, ita ut perneceſſe requiratur fundus fructifer & capax, & non detur census personalis, cæteris deductis probare conatur *Leotar. dicta quæst. 49. nu. 28. cum sequen. ubi nu. 33.* respondet in specie *ad dictam decisionem 514. post. Cenc.* atque eadem Rota recedendo à priori sensu Leotardi opinionem canonizavit *in Romana vineæ ad responsum 28. Junii 1649. coram Arguelles*, ideoque dicebam in curia hanc postremam Rotæ opinionem tenendam esse.

Et ulterius quidquid esset de veritate dicti articuli in abstracto, in quo, ut dictum est, plus placebat prima opinio, cum revera iste non sit contractus 6
census, sed quædam commutatio periculi absque eo quod pecunia data sit unquam repetibilis, ita ut non intrent termini *text. in cap. naviganti cum similibus*, Attamen difficultatem cessare dicebam ex facto, in quo, juxta instrumenti contextum, clarè constabat de voluntate partium faciendi censum realem super fundo fructifero libero, & capaci, ideoque intrabat regula, *quod potui nolui &c.* Qui enim potest facere actum duplici modo, si unum ex illis eligat, servare debet illius formam, aliàs est nullus; neque substineri potest alio modo valido tanquam per partes nolito *Covarr. de Sponsal. par. 1. cap. 2. n. 2. & 3. Caputaq. dec. 23 par. 1.* & cum ista circumstantia credebam, etiam in sensu veritatis, dictum defectum fundi obstare validitati actus.

Circa verò alterum fundamentum, ut posito etiam censu valido, impeditum esset lucrum ob non implementum, ex iis quæ habemus in terminis societatis officii, Quamvis scribentes in contrarium nullam deducerent relevantem responsionem; Nihilominus dubitabam de motivo, illudque minus tutum omninò credebam, quoniam licèt in societate officii plures decisiones, remanendo in superficie, pro dictæ conclusionis ratione assignent illam deductam ex regula generali, quod nemo reportare debet lucrum

ërum ex contractu nôn adimpleto, attamen hæc videtur nimis vaga, & levis ratio, quæ sola ex pluribus ad id non sufficeret, sed vera & solida ratio est altera, quod cum contractus societatis sit ad libitum cujuslibet ex sociis dissolubilis, Hinc proindè eo ipso quod socius passivus non adimplet, præsumitur in socio activo, voluntas non permanendi in societate sub illius implementi conditione inita, undè propterea si pro semestri vel alio termino socius activus fructus in toto vel in parte percipit, tunc contingente casu periculi fit locus lucro, ex ea ratione, quod per receptionem fructuum declaravit animum diversum ab eo, quem lex præsumit, ergò ista est vera ratio, non altera, qua attenta debitor, qui non implevit, non deberet facere lucrum, quamvis fructus illius termini in toto vel in parte soluti essent, quia semper eadem ratio urgeret, ac etiam urgent alia deducta super hoc puncto in sua materia *sub tit. de societ. off.*

Hæc autem ratio adaptabilis non est huic contractui, cujus præcisum ac essentiale requisitum est, ut sors omnino demortua sit,
8 ac omnino irrepetibilis, etiam ex parte debitoris creditore invito, ut plenè probat *Leotar. dicta quæst.* 49. quidquid circa validitatem pacti rescissorii quando fructus non excedit decem pro centenario *ex Megal. & aliis dicat Rovit. super pragm. 2. de cens. in fine*, & sic cadere non potest illa præsumpta voluntas, quæ nullius est operationis, ubi data etiam expressa non esset operativa, sed potiùs intrare videtur regula juxta magis communem & receptam opinionem, quam sequitur Rota & Curia, ut in
9 contractibus nominatis, vel qui eorum speciem seu naturam habent, non implementum non importet pœnitentiam seu resolutionem actus, sed solùm producat actionem ad interesse, nisi constet implementum prædictum adjectum esse tanquam causam præcisam & finalem sapientem conditionem, sine qua non, proindeque excludentem voluntatem ab initio, ex deductis *per Greg. & adden. dec.* 88. & passim, ac sæpiùs habetur in sua materia *sub tit. de contract.* ac sub altero *de credito.*

Deducebam quoque tanquam Advocatus, difficultatem removeri ex facto, ex quo omnes dictæ quæstiones inanes remanebant, dum hæres debitoris pulsatus ad præstandum fidejussorem juxta formam conventionis, voluntariè censum extinxerat, ac sortem restituerat, undè propterea sublatus erat de medio contractus censualis, quem non dubitatur tolli per extinctionem sequutam cum actu retrosimili; Verùm erat debile ac minus tutum fundamentum, quoniam quidquid sit, an de reciproco consensu hujusmodi contractus dissolvi possit mediante integra restitutione pecuniæ ad hunc effectum datæ & respectivè acceptæ, postquam præsertim notabili tempore solutus est fructus excessivus censui perpetuo incongruus, atque ex sola ratione periculi & totalis amissionis sortis tolerabilis, quæ tamen dubitandi ratio in præsenti cessabat, dum fructus ad rationem decem pro centenario dici non poterat excessivus & censui perpetuo incongruus, dum per Bullam *Nicolai IV.* usque ad dictam summam substinetur. & ex qua ratione *Rovit. loco cit.* credit etiam in hac census specie, quoties fructus non excedit decem pro centenario, substineri posse pacta rescissoria, quæ ipse dicit in censibus perpetuis in eo Regno esse in viridi observantia.

Cessare videbatur motivum ex defectu potestatis
10 in hætede patrimonii, quod detectum est non idoneum, id agendi in præjudicium creditorum, potissimè quia non poterat iste creditor allegare bonam fidem, sub qua, ex recepta æquitate originata à facilitate commercii creditor effugit restitutionem pecuniæ consumptæ vel commixtæ, Tum quia id non procedit in pecunia soluta per hæredem mortuo debitore, ut non semel in sua materia sub *tit. de credito*, Tum etiam stante obligatione facta de restituendo prioribus & potioribus, ac ad omne mandatum, &c. quod facit pecuniam semper extare, dum dicta ultima præsertim clausula, *ad omne mandatum* operari dicitur creditorem se obligasse ad restitutionem in quemcumque casum, in quem illa de jure facienda esset; Et sic in substantia aliud non aderat solidum fundamentum pro effugienda dicta amissione sortis, nisi illud invaliditatis contractus ex defectu fundi, tam ex dispositione juris juxtà unam opinionem, quàm fortius ex voluntate partium ut suprà.

Verùm posita etiam dicti motivi subsistentia, adhuc gravis oriebatur difficultas circa restitutionem vel imputationem fructuum, qui cessante pe- 11
riculo exigi non possunt, ut in his specialibus terminis census vitalitii invalidi censuit *Rota in allegata Romana Censuum coram Bichio, & Bevilaqua.*

Pro hujumodi difficultate evitanda, dicebam, quod licèt posita census nullitate, præsertim ex defectu fundi, non debeantur fructus tanquam fructus fundi, adhuc tamen quando nullitas est culposa ex parte debitoris falsò asserentis fundi libertatem & capacitatem, atque creditor est in bona fide, defectus postea detecti ab initio non conscius, tunc ad eandem rationem debentur fructus tanquam damna & interesse, *ut decis. 549. num. 4. cum sequen. past Cenc. & sæpius, ut hoc tit. pluries*, Verùm adhuc dubitabam incongruum videri prætendere velle hujusmodi damna & interesse ad eam excessivam rationem, quæ ex sola ratione periculi percipi consuevit, ac potius illud, ex iis, quæ habentur apud aliquos de Societ. officii, (licèt in illis terminis eorum opinio non sit recepta pro Judicis arbitrio) taxandum videtur ad quamdam moderatam rationem fructuum locorum montium, seu alterius honesti fructus in loco currentis & de facili percipiendi, atque ex ista ratione consului clienti, ut aliquam pecuniarum partem concorditer restitueret, & ita de reliquo se tutum redderet, ut puto sequutum.

Aliqui scribentes pro hac eadem parte, satis ac toti insistentes in dicto motivo extinctionis jam sequutæ per actum retrosimilem restitutionis sortis, di- 12
cebant non obstare difficultatē resultantem à defectu potestatis hæredis, dū hic id voluntariè non egerat, sed de mandato judicis & viribus Præturæ compulsus, sed erat nimis debile fundamentum, quoniam licèt detecto fundo minùs libero vel minùs capaci, seu in casu non præstiti fidejussoris vel cædulæ bancariæ conventæ seu alterius consimilis implementi creditor census jus habeat agendi contrà debitorem ad sortem juxtà *decis* 88. *Gregor.* & passim, attamen id non procedit ad effectum repetibilitatis ac juris cogendi invitum debitorem ad extinctionem, sed ad solum effectum deponendi loco cautionis, & ut vel debitor ita tædio affectus adimpleat, vel ea pecunia investiatur in acquisitionm fundi liberi & capacis,

& sic dici non poterat extinctionem factam
esse de judicis
mandato.

# PRÆNESTINA

## CENSUS

## PRO

## BALZANIS

*Responsum pro veritate extrà Curiam.*

An & quando pactum repetitionis sortis principalis adjectum favore creditoris vitiet contractum censualem, illumque reddat usurarium, vel potius ipsum pactum vitietur

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Ubi census est nullus, non debentur fructus, atque soluti extenuant sortem, neque in hoc bona fides suffragatur.*
3 *Distinguuntur plures casus in articulo, an & quando pactum repetitionis sortis vitiet contractum vel vitietur.*
4 *Ætas pupillaris non est apta sustinere contractum usurarium, sed ad quid prosit ista circumstantia.*
5 *De validitate pacti repetitivi, ubi concernit jus vel interesse tertii.*
6 *Observantia quid in hac materia operetur.*

### DISC. X.

1 IN instrumento census impositi per Lidoniam ad favorem Æmiliæ, & Catharinæ de Capranica in pupillari ætate existentium, & pro istis contrahentibus earum tutoribus, adjectum fuit pactum, quod in eventum, in quem dictæ mulieres nuberent, earumque viri non essent contenti dicta census emptione, teneatur, & cogi valeat Lidonia sortem principalem ad omnem dictarum mulierum requisitionem restituere, renunciando pro majori cautela omnibus juribus contentis *in Bulla Pii V.* super forma creandi census; Post observantiam autem dicti contractus per annos 70. & ultrà, ac transitum dicti census ad plures tertias manus, dubitari contigit, an ex dicto pacto census diceretur malè constitutus, ita ut ab initio fuerit invalidus; Effectus autem quæstionis erat, quod data nullitate resultat contractum resolvi in mutuum, pro quo 2 nulli fructus debentur, proindeque soluti veniebant in sortem imputandi, non obstante quocumque prætextu etiam bonæ fidei & ignorantiæ juxtà punctualem *decisionem Seraph.* 1006. quæ loquitur de censu acquisito per mulierem; & generaliter est receptum, ut bona fide in materia usuraria non excuset, *ut in Baren. census sub tit. de usur. disc.* 17. etiamsi cum cessionariis & tertiis possessoribus quæstio contingat, ut in specie *Cenc. de Cens. quæst.* 60. *num.* 2. *vers. Et hæc conclusio*, Atque desuper consultus respondi ut sequitur.

Pro dilucidatione veritatis, pro qua & non aliàs in causis de partibus, quæ coram inferioribus vertuntur, meus est stylus scribendi, quatuor casus constituere oportet, Primus est, ubi purè & simpliciter conventum est, ut sit in libro creditoris 3 quandocùmque sortem census à debitore repetere; Alter est ubi hæc repetendi facultas conventa est sub certa conditione, quæ pendeat à facto & voluntate debitoris, in eventum scilicèt quod deficiat à solutione fructuum per duos vel tres terminos cum similibus. Tertius est, ubi eadem repetendi facultas concepta est ad certum tempus seu sub certa conditione voluntaria, quæ pendeat à facto & voluntate ipsius creditoris, Et quartus, ubi sub conditione mixta, quæ à facto tertii dependentiam habeat, & hic ultimus est casus noster, quia non ad liberam Æmiliæ & Catharinæ voluntatem collatum est pactum, neque ad certum diem sivè ad conditionem ab istarum voluntate dependentem, sed in eventum in quem nuberent, earumque mariti dicta census emptione contenti non essent, & sic conditio est dupliciter mixta, quia poterant dictæ mulieres carnaliter non nubere, ac etiam poterant earum viri (prout eventus docuit) census resolutionem non petere.

Primo casu, quamvis non desint multi D D. volentes istud pactum non esse contrà substantiam census, ideoque vitiari, sed non vitiare totum contractum, quos refert & sequi videtur *Leotar de usur. quæst.* 68. *num.* 4. *cum sequen.* Verior tamen videtur contraria sententia, quam Rota & Curia Romana recepit, ut tanquàm contrà substantiam census annullet contractum, illumque ab initio censeri faciat puri mutui juxtà *dictam decis.* 1006. *Seraph. decis.* 147. *num.* 6 *post Cenc. de Census cum aliis per eundem Cenc. dicta quæst.* 60. *num.* 1. *cum sequen.* Quærunt tamen aliqui salvare contractum non obstante dicto pacto, quoties in fine adest protestatio contrahendi ad formam Pianæ Constitutionis, & non aliàs, sed de hujus opinionis veritate supervacaneum est agere, quia nec dicta protestatio adest, neque sumus in casu.

Secundo autem casu, multi tenent pactum esse validum, ideoque nec vitiare nec vitiari, quia repetitio non provenit à facto & voluntate creditoris, sed à facto & voluntate debitoris, in cujus libito & potestate repositum est nunquam facere verificari præscriptam conditionem, ita ut repetitio sit potius in pœnam, Et hæc opinio in Hispania, & in Regno Neapolitano, aliisque locis est magis recepta, præsertim quia *ibi* prætenditur Bullam Pii non fuisse acceptatam neque servandam, ut in specie de pactis rescissoriis quod in dicto Regno sint in viridi observantia testatur *Rovit. pragm.* 1. *de censibus numer.* 35. & habetur insinuatum *in Oppiden. hoc tit. disc.* 1. & in aliis; Verùm in Curia Romana, & in locis, in quibus de acceptatione & usu Bullæ Pianæ non dubitatur, verius est istud pactum non substineri, non tamen aptum esse vitiare contractum, sed ipsum remanere vitiatum, ut latè & magistraliter habetur *dicta decis.* 147. *post Cenc. cum aliis per eundem dicta quæst.* 60. *ex num.* 11. *& plenè Leotar. dicta quæst.* 68. *numer.* 14. *& 15. cum sequen.* eundemque sensum habuit *Rota in Thelesina Censu* 9. *Novembris* 1639. *coram Dunozetto* inter suas *decis.* 184. *numer. fin. In Neapolitana domus* 13. *Maii* 1641. *coram Verospio decis.* 20. *par.* 9. *recent.* aliàs *decis.* 43. *post Merlin. de pignor. & in aliis*, ac sæpissimè practicavi in

Signa-

Signatura Justitiæ aliisque Tribunalibus occasione censuum Regni Neapolitani, in quibus hæc pacta repetitiva in casu moræ passim apponuntur, quoniam pactum vitiatur, sed non vitiat, quamvis non adsit dicta protestatio habendi relationem ad Constitutionem Pii, quæ est melior cautela, sed si omittatur, non per hoc vitiat.

In tertio casu, quoties pactum repetitionis conceptum est ad certum tempus seu conditionem voluntariam post certum tempus omninò extituram, adhuc receptum est illud non valere, non quidem de jure, sed ex Constitutione Pii V. ex deductis per *Cenc. dicta quæst. 60. num. 34. & sequen.* sed solùm remanere vitiatum, ac haberi pro non adjecto, non autem vitiare contractum firmat idem *Cenc. num. 39 & sequitur Leotar. dicta quæst. 68. num. 16.* qui alios colligunt.

Quamvis autem & in quarto casu, qui est noster, omninò dicendum veniat pactum esse invalidum ex eadem generali prohibitione resultante à Constitutione Piana, ac juxtà opinionem receptam in Curia Romana per easdem rationes, quæ in primo casu militantes in isto fortius urgent; Attamen illud excusare nullitatem contractus, ideoque non vitiare, sed vitiari sinè dubio verius videtur, si enim non vitiat illud pactum, quod habet solùm dilationem temporis omninò extituri ut in casu præcedenti, multò minùs vitiare debet illud quod conceptum est sub conditione casuali vel mixta, & à facto tertii resultante, cum tunc nullatenus depravata intentio fœnerandi considerari valeat in creditore, qui volens nunquam potest sortem repetere, ut benè in proximis terminis *Seraph. decis. 1431.*

Fortius duplici circumstantia accedente; Prima nempè quod creditores erant in pupillari ætate, ideoque incapaces calliditatis fœnerandi. Licèt enim ista ratio non excuset à fœnore illum contractum qui clarè & certitudinaliter sit fœneratitius ex deductis *per Leotar. de usur. quæst. 20.* ubi tamen versamur in casu dubio ex sincera vel depravata creditoris voluntate regulando, satis persona creditoris spectanda venit.

Altera fortior circumstantia resultat ex eo, quod dictum pactum adjectum videtur per tutores in eorum excusationem, ac ad evitandas molestias,
5 quas à pupillarum viris pati possent, quatenus hujusmodi census acquisitionem approbare nollent; Pacta verò repetitiva apposita, non per creditorem sed per tertium, vel pro tertii interesse, quoties non constat esse collusivè ac in fraudem adjecta, valent, ac servanda sunt, *ut per Cenc. dicta quæst. 60. num. 52. cum sequen. Rot. post eundem decis. 131. num. 15. & in Civitatis Plebis Salviani prima Julii 1647. coram Bichio post Zacch. de oblig. dec. 274. repetit. decis. 118. par. 10. rec.* & in aliis; Et licet quoad validitatem & observantiam pacti hoc motivum pro vero non habeam, attamen ad effectum ut non vitiet, sed vitiatum remaneat, videtur circumstantia considerabilissima, omnemque tollens dubitandi occasionem.

His accedit longissima observantia 70. annorum, & quod census transivit per plures manus in Mo-
6 nasterium Monialium, quod in optima fide versatur; Licèt enim neque lapsus temporis, neque cessionarii qualitas salvare possent contractum usurarium; Attamen utraque qualitas nimium spectanda videtur pro partium voluntate interpretanda, quodque dictum pactum pro invalido partes habuerant, nam illud nunquàm deduxerunt ad exercitium, atque renunciatio Bullæ operatur, ut dicta cautela cesset, neque subintelligi valeat, sed non per hoc resultare videtur, ut exindè resultet totius contractus irritatio, maximè accedentibus dictis circumstantiis; Ideoque Balzanis debitoribus, ex quorum parte fui requisitus, consului, ut non expectata judicis determinatione curarent eo meliori modo quo possent, se concordare.

---

# TUSCANEN.

## CENSVS

### PRO

### VIRGINIA MARTELLACCIA

### CUM N.

*Casus disputatus in Signatura Justitiæ, incertus est exitus.*

De eadem materia facultatis repetendi sortem principalem post certum tempus an vitiet contractum; vel ipsum pactum vitietur; Et an hæc exceptio sit apta impedire summariissimum possessorium manutentionis in quasi possessione exigendi fructus census.

### *SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*

2 *Signatura Justitiæ principaliter attendit justitiam, & non solet curare nullitates nisi satis substantiales.*

3 *De puncto, an pactum repetitivum sortis vitiet vel vitietur.*

4 *De pacto repetitivo intrà certum tempus.*

5 *De cautela relationis habetæ ad Constitutionem Pianam.*

6 *Quæ regula tenenda sit in proposito hujusmodi pactorum an vitient, vel vitientur.*

7 *De conclusione, quod in possessorio non quæritur de justitia; Et quando malum jus obstet in hoc judicio.*

8 *De ratione, ob quam exceptio nullitatis contractus non solet retardare processum executivum pro fructibus census.*

### DISCURSUS XI.

CUM auctor Virginiæ censum imposuisset sub pacto, ut intrà 1
triennium teneretur illum redimere, atque acceptam pecuniam creditori restituere, hinc creditor prædictus vel ejus successor, exhibitis coram A. C. instrumento censuali & justificationibus super solutione fructuum per aliquos annos, habita solùm disputatione inter causæ Patronos, obtinuit mandatum de manutenendo in quasi possessione exigendi, à quo interposita appellatione, & adita Signatura, in hoc Tribunali

bunali ad reæ conventæ defensionem assumptus fui, dictaque defensio frequentius consistere solet in injustitia, cujus ratione, quoties res ad probabilem dubietatem reducitur, rescribi solet de commissione appellationis cum clausulis translativis, parum attendendo nullitates, quæ de facili ab hoc Tribunali negliguntur, quoties non sint omninò substantiales & claræ, & stylus non displicet, quoniam ex
2 nudis juris subtilitatibus ac meris formalitatibus ordinis causarum Patronis sæpè ignotis, quoties non influunt ad justitiam, quam constet pro victore esse claram, non debent partes cum inani circuitu litium impensis & incommodis defatigari, neque debent calumniæ foveri, ut nonnullorum Tribunalium magnus est abusus, cum his formalitatibus causas reddendi immortales.

Disputatio igitur tota restringebatur ad pun
3 ctum, An dictum pactum repetitivum sortis intrà triennium esset contrà substantiam census etiam attenta dispositione juris communis, ita ut præscindendo *à Bulla Pii V.* implicaret cum censu, vel potius ejus infectio proveniret à Bulla prædicta, ex hac enim distinctione resultat decisio, an vitiet vel vitietur.

Et juxta distinctionem c suum, de qua *disc. præcedenti*, quoties facultas repetendi sortem est purè & simpliciter collata in arbitrium creditoris tunc omninò receptum est, id esse contra substantiam census, proindeque illum vitiare, quia in effectu contractus potius continere dicitur mutuum usurarium sub contractus censualis vocabulo palliatum; Ubi verò pactum conceptum est sub certa conditione vel modo, cujus implementum pendeat ab ipso debitore, tunc econversò apud omnes receptum est de jure communi esse licitum, quoniam ita potius casus repetitionis resultare dicitur à facto & voluntate ipsius debitoris, qui pacti conscius, illud non implendo, resolutioni consensum adaptare videtur, atque est species pœnalis caducitatis ratione moræ adinstar feudi emphyteusis & similium, Unde sola quæstio in hoc secundo casu restringitur ad Bullam Pianam damnantem omnia pacta puniencia moram debitoris, eumque cogentia ad extinctionem census, an istud sub illa veniat necne; Et in hoc magis communis, ac recepta est affirmativa, sed quia pacti infectio est accidentalis utpotè ex dicta nova lege inducta, receptum pariter est, illud vitiari non autem vitiare, ut de utroque casu ita distinguendo liquet ex deductis *per Cenc. hoc tract. quæst. 60. Duard eodem § 6. quæst. 15. ex nu. 1.* latè *Rota decis. 147. post Cenc.* quæ videtur in materia magistralis, & reliqui *per Leotar. de usuris quæst. 68. nu. 1. cum sequen.*

Et licèt iste *nu. 4. cum sequen.* referat *Federic. Martin. Malder. Salas, Greg. de Valentia* & alios, etiam in prima parte distinctionis speculativè tenentes pacti validitatem de jure cõmuni, ita ut non percutiat substantiam census, proindeq; *n. 8. ex Cenc. Gratian. & aliis* ipse sentiat, pactum utpotè contrà accidentalia potius vitiari, quam vitiare, & in qua auctoritate scribentes pro creditore totum fundamentum constituebant; Dicebam tamen rectè ipsum dicere Morales præfatos id speculativè discurrere, sed cum in contrarium habeamus solidas auctoritates Canonistarum, ac etiam Rotæ in decisionibus de quibus suprà, & infrà, idcircò in foro, ac in materia adeò suspecta, in qua tutior semper recipienda est, curandæ non sunt sophisticæ ac speculativæ disputationes; Atque observabam *Leotar.* alioquin doctissimum hanc usurariam materiam optimè tractantem *dicto num. 8.* æquivocare, dum fretus auctoritate *Cenc.* & aliorum, credit pactum esse contrà accidentalia, ideoque vitiari potius quàm vitiare, dum isti auctores loquuntur in terminis secundi casus pacti non puri & simplicis, sed conditionalis ut suprà.

Admittebat Signatura distinctionem prædictam utpotè à Rota sæpius canonizatam, sed difficultas
4 residebat in applicatione ex particularibus facti circumstantiis ex tribus; Primò quod non versabamur in puro casu dictæ distinctionis, sed in mixto, dum repetendi facultas non erat conditionalis juxtà secundam distinctionis partem, minusque erat pura, & in merum arbitrium creditoris collata juxta primam, sed continebat casum mixtum, post certum scilicèt tempus, in quo casu scribentes in contrarium deducebant auctoritatem *Cenc. quæst. 60. nu 39.* quem refert & sequitur *Leotar. dicta quæst. 68. nu. 16.* ubi agendo de pacto, ut licitum esset debitori redimere censum infra quatriennium, quo elapso in arbitrio creditoris esset pretium repetere, dicitur tale pactum cadere quidem sub nova lege Piana, non autem adversari substantiæ census, ideoque vitiari non autem vitiare.

Secundo, stante communi cautela in hoc instrumento adjecta, protestationis quod contractus censeretur initus ad formam Pianæ Constitutionis, quod scilicèt id salvaret conrtactum ab infectione usuraria; Et tertiò, quod hujusmodi exceptio admittenda non veniret ad impediendum processum executivum hujus summariissimi possessorii manutentionis, & ex his difficultatibus in prima disputatione dilata fuit resolutio.

Quare in repropositione causæ, assumpta strictè super his disputatione, Quatenùs pertinet ad primum punctum, dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, quod *Leotar.* in hac parte, parum vel nihil examinata difficultate præter morem gerere videbatur potius partes simplicis relatoris *Cencii*, qui *d. nu. 39.* videtur æquivocasse, capiendo quid pro quo, dum totum se fundat in auctoritate *Boccacc. de cens. par. 3 nu. 55. & Rotæ in Forolivien. census coram Orano apud eundem decis. 117. n. 5 & 6.* quæ auctoritates loquuntur de casu omninò diverso, de facultate scilicet data debitori redimendi censum intrà certum tempus, quo elapso non liceret amplius redimere, sed perpetuus esse deberet, atque isto casu benè dicitur hujusmodi pacti infectionem esse accidentalem ex dicta nova lege Piana, quoniam de jure communi non repugnat naturæ contractus censualis istum esse hinc indè perpetuum, ut advertitur *in Romana pacti sub titul. de usur.* sed neque *Bocacc.* neque *Rota loco cit.* agunt de casu conversо facultatis repetendi à debitore invito sortem post certum tempus, quoniam cum istud sit certum ac omninò extiturnm; idcircò talis casus cadit sub prima parte distinctionis facultatis repositæ in arbitrium creditoris cum sola dilatione temporis determinati, quod magis congruit mutuo usurario, in quo dilationis ratione usura resultat, ut in præciso casu hujusmodi pacti cum tempore quinquennii decisum fuit *per Rotam coram Seraph.* inter suas *decis. 269. repetit. decis. 500. par. 1. divers. & apud Salustium Tiberium in praxi lib. 1. cap. 25.* quæ decisio fuit sæpius canonizata, præsertim *apud eundem Seraph. decis. 1006. dicta dec. 147. & 152. post Cenc.* & in aliis, neque constat fuisse recessum, ideoq; dictis auctoritatibus potiùs deferendum erat, ita etiam urgente ratione, dum tempus certum

&

& determinatum tanquam omninò extiturum non variat casum facultatis liberæ, & in creditoris arbitrio repositæ

Major difficultas erat in secundo puncto dum constabat partes noluisse illicitè contrahere, sed prædictæ Constitutioni obedire, undè propterea 5 dicta cautela ab omnibus suprà allegatis ac aliis de materia agentibus probata est, sed difficultas tolli videbatur ex facto, dum à protestatione exceptus erat casus hujus pacti per ea verba, *Volentes servari debere Constitutionem Pii V. sine præjudicio dicti pacti trium annorum, quo semper salvo, & non aliàs &c.* ideòque dum iste casus exceptus fuerat à protestatione, ista non poterat circà illum suffragari, cum actus voluntarii non possint plus operari, quàm ipsa voluntas est, ut ultrà generalia, in his specialibus terminis habetur apud *Grattan dis-cept. 587. nu. 10.*

Reflectendo autem ad veritatem, considerabam super hoc puncto, decisionem pendere à singulorum casuum individuis circumstantiis pro judicis prudenti arbitrio ponderandis, ex quibus constaret de sincera, vel potius econversò, de depravata creditoris voluntate, quoniam frequentius, ac ferè semper hujusmodi cautelæ, vel pacta adjici solent per notarios, seu etiam per contrahentes juris subtilitatum ignaros, & consequenter videndum, inspecta præsertim, utdictum est, qualitate personarum, aliisque circumstantiis, an partium sincera intentio fuerit verè intendi contractum censualem, vel potiùs ita mutuum usurarium palliandi, Atque ita respectivè decidendo quæstionem, an pacta vitient vel vitientur, & an dicta protestatio salvet, non attendendo formulas verborum, sed substantiam veritatis, quæ semper spreto verborum cortice spectanda est.

Super tertio autem puncto, scribentes pro creditore, cum longo superfluo apparatu allegationum transcriptarum ex plenè congestis *per Pest. in suo tract. de manutenēdo*, insistebant in regula, quod in hoc summarissimo judicio non curatur de justitia vel injustitia, sed spectatur nudum factum possessionis, rejectis omnibus exceptionibus ad petitorium, in quo illæ cum extrinsecis etiam probationibus removeri possent, & hæc sola possibilitas sufficit.

Pro hujusmodi objecto removendo dicebam, præmissa rectè procedere, quandò ipse actor ejusque defensores prudentiores fuissent non producendo instrumentum censuale tanquam suæ possessionis titulum, ad quem tanquam unicum & meliorem simpliciter producens se restringere videtur, ex iis, quæ præsertim in proposito habentur deducta *in Sabinen. exemptionis sub tit. de Regalibus disc. 47.* Ubi enim nullus possessionis titulus productus est, tunc rectè procedit conclusio, ut in hoc judicio non queratur de validitate tituli, in quo altera pars dicat possessionem fundari, quoniam rectè actori suffragatur allegatio possibilitatis alterius tituli melioris in petitorio justificandi; Idemque si titulus, de quo apparet, exhibitus esset cum suis congruis cautelis ab actore, absque restrictiva ad illum, ita ut adhuc subesset possibilitas alterius tituli compatibilis; Secus autem ubi simpliciter produxit titulum infectum, cujus vigore actus possessorios fecit; Tunc enim, quia possessio separabilis non est à sua causa, admittit omnes exceptiones, quæ adversus illam competunt *Menoch. de retinen. remed. 3 num. 639. & 683.* & benè ita distinguendo cæteris allegatis dicitur *per Rotam in una Alerien. Vicaria 26. Junii 1654. coram Bichio*, undè propterea ex aliàs insinuatis, per ora pragmaticorum, volitat monitio tarditatis in producendo, cum sæpius faciles ad id agendum cum propriis telis se confodiant, proprioque ligone percutiant.

Quandò nullitas esset omninò clara & indubitata, tunc reflectendo ad veritatem, credebam dictam distinctionem esse veram, atque in judicando recipiendam; Dubitabam vero de applicatione ad casum, quoniam licèt ex præmissis probabilius videretur pactum prædictum substantiæ census adversativum etiam de jure communi infectum esse, proindèque potius vitiare, quàm vitiari, Nihilominùs ob tot graves auctoritates in contrarium, negari non poterat dicendum esse articulum juris dubium, assimilandum proindè exceptioni dubiæ facti in hoc judicio non admittendæ; Accedente quoque dicta cautela pariter inferente probabilè dubium, an illa salvaret necne contractum cum distinctione, de qua supra, stante quod in disputatione petitorii cum extrinsecis etiam probationibus poterat sincera partium voluntas justificari, quæ sola possibilitas sufficit.

Eoque magis augebatur difficultas, quia non concurrebat talis fructuum solutorum quantitas, quod ex illis remaneret extincta sors principalis, quæ proindè, data etiam contractus infectione remanebat debenda, cum pacta usuraria non tollant debitum, neque liberent debitorem à restitutione ejus, quod accepit, undè propterea ejus coactio cum processu exequutivo ad solutionem fructuum, nullam injuriam, vel gravamen infert, quoniam ut aliàs hoc *eodem tit.* insinuatum est, intrat dilemma; Aut contractus est validus, ità ut debeantur fructus, & ita justitia ministratur, Aut est invalidus, ira ut fructus non debeantur, & nullum infertur præjudicium, sed potiùs commodum resultat debitori, ita paulatim & diminutè solvendo debitum sortis, ad quod integrum urgeri posset; Et ex hac ratione in his materiis rationabiliter executivè & rigorosè proceditur: Incertus est tamen hujus causæ exitus, cum de illa amplius actum non audierim, credo tamen quod ob difficultates hinc indè excitatas, partes concordaverint.

---

# ROMANA

## SEU

## TERRACINEN. CENSUS

## PRO

## PETRO VALLETTA

## CUM

## LAURETO DE MAGISTRIS.

*Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Laureto posteà concordatus.*

De eadem materia pacti obligantis debitorem census ad illum redimendum;

An

An & quando subsistineatur, ubi non est ad favorem creditoris, sed tertii, puta fidejussoris, vel emptoris bonorum.

*SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*
2 *De validitate pacti extinguendi censum non ingratiatus creditoris, sed tertii interessati.*
3 *Secus si sit collusivum inter tertium & creditorem.*
4 *De dicta collusionis probatione quomodo fiat.*
5 *An & quando operetur cautela protestationis contrahendi ad formam Bullæ Pianæ.*
6 *Collusionis suspicio & mali animi resultat ex simulatione personarum, & occultatione actus, Et de pluribus similibus in idem.*

## DISCURSUS XII.

1 IOANNES Matthæus & Benedictus pater & filius de Valletta, imposuerunt censum in sorte scutorum 700. ad favorem Laureti de Magistris sub accessione Rutilii Vallettæ, quem impositores promiserunt relevare indemnem, atque pro ejus indemnitate promiserunt infrà annum extinguere censum prædictum; Cumque tractu temporis, vel Rutilius fidejussor, vel Lauretus creditor pulsaret coram A. C. Petrum dictorum impositorum hæredem ad solutionem fructuum decursorum, opposuit iste de nullitate census, ex qua proindè resultabat, non solùm indebitos esse fructus, qui petebantur, sed etiam solutos imputandos esse in sortem principalem, quæ ita vel in totum, vel pro majori parte extincta remanebat. Atque ad hujusmodi nullitatem probandam, Ego & cætri pro reo convento scribentes, deducebamus pactum obligatorium extinguendi censum, quod utpotè conceptum ad tempus determinatum ac breve unius anni, habendum erat pro puro, & consequenter vitians contractum, illumque transformans in mutuum purum vel interpretativum ex eisdem auctoritatibus & rationibus, quæ habentur *in Tuscanen. disc. precedent.*

Scribentes pro creditore replicabant non esse in casu, quoniam dicta conclusio procedit, ubi pactum initum est ad favorem creditoris, in cujus facultate 2 repositum sit sortem pro arbitrio repetere, & in his terminis loquuntur auctoritates & decisiones in contrarium, secus autem ubi pactum conceptum est ad favorem tertii, ita ut creditor illud exercere non possit, sed tertio negligente sors continuet in ejus natura irrepetibilitatis, puta ad favorem fidejussoris, ut in præsenti, cujus interfit censum extingui, ut ipse ab obligatione liberetur, sivè ad favorem venditoris obligantis emptorem ad census in partem pretii accollatos intrà certum terminum extinguendos cum similibus, ex deductis *per Cenc. quæst. 60.* & alios, de quibus infrà dictam declarationem pro regula admittentibus.

Prout ego & cæteri pro hac parte scribentes eam tanquam veram & receptam admittebamus, 3 constituebamus tamen fundamentum in ejus sublimitatione, ubi scilicèt concurreret collusio inter creditorem & fidejussorem, ut sub istius nomine pactum prædictum ad favorem creditoris verè conciperetur, ut latissimè scribens in causa propria *Testai alleg. 6.* juxtà quam in eadem causa prodiit *decis. Giurb. 95.* & cæteris allegatis *Fontanell. de pactis claus. 4. gloss. 18. par. 3. numer. 10. Cenc. dicta quæst. 60. num. 53.*

Adversus hujusmodi fundamentum, de duobus per alteram partem replicabatur, Primò de cessante applicatione ad factum, in quo collusionis probatio negabatur, Et secundo de hujusmodi defectus sanatione & protestatione in fine posita, quod contractus censeri debeat initus ad formam *Constitutionis Pianæ*, cui partes declararunt se submittere.

Primum motivum totum consistebat in facto, unde propterea altercatio erat inter causæ Patronos, 4 ponderabantur tamen per illum istius partis 12. conjecturæ, quæ licèt singulæ essent imperfectæ ac leves, nihilominùs subjungebam ego, eas non singulariter considerandas esse, sed unitim cum regula, *ut singula quæ non prosunt &c.* facilius admittenda, quoties agitur de probatione collusionis, simulationis, fraudis, & usurarum ac similium, quæ in occulto committi solent, proindeque sunt difficilis probationis juxtà deducta *in Savonen. sub tit. de usur. disc. 12.* potissimè quia DD. dictam sublimitationem tradentes, præsertim *Cenc. & Fontanell. locis citatis*, non exigunt exactas & concludentes probationes, quas ratione subjectæ materiæ quodammodò impossibile est dare, sed contentantur solis præsumptionibus, quinimò suspicionibus.

Major difficultas apud judicem erat super secundo motivo, resultante ex protestatione prædicta, pro cujus exclusione seu insufficienti operatione deducebantur punctuales auctoritates de- 5 ductæ per *Testai & Giurb. locis citatis*, cum rationibus & fundamentis per eosdem ponderatis, subjungendo pragmaticorum propositionem, quod doctrinæ punctuales non habentes contradictorem, habendæ sunt pro casu legis, atque ubi illæ concurrunt, immorandum non est in regulis generalibus, *ut decis. 122. in fine par. 5. recent. decis. 721. numer. 5. par. 2. cum aliis per Adden. ad decis. 20. num. 42. par. 3. rec.*

Et ultrà auctoritates prædictas & fundamenta in eisdem deducta, ponderabam Ego magnam differentiam esse inter ea pacta, quorum infectio est accidentalis, quia nempè de jure communi & natura contractus non prohibita inficiantur solùm per dictam Bullam, cum tunc dicta cautela rectè operativa sit, & ea pacta quæ sunt contrà substantiam contractus ab ipso jure communi infecta, quoniam cum ex eis resultet præsumptus animus depravatus contrahendi, non censum sed mutuum usurarium, tunc protestatio prædicta potius augere videtur suspicionem, quodque per callidum fœneratorem illa adjecta censeatur ad fraudandas usuras ac evitandas pœnas usurariis inflictas, ut non obscurè *Gratian. discept. 141. numer. 21. cum seqq.*

Reflectendo autem ad veritatem, de hujusmodi distinctione ita simpliciter sumpta dubitabam, cum sæpius creditores sinceriss imè procedentes in confectione instrumenti censualis, subtilitatum juris ignari ad hæc non advertant, proindèque cautelam prædictam ad eorum sinceritatem ostendendam adjiciunt, Et econversò, illa vel callidè & fraudulenter ab eis adjici solet, vel frequentius præter eorum intentionem ex stylo & formulis Notariorum, ita ut totum pendere videatur a

quali-

qualitate personarum, aliisque singulorum casuum individuis circumstantiis, *ut disc. præced.*, undè propterea erroneum videatur generalem ac determinatam regulam desuper tradere, cum videatur potius quæstio facti, quàm juris.

Quando tamen in hac facti specie, conjecturæ quæ in facto per causæ patronum deducebantur ad prædictæ collusionis probationem, essent sufficientes, Tunc, cum sensu etiam veritatis, credidissem protestationem prædictam non suffragari, quinimo ex ea depravati animi creditoris suspicionem augeri, dum pactum prædictum non directè & sincerè initum fuerat ad ejus favorem, sed indirectè extortum sub simulato fidejussorio nomine alterius; Ex hac enim personæ simulata suppositione insurgit præsumptio fraudis, ac multa in jure permittuntur, quando publicè, palam & directè fiunt, quæ denegantur, ubi in occulto, & per interpositas personas, vel sub diversis simulatis actibus; Ut putà, creditor ad cujus instantiam pignora venduntur, non prohibetur illa tanquam tertius licitator directè ac publicè & palam emere, cum non debeat esse inferioris conditionis quocumq; tertio; & tamen si id faciat sub simulato nomine alterius, actus reputatur prohibitus ad effectus juris offerendi, & alios exindè resultantes ad materiam *tex. in l. Et qui sub imagine C. de distractione pignor.* ut pluries habetur in sua materia *sub titulo de credito*, præsertim *in Bonon. pro Zambeccaria*, Prout in tutore & alio administratore admittendis ad emenda bona administrata, quia pariter cum eadem distinctione proceditur; Ac etiam ubi inter conjuges sub expresso titulo fiat donatio, illa ratione juramenti hodie est valida & firma, cum juramentum suppleat defectum juris civilis juxtà magis communem & receptam opinionem, Et tamen idem juramentum nullius judicatur roboris & operationis in ea tacita donatione, quæ inesse dicitur in dote confessata, ex prædicta ratione fraudis resultantis à simulatione illius actus, qui directè ac publicè & palam fieri poterat, *ut dec. 22. & 23. post Salgad. in labyrint.* & frequenter ad materiam dotis confessatæ *sub titulo de dote*, cum similibus, de quibus in suis respectivè materiis; Sed difficultas apud me erat in facto, quod scilicèt conjecturæ, quæ ponderabantur, essent nimis remotæ & vagæ, destructæ etiam, vel satis debilitatæ à plerisque conjecturis contrariis, & potissimum à qualitate personarum, ac à subsequuta ejusdem contractus observantia, undè concordabamus cum judice in difficultate, sed discordabamus in motivo seu ratione difficultatis, causa tamen concordata fuit ut puto.

---

# ROMANA

## SALVIANI

## PRO

## HYPOLITO CAVETANO

## CUM

## CLARA RUFFINELLA.

*Casus disputatus coram A. C. seu Prælato deputato, & resolutus pro Cavetano.*

An & quando detecto contractu censuali invalido ex defectu fundi non liberi vel non capacis, debeantur nec ne creditori fructus.

Et an eorumdem fructuum cursus cesset, ubi ex eadem vel simili causa creditor pulsavit debitorem ad restitutionem sortis, atque mandatum contrà ipsum obtinuit.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Vitium litigiosi quando detur.*
3 *Cessio rei litigiosæ licita est in reo.*
4 *Dos an præferatur creditoribus anterioribus in bonis postea quæsitis.*
5 *Privilegium potioritatis dotis quando procedat.*
6 *Census impositus super fundo non capaci est invalidus & usurarius.*
7 *Declaratur creditore sciente.*
8 *Quid ubi scientia non adest ab initio, sed supervenit.*
9 *Ubi est in facultate creditoris repetere sortem, cessat cursus fructuum, & num. 11.*
10 *An scientia incapacitatis fundi ab initio cessionis obstet cessionario, quamvis illa non adfuisset tempore impositionis census.*
11 *Declaratur conclusio, de qua num. 9.*

## DISC. XIII.

IOannes Angelus & Alexander de Ruffinellis de anno 1623. imposuerunt censum scutorum in sorte 1430. ad favorem Camillæ Agazariæ super quibusdam bonis, quæ juxtà consuetum stylum asseruerunt esse libera & capacia, promittendo ulterius pro faciliori consequutione fructuum præstare cedulam bancariam, de triennio in triennium renovandam, ac etiam infrà tres annos proximos præstare fidejussorem; Et de anno 1648. Virginia prædictæ Camillæ creditricis filia & hæres censum prædictum cessit Hipolyto Cavetano, qui pro implemento nunquam sequuto præstationis novi fidejussoris, ob quod juxtà receptam *decis. Gregor.* 88. datur etiam actio ad sortem, non quidem pro repetitione, sed ad effectum deponendi, vel ita debitor tædio effectus, ne pecuniam otiosam retineat, curet implere, vel ut cum eadem pecunia fiat investimentum loco cautionis, intentavit pro sorte prædicta, ac etiam pro fructibus decursis ex interdicto Salviani immissionem in possessionem domus & vinearum, quæ hæreditaria prædictorum de Ruffinellis possidebantur per Claram, atque in hac disputatione habita coram Prælato deputato per A. C. plures articuli examinati fuerunt, Primò scilicèt super dictæ cessionis invalidirate ob vitium litigiosi; Secundo super potioritate, quam dicta Clara licèt posterior prætendebat in bonis posteà quæsitis, dum ejus creditum erat ex causa dotis; Et tertiò quod cum contractus censualis esset resolutus, seu verius detectum esset eum ab initio nõ existere, ob defectum fundi censiti de temore impositionis jam absorpti ab aliis censibus & hypothecis anterioribus, idcircò non potuerint percipi fructus qui soluti debebant in sortem imputari; Eo etiam accedente, quod ob hujusmodi defectũ creditor poterat sortem repetere, proindeq; cessavit etiã cursus fructuũ, nõ dãdorum ubi sors est repetibilis.

Super duobus primis obiectis modica disputatio habita fuit, Primum enim de vitio litigiosi tollebatur de plano, quoniam istud inducitur, nisi ubi agi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur de judicio reali rei vendicationis & ratione dominii, non autem ubi in judicio executivo, ac in ratione personali, *Apont. cons. 6. n. 14. cum seq. Surd. cons. 542. n. 12. cũ seq. Buratt. dec. 277. n. 8. dec. 173. par. 7. rec. & sæpius*, potissimè quia dispositio *textus in l. finali Cod. de litigiosis* fundatur in fraude, ac procedit in cessionibus voluntariis, secus autem in actibus necessariis, *ut per Apont. dicto cons. 6. num. 20. cum sequen.* & hic erat casus, quoniam cum Cavetanus molestatus esset ab Agazaria tanquam possessor bonorum communis debitoris, coactus fuit pro se liberando à molestiis istum priorem creditorem dimittere, atque cessionem ejus jurium reportare; Ultrà quod cessio rei litigiosæ, ex veriori prohibita est reo, non autem actori, qui ce- 3
dendo jura alteri non facit rei conventi conditionem deteriorem, potissimè ubi cessionarius non est potentior, ita ut fraudis suspicio intret *dec. 173. & 82. par. 7. rec. ubi cæteri & pluries in sua materia sub tit. de credito.*

Alterum pariter modicam habebat difficultatem, quoniam quicquid sit de articulo, an dos potiatur eo- 4
dem privilegio fisci vincendi creditores anteriores expressam hypothecam habentes in bonis postea quæsitis, in quo articulo licèt verior videatur negativa ex plenè deductis *per Gizzarell. dec. 1. & Bellon. jun. cons. 41.* qui omnibus contrariis satisfaciunt, in curia tamen, cum Rota incidenter contrarium dixerit *dec. 328. par. 5. rec. num. 5.* & cum qua pertransiit etiam *in Romana census seu Salviani 5. Maji 1655. coram Cervo*, & in aliis, de quibus in sua materia *sub tit. de dote*, idcircò ob auctoritatum, quam apud inferiores judices habent Rotæ decisiones, donec istæ revocarentur, dura provincia fuisset inducere judicem ad recipiendam priorem sententiam.

Verum difficultas omninò cessabat ex defectu applicationis ad factum, quoniam privilegium potioritatis doti attributum per *text. in l. assiduis Cod. qui potiores in pignore & in §. his consequens auth. de æqualitate dotis*, procedit in credito dotis restituendæ in bonis viri, non autem in altero dotis constitutæ & in bonis dotantis, quoniam iniquum esset si patri vel alteri permitteretur filiam vel conjunctam dotare de bonis non 5
suis utpotè affectis creditoribus *Ripa in l. privilegia num. 47. ff. de privil. creditorum Mantic. de tacit. lib. 11. tit. 26. num. 33. Gait. de credito cap. 4. num. 1592. Merlin. de pignor. lib. 3. quæst. 47. num. ult.*

Idque adeò verum, quod licèt creditor hypothecarius posterior vincat creditores chirographarios anteriores, nihilominus isti non vincuntur ab hypotheca dotali posteriori contracta per dotantem pro dote constituenda filiæ vel alteri, quoniam hic dicitur actus voluntarius importans in muliere causam lucrativam, ac etiam quia esset dotare de alieno; Solumq; in ordine ad creditores chirographarios, de hoc dubitari potest quoad jus & interesse viri voventis causam onerosam, ex iis, quæ in proposito habentur deducta in dicta sua materia *sub tit. de dote*; Quæ tamen difficultas non intrat quoad hypothecarios, quamvis solam tacitam & legalem habentes, quoniam receptum est potioritatis privilegium non competere viro in bonis dotantis ex allegatis.

Major igitur disputatio fuit super cursu fructuum census, quem rei conventi negabant ob ejusdem census insubsistentiam ex defectu fundi censiti, qui in facto justificabatur de tempore creationis jam absorptus à censibus prius desuper constitutis, unde remanebat census personalis, proindeque usurarius, ac po- 6
tius redolens mutuum ex deductis *per Cenc. q. 42. Leotar. quæst. 56. & seqq. & aliis passim.*

Scribens pro actore, non negabam hujus conclusionis veritatem, quoties creditor, ad cujus favorem census creatus est, conscius esset de fundi censiti incapacitate seu alio defectu, cum tunc verè census esset personalis, mutuum potiùs redolens; Secùs autem ubi creditor de his ignarus bona fide credidit debitoris assertioni fundum esse suum, liberum & capa- 7
cem, tunc enim quamvis revera non adsit substantia census, ita ut prætendi non possint fructus, nihilominus receptissimum est eosdem in eadem quantitate deberi tanquam damna & interesse, quoniam iniquum esset, debitorem mendacem & dolosum ità lucrum & commodum reportare in damnum & præjudicium creditoris innocentis, qui bona fide sibi credidit.

Idque verum, quamvis deindè eidem creditori supervenerit hujusmodi scientia, quoniam hæc non impedit cursum prædictorum damnorum & interesse, cum ex magis vera & recepta opinione, sufficiat eum ab initio fuisse in bona fide, ita ut dici non possit voluisse contrahere censum personalem seu mutuum usurarium sub hoc nomine palliatum, ex deductis per *Cenc. dicta q. 14. dec. 549. cum sequen. post eumdem dec. 47. num. 4. post Merlin. de pignor. in Romana vineæ 26. Junii 1651. coram Rojas* inter suas *dec. 458. num. 5. & in aliis*, atque hoc jure passim in curia vivebatur de tempore, quo hæc scribebam, licèt posteà ob Rotæ novam decisionem revocatoriam dictæ decisionis *coram Rojas* positum sit sub dubio ut *in Sabinen. census disc. 31.* advertitur.

Non impugnabant pariter scribentes in contrariũ veritatem dictæ conclusionis tunc planæ, sed de duo- 8
bus replicabant, Primò quod licèt in Agazaria creditrice non probaretur scientia incapacitatis fundi de tempore creationis census, nihilominùs de illa constabat in ipso Cavetano actore ab initio, & de tempore quo cessionem reportaverat, undè propterea inferebant, quod quemadmodum in ipso creditore scientia initio habita dictum effectum operatur, ita ex identitate rationis idem operari deberet in cessionario, qui sic dicere non potest se contraxisse cum bona fide.

Et secundò quod licèt superveniens scientia incapacitatis fundi ac nullitatis census non impediat cursum fructuum loco damnorum & interesse ut suprà, adhuc tamen, cum ob hujusmodi defectum jam detectum aperiatur actio creditori urgendi debitorem ad sortem, Et multò magis ubi creditor actionem prædictam ad exercitium jam deduxit, tunc illicò cessat cursus fructuum, qui dari non debet ad favorem creditoris, in cujus arbitrio positum est sortem repetere, ut dixit *Rota dec. 182. post Cenc.* & in aliis apud eum- 9
dem relatis in inferius allegandis decisionibus & auctoritatibus;

Neutrum tamen fundamentum, loquendo etiam cum sensu veritatis, dicebam aliquam subsistentiam habere, non quidem primum de scientia, quæ ab ipso initio concurrebat in cessionario, quoniam quicquid esset de illius probatione, quam causæ Patronus acriter negabat, illa etiam posita nullius momenti erat, quoniam cessionarius non dicitur creditor principalis, cum quo contractus ineatur, & de quo tanquam da- 10
tore pecuniæ suspicari valeat, quod censum personalem, seu mutuum usurarium sub hoc nomine palliatum facere voluerit, & quæ est unica ratio, ob quam scientia ab initio existens præjudicat, sed dicitur procurator in rem propriam creditoris cedentis, subintrãs in ejus locum & gradum, Idcircò istius bona vel mala fides in proposito spectanda est, cum in isto substantiatus esset contractus, atque ex ejus lure & persona cessionarius ejusdem contractus commodum & effectus

ctus teportet, ut in his specialibus terminis cessionarii facientis de tempore cessionis talem defectum, cedenti tamen de tempore contractus ignotum firmatur in allegata *Romana vineæ coram Rojas*, & est propositio certa, quoniam cessat prorsus ratio, quæ in proposito dubitandi occasionem præbet, cum dari non possit usura sine mutuo vero vel interpretativo, quod inter cessionarium & debitorem cessum nullatenùs considerari potest, dum inter eos non intercessit da-
11 tio pecuniæ vel alter contractus.

Quo verò ad alterum objectum, dicebam quod licèt Rota antiqua, inhærendo sententiæ *Navarr. Boccacc.* & aliorum ita senserit, Attamen maturius deindè discusso articulo à tali sententia recessit, ita ut etiamsi creditor perat ex dicta vel alia causa restitutionem sortis, quinimò etiamsi mandatum executivum pro ea obtineat, adhuc tamen donec sequatur actus retrosimilis illius restitutionis, vel saltem nisi repetibilitas sit omninò certa & in libera creditoris voluntate existens, non debet interim cursus fructuum cessare, ex ea ratione, quod multa contingere possunt, ob quæ dicta restitutio effectum non sortiatur, atque adhuc in potestate debitoris repositum est illam facere irrepetibilem, subrogando puta alium fundum æquè idoneum & capacem, quod quandocumque etiam post mandati relaxationem admittitur, *ut per Greg. dec. 295. num. 5. de Marin. resol. 195. lib. 1. Prat. obser. 28. ubi concordantes*, ideoque contrarium sæpissimè tentum fuit, atque hoc jure vivitur in Curia, ex *deductis dec. 453. post Cenc. dec. 278. par. 5. rec. Adden. ad Buratt. dec. 645. nu. 13.* & prius quando contraria opinio regnabat, benè sentiit etiam *Marescott. lib. 2. var. cap. 61. num.* 8. ac habetur plenè deductum in *Romana revivisentia censuum sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum, disc.* 81. ubi licèt sors redacta esset ad purum creditum pecuniarium quandocumque repetibile ad libitum creditoris, ita ut non daretur casus, quod impediri posset, adhuc tamen, licèt fortè patum probabiliter, fructuum cursus decretus fuit; Et quod non obstante novatione & conversione sortis in creditum dictum fuit per Rotam *in Perusina, & in Civitatis Castelli*, de quibus *hoc eodem tit. proximè infrà*, & juxtà præmissa cum justitiæ fundamento pro creditore judicatum fuit, Signatura etiam probante.

---

# ROMANA REDUCTIONIS PRO VIDASCHIS CUM BUTIIS, SEU DE VETERA.

*Discursus pro Congregatione.*

Census pertinens ad fideicommissum, An per gravatum, vel alium alienare prohibitum possit sbassari, & ad minorem summam reduci in præjudicium successoris venientis independenter & jure proprio.

*SUMMARIUM.*

1 Facti series.
2 Diminutio seu sbassatio fructuum census quod sit species alienationis prohibitæ.
3 De dispositione text. in l. adversus Cod de usur. Card. de Luca De censib par. II.
4 Quando autem dicta diminutio sit subsistentabilis etiam in prohibito alienare in censu consignativo.
5 Difficultas est in censu reservativo.

DISC. XIV.



Nnuum censum consignativum 1
redimibilem ad formam Bullæ Pii V. ad rationem scutorum septem pro centenario impositum per illos de vetera ad favorem Thomæ Giardini, Fabius filius & hæres fideicommisso gravatus, ut rem gratam debitoribus faceret, & sub assertione, notabilium beneficiorum ab eis acceptorum, reduxit ad rationem quinque, atque ita cum ipso, & primo successore continuatum fuit spatio annorum 39. Cumque successor in fideicommisso prætenderet dictam reductionem in fideicommissi præjudiciũ, ac ipsius independenter jure proprio venientis fieri non potuisse; Hinc desuper pro veritate consultus in congressũ, dicebam ultra regulam generalem, de qua sæpius in sua materia *sub tit. de fideicommissis*, ut hæredi scil. gravato vel possessori fideicommissi prohibita sit omnis voluntaria alienatio ex causa à jure non probata in præjudicium successoris independenter ab eo jure proprio venientis; In his terminis sbassationis seu reductionis fructuum census, advertebam pro fideicommissario ponderari *decisiones Seraph. 1228.* ubi in specie agitur de diminutione census absq; justa causa per Commendatarium seu administratorem non facienda in perpetuum; Et plenè deducta *per Ricc. dec. 134. par. 1.* quam refert & sequitur *de Marin. resol. 6. n. 10. cum sequen. l. 1.* ubi firmatur reductionem census ad minorem fructum sapere speciem alienationis, ideoque cadere sub *extravag. ambitiosæ*, ac fieri non posse per Prælatum, seu Ecclesiæ administratorem sine solemnitate & causa, unde proprera à simili idem videbatur dicendum in præsenti, potissimè dum ex instrumento hujusmodi reductionis parum caute producto ita ad illud restringendo suum titulum constabat id gestum fuisse ex causa merè voluntaria benevolentiæ seu gratitudinis, ob assistentiam creditori factam in longa infirmitate.

Errorem siquidem credidi hujusmodi titulum producere, stante longissima observantia annorum 39. ob quam tituli melioris sola allegatio sufficere poterat juta terminos textus *in l. cum de in rem verso ff. de usuris*, quos certum est facilius intrare in præsenti, dum agebatur non ad obligandum juxta casum dicti textus, 3
minusque ad liberandum in totum, sed solùm de moderatione graviorum fructuum seu usurarum juxtà terminos *text. in l. adversus Cod. de usuris*, ubi ad hunc effectum sola triennalis observantia spectatur; Quicquid enim sit de quæstione, an prædicti textus dispositio habeat indefinitè locum in omnibus annuis præstationibus & oneribus, ut aliquorum est opinio, vel solùm in usuris odiosis, non autem in censibus vel similibus præstationibus à jure probatis & favorabilibus, ut alii volunt ex hinc indè deductis *per Rovit. super prag. prima de censibus n. 31. & seq. Capyc. Latr. dec. 27. Costant. an l. fin. C. de fiscal. usur. Rot. dec. 304. in fin. post. Cenc. de cens. Buratt. dec. 232.*

Attamen ubi accedit non solùm triennalis juxta casũ dicti textus vel decennalis juxtà dictũ alium *text. in l. cũ de in rem verso*, sed longissima observantia tricennalis, ac ferè quadragenaria, tunc spectato etiam rigore juris canonici in rare videntur termini *text. 1. cap. cum olim de censibus cum concord. de quibus pluries sub tit. de Regalibus ad materiam monetarum*; Vel ea, quæ in jure habemus de beneplacito Apostolico vel alia solemnitate præsumpta ex hujusmodi longissima observantia resultante, etiam in iis, in quibus jus resistit, ut est in alienationibus bonorum Eccle-six &

similibus, multòmagis in iis, in quibus adeò vehemens resistentia non habetur, cum tunc sola decennalis sufficiat ex deductis *per Gabr. subtit. de præsumpt. conclus. prima*, & frequenter in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* Potissimè attenta subjecta materia ut suprà. Undè propterea regulando voluntatem à potestate, dicendum potius erat, hæredem gravatum id egisse suo jure durante, & quando de fructibus hujusmodi census utpotè ad ipsum pertinentibus liberè disponere poterat, non solum eos exigendo ad minorem rationem, sed etiam in totum remittendo.

His tamen non obstantibus sui in voto, cui cæteri adhæserunt, ut fideicommissariis consilium requirentibus non expediret hujusmodi litem assumere, ut de facto consilio acquiescendo, sequutum fuit, Tum ob non leve obstaculum dupliciter resultans ex facto, Primò scilicèt, quod dictus gravatus juxtà terminos *textus in l. Marcellus ff. ad Trebell.* censeretur ita disponendo de hujusmodi censu, illum elegisse in legitimam, aliasque detractiones, Et secundò ob qualitatem hæreditariam, quam habebant, ita ut obstaret dispositio *text. in l. cum à matre Cod. de rei vendic. & l. vendicantem ff. de evict.* ex quibus hodie receptissimum est, hæredem non posse contravenire facto defuncti, etiam pro juribus ex propria persona & independenter competentibus, nisi in certis casibus, quorum nullus erat ad rem adaptabilis.

Tum etiam quia licèt ex rationibus & fundamentis deductis *per Ricc. dicta dec.* 134. quoties durat idem census, diminutio videatur sapere speciem alienationis, Attamen in in præsenti, ob liberam facultatem debitori competentem redimendi quandocumque censum prædictum, prorsus inanis remanebat quæstio, cum damno etiam actorum, dum spectato tempore, quo hæc discurrebantur, cum magna difficultate in Urbe habebatur occasio faciendi tuta investimenta ad ipsam diminutam rationem quinque, ac etiam quatuor cum dimidio pro centenario, unde propterea nullus remanebat quæstionis effectus, dum quoad fructus decursos pro durante jure ipsius gravati, debitor plenam obtinuerat liberationem, etiamsi eos in totum ille remisisset, pro tempore autem posteriori, dum ipsi successores ad eamdem rationem exegerant, posito etiam, quod hæc exactio eis tanquam ignaris non præjudicaret in futurum, atque apta non esset firmare statum, indubitatum tamen credebatur id sufficere ad bonam fidem debitoris, ob quam consumere ac suos facere potuerit illos suorum bonorum fructus, ex quibus hanc excrescentem ratam alii às solvere debuisset.

Et sic in ordine ad censum consignativum, quoties hujusmodi reductiones non sunt ad satis modicam & inverisimilem fructuum taxam, generaliter ista quæstio inanis remanet, dum debitor consimilem summam ab aliis ad censum accipere potest ad illam verisimilem & currentem rationem reductam, atque ita censum extinguere; Quinimò juxtà distinctionem traditam *ab eodem Ricc. dicta dec.* 134. de facili potest, prævia disdicta, effingi extinctio prioris census, atque creari novus ad minorem rationem, undè videtur circuitus inanis, seu formalitas verborum.

Considerabilis autem ista quæstio est, ubi agitur de censu reservativo, juxtà casum positum *per Seraph. dicta dec.* 1228. cum tunc, cessantibus præmissis considerationibus, quæ militant in consignativo, præjudicium sit perpetuum, atque diminutio seu sbassatio veram alienationem continere dicatur, & sic termini dictæ decisionis sunt longè diversi. Atque in eisdem terminis illius census, quem jus commune præsertim canonicum cognovit, qualis est propriè reservativus, loquuntur plerique ex iis. quos cum aliquo æquivoco deducit *Ricc. dicta decis.* 134.

# PERVSINA

## CENSUS

### PRO

## MARCELLO DE ALPHANIS

### CUM

### BAPTISTIS.

*Casus decisus per Rotam pro Baptistis, postea concordatus.*

De reviviscentia census extincti vel novati mediante datione in solutum, vel sub alia conventione inita sub certo implemento, *An* scilicèt & quando ob sequutam evectionem, seu non sequutum implementum reviviscat idem census cum cursu fructuum, vel remaneat simplex creditum.

### *SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur plures casus pro dilucidatione quæstionis; An & quando detur reviviscentia census satisfacti.*
3 *Quando pro censu datur altera species, tunc ista evicta intrat reviviscentia, & de ratione.*
4 *Extinctio census non dicitur sequi per assignationem, quæ non habuit effectum.*
5 *Per restitutionem partis sortis, an census cesset in totum, vel pro parte restituta.*
6 *Vbi est in omninò certa & libera facultate repetendi sortem tunc non potest dari census vivus.*

## DISC. XV.

ANsideus sub fidejussione Alphani 1
census imposuit ad favorem Dansettæ, inter quem & Ansideum post aliquod temporis intervallum deventum est ad conventionem, quod tam pro sorte & fructibus istius census, quàm alterius, reciperet in solutum quamdam domum valoris scutorum 900. pro residuali autem summa contentus fuit assignatione fructuum cujusdam census activi pertinentis ad dictum de Ansideis fructantis ad rationem 48. singulis annis, donec & quousque de ejus credito satisfieret, sub pacto, ut quoties creditor, vel sui intra quatuor menses post lapsum cujuslibet anni, prædictos assignatos fructus non exigerent, licitum esset redire ad primæ-

primæva jura, perindè ac si contractus prædictus initus non esset; Undè facto casu pacti, quod scilicèt per aliquos annos dicti fructus exigi non potuerint, Baptisti, Danzetti interim defuncti hæredes prætendentes prioris census reviviscentiam, pro istius fructibus plurium annorum spatio decursis, pulsarunt Alphanum fidejussorem coram A.C. à quo reus convenrus, stante novatione sententiam absolutoriam reportavit, sed commissa causa *in Rota coram Cerro*, ista in contrario voto fuit, revocando dictam sententiam, & condemnando reum ad solutionem fructuum, ex fundamento dicti pacti resolutivi, per quod, cum clausula præservativa priorum jurium, exclusa remanet quæcumque novatio, quæ ita conditionaliter facta videtur, ideoque habenda infecta, ubi factus est locus conditioni resolutivæ; ut liquet ex decisione desuper edita 24. *Martii* 1664. in qua perstitum fuit in secunda disputatione habita *coram eodem Cerro* 29. *Maji* 1665. quæ secunda decisio edita non fuit, neque forsan edenda ob subsequutam concordiam, quæ controversiam terminavit.

Mihi pro Alphano reo convento scribenti, resolutio non omnino satisfecit, cumcirca istam materiam
2 reviviscentiæ census ac regressus ad primæva jura processum fortè videretur cum aliquo æquivoco, applicando declarationes & doctrinas de uno casu loquentes ad alium omninò diversum, undè in secunda disputatione, in responsione (petenti forsan ob temporis angustiam, ubi præsertim præcedit contraria resolutio non multum accuratè visa) pro hujus articuli elucidatione ac æquivocis tollendis circà auctoritatum applicationem, dicebam plures distinguendos esse casus inter se longè diversos, ac successivè erroneum videri, auctoritate de uno loquentes, alteri applicare, ob rationis diversitatem inter unum & alterum militantem.

Primus igitur casus est, ubi debitor census, in istius extinctionem, dat creditori in solutum aliquam speciem putà domum, vineam, fundum, &c. & tunc rec eptum est, ac de jure satis probabile, ut evicta hujusmodi specie, census reviviscat juxtà *decisiones* 495.
3 & 530. *post Cenc.* Non quidem ex sola ratione reservationis priorum jurium & actionum, ut ponderat *Cenc. quæst.* 108. *num.* 16. *cum sequen. & num* 19. sed ex duabus aliis melioribus, Una scilicèt, quod ubi datur in solutum species pro censu, qui dicitur etiam species potiùs quàm creditum, ita ut super eo, tanquam super fundo alter census imponi valeat, tunc potiùs dicenda est permutatio unius speciei cum altera, quàm vera datio in solutum, & consequenter evicta re permutata, de plano resultat reviviscentia prioris dominii, ac regressus ad propriam rem, quæ illius loco data fuit *juxtà theor. glos. & Bart. in l. ex sextante §. latinus largus ff. de except. rei judic. de qua Surd. decis.* 51. 113. 163. & 186. & cæteri communiter, undè propterea tali casu census interim non dicitur extinctus, sed potiùs obdormire, seu esse in suspenso pro eo tempore, quo illius emptor aliam speciem loco ipsius pacificè habeat.

Et alia ratio est, quia si loco census datur altera species fructifera, quoties ipsa evincitur, intrat favore creditoris æquitas super cursu fructuum, vel ratione prioris Census reviviscentis, vel tanquam damna & interesse, & ne ita utriusque rei fructibus carere dicatur juxta dispositionem, *text. in l. curabit C. de action. empti*, dum constat ejus animum fuisse non dimittendi censum nisi mediante altera re etiam fructifera, atque hoc est præcipuum fundamentum, cui innititur *Rota in dicta decis.* 530. *post Cenc* aliàs 278. *par.* 5. *rec.*



cum qua decisione in ista causa potissimè processum fuit.

Secundus casus est, ubi ad nullam novationem inter ipsas partes est deventum, sed solùm judex administrans patrimonium debitoris censuarii jam defecti, facit creditori aliquas assignationes ex quibus se reintegrando de pretio census, sequi possit extinctio, Et tunc cum talis assignatio dicatur potiùs pro solvendo, quàm pro soluto, illaque per creditorem acceptata censeatur jure mandati ad exigendum animo faciendi extinctionis actum saltem imaginarium, si & postquam exactio sequuta fuerit, hinc proindè dici non potest census extinctus, quatenùs assignamenta non habeant effectum, atque de isto casu agitur apud *Cavaler. decis. 71. & deais.* 106. *post Cenc.* istoque casu paritet verè non intrant termini reviviscentiæ, quia numquam sequuta est mors, seu extinctio. 4

Tertius est casus, quando facultas creditoris agendi ad sortem, non est simplex & pura, tanquam pro credito pecuniario ex innovativa partium conventione, vel alio æquipollenti actu resultans, sed est accidentalis ad alium effectum, traditionis scilicèt fundi liberi & capacis, vel præstationis cedulæ bancariæ, seu renovationis fideiussoris & similium, Et tunc dici non potest esse in omninò libera facultate creditoris repetendi sortem, quæ proindè transfusa dicatur in purum creditum pecuniarium, Tum quia hæc actio ad sortem non est ad effectum exigendi sed deponendi, ut ita debitor tædio affectus impleat vel sors investiatur loco cautionis, Tum etiam quia multa contingere possunt, ob quæ dicta repetitio locum non habeat, atque adhuc in libito debitoris est sortem reddere irrepetibilem cum illo implemento, cujus ratione actio prodicta est exercibilis, atq; de isto casu agitur etiam dicta *dec.* 530. *post Cenc. alias* 278 *par.* 5. *rec. & habetur in Romana Salviani supra disc.* 13.

Quartus casus est ille plenè tractatus *in Romana reviviscentiæ censuum sub tit. defendis ad materiam Bullæ Baronum. discur.* 81. ubi scilicèt ex pretio bonorum debitoris per Congregationem Baronum vel alium Magistratum restitutum est creditori censuario pretium sortis, sed revocabiliter cum obligatione de restituendo prioribus & potioribus, an scilicèt sequuta avocatione, census reviviscat, Et in hoc Congregar. Baronum credidit locum esse reviviscentiæ, sed contrarium probabilius videtur ex deductis loco citato, ubi fundamenta utriusque sententiæ habentur.

Quintus demum est casus controversus, ubi scilicèt ex contractu omninò innovativo, totum debitum conflatum ex sorte & fructibus transfusum est in purum creditum pecuniarium, cujus pars satisfacta sit cum datione in solutum certorum bonorum effectum sortita, & pars solvi promissa est certis statutis temporibus; Et tunc dicebam nullam urgere rationem pro reviviscentia, Tum quia incertum erat an residuum, sorti potiùs quàm fructibus referendum esset, Tum quia in ea quæstione, an per restitutionem partis sortis cesset totus census, vel substineatur pro parte, quæ remanet non restituta, licèt verior atque per Rotam recepta sit opinio affirmativa. ex ea ratione, quia tractatur de materia dividua, in qua tantam affert utilitatem totum respectu totius, quantum pars respectu partis, Nihilominus ista est quæstio voluntatis ita in dubio præsumendæ, secùs autem ubi constat de contraria voluntate transfundendi totum creditum in aliam speciem, *ut dec.* 264 *post Cenc. Merlin. decis.* 822. & 841. & *in aliis per adden. ad dec.* 454. *par.* 4. *rec. tom.* 2. & *Cenc. quæst.* 107. Et demum quia sic remanet in libera facultate creditoris reperendi sortem, neque ex parte debitoris id impediri 5

potest, cum pactum resolutivum censeatur adjectum in gratiam creditoris, & quatenùs ipse uti velit, qua facultate posita, impossibile est dare censum vivum & fructiferum, quia id repugnat essentiæ census *Cenc. dicta quæst. 107. n. 15. & 24. dec. 29. n. 28. par. 9. rec. & latius in dicta Romana reviviscentiæ censuum disc. 81. sub tit. de feud.* undè propterea regressus ad primæva jura censetur reservatus compatibiliter, pro anterioribus scilicèt hypothecis & juribus, ita ut ista per secundam conventionem non censerentur novata, atque hæc mihi videbatur veritas.

# CIVITATIS CASTELLI CENSVS PRO HÆREDIBUS PIRRI DE PAZZIS CUM JOANNE DE VITELLIS.

*Casus variè decisus per Rotam, ubi pendet.*

De eadem materia extinctionis census per novationem ejusque transfusionem in aliud creditum, ab ob non implementum reviviscat, ita ut fructus debeantur.

## *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*

2 *Verba importantia traditionem seu consignationem, an & quando illam probent sequutam.*

3 *Per probationes affirmativas & negativas hinc inde casus redditur dubius.*

4 *Non tantùm viget ratio præscriptionis per annorum decursum, sed etiam per adminicula & præsumptiones ad favorem debitoris.*

5 *De censu non vivo, ubi potest repeti sors transfusa in aliud creditum.*

6 *Intra quantum tempus debitor generis teneatur ad pretium quantiplurimi.*

## DISC. XVI.

CUm Pirrus de Pazzis esset debitor Lutii de Vitellis in censu sortis scutorum 1200. nec non in quadam societate officii, pro utroque credito tam in sortem quàm in fructum, conventum est intra certum tempus à Pirro præstari debere tantam frumenti quantitatem, quæ juxtà jam taxatum pretium adæquaret, Post longum autem temporis interstitium Joannes Lutii hæres contra Diamantem & alios Pirri hæredes mandatum executivum obtinuit ab A C pro fructibus dicti census, perindè ac si viveret, atque in primævo statu duraret, & commissa per Signaturam causa *in Rota coram Verospio* cum clausula, *Si quid exequendum*, datoque consueto dubio, *an mandatum esset exequendum, sub die* 10. *Decembris* 1649. negativa resolutio prodiit ad favorem debitoris ex eo fundamento, quod ex censu extincto non possunt amplius deberi fructus, à qua resolutione recessum fuit *sub die* 5. *Decembris* 1653. & in hac ultima perstitum fuit in alia disputatione habita *sub die* 29. *Maji* 1665. in qua solùm ego ad defensionem assumptus fui, prima verò decisio cambii 1649. est impressa *decis.* 355. *par.* 10. *rec.*

Omnium decisionum hinc indè editarum fundamentum, consistit in facto, sequutæ scilicet vel non integræ consignationis frumenti prædicti, Prima enim decisio credidit de illa constare ex verbis in scriptura conventionis contentis actualem traditionem præseferentibus, concurrentibus etiam aliquibus adminiculis & pxobationibus ex parte debitoris deductis, Aliæ verò posteriores firmant probationes non sufficere, ob exceptiones in contrarium ponderatas, Atque ad fundamentum verborum traditionem denotantium prout sunt, *dat, tradit, cedit, &c.* 2
respondetur, & in hac parte benè, quod verba prædicta tribuunt quidem facultatem apprehendendi sed non important veram traditionem, nisi de illius veritate constet *juxtà theoricam Bartoli in lege prædia ad finem ff. de acquirenda possessione Roman. consilio* 482. *numero* 2. *in fine cum sequentibus Natt. consilio* 360. *numero* 2. *Mascard. de probationibus conclusione* 298. *numero* 10. cum aliis in utraque decisione allegatis.

Quidquid autem sit de iis, quæ in nudo facto consistunt super hujusmodi traditionis probationibus affirmativis vel negativis, quæ plures hinc indè per 3
causæ Patronos deducebantur, ex quibus negari non poterat casum reddi dubium, quod sufficere dicebam pro debitore stante diurno silentio intermedio annorum circiter 25. non quidem ratione præscriptionis, ut illud ponderat *decisio* 5. *Decembris* 1653. sed in ratione adminiculi, & præsumptionis juxtà terminos textus cum ibi notatis *in lege Procula ff. de probationibus ex deductis per Affluctum decisione* 13. *Surdum decisione* 105. *Merlin. decis.* 124. *& alios.* 4

Adhuc tamen posito, quod probationes debitoris circà dictam frumenti consignationem non concluderent, ita ut dicendus esset frumenti promissi debitor, parum probabiles videbantur dictæ posteriores resolutiones, in ordine ad condmnationem ad fructus census, stante illius extinctione sequuta per formalem novationem, per quam sors unà cum fructibus & cum mixtura etiam alterius crediti transfusa est in contractum omnino diversum super debito generis, cum libera facultate creditoris repetendi quandocumque sortem, quo casu in bona juris 5
ratione impossibile videtur dare censum vivum & fructiferum, ex iis, quæ plures casus distinguendo habeantur deducta *in Perusina census disc. præcedenti.*

Clariùs verò in hac facti specie, in qua non agitur de simplici receptibilitate sortis in eadem pecunia, in qua illa tradita fuerat, sed de illius transfusione in debitum generis diversi, cujus non implementum maximum interesse debitori, & econversò notabile incrementum creditori causare potest, ob pretium quanti plurimi, ad quod, vel indefinitè intrà totum moræ tempus juxtà unam opinionem; vel intrà triennium juxtà alteram debitor generis 6
tenetur

tenetur *ad text. in l. vinum ff. si certum petatur cum concord. per Surd. decis. 81. Duran. decis. 346. Giurb. decis. 115. Rot. decis. 421. par. 9. rec.* ubi concordantes ; Durum enim, satisque improbabile videtur , ut eodem tempore dari debeat in creditore non solùm libera facultas repetendi sortem principalem ad libitum , sed etiam assequendi istud grave interesse pretii quanti plurimi ex debito generis, in quod eadem sors per expressam novationem transfusa fuit, quod interesse sæpius duplum & ultrà importare solet omnibus aliis gravius, ut frequenter experimur ob notabiles alterationes, quas frumenti pretia facere solent , quodque eodem tempore census debeat durare vivus & fructifefer, itaut debitor utrique damno subjaceat ; Et econversò creditor possit pro libito eligere duas vias omninò oppositas, & super his , quæ in dicta ultima disputatione deducta fuerunt , decisio nullum verbum, dum motivatis solet satisfacere, secus enim insequentibus disputationibus solet inculcari super eisdem, dum subsistentia videntur , & paritura bonum exitum.

---

# FLORENTINA

## LEGATI

## PRO

## HÆREDIBUS

## FERDINANDI

## DE

## CAROLIS.

*Responsum pro veritate extra Curiam.*

An sub legato stabilium veniant census, ità ut istorum fructus cedant sub dispositione facta de redditibus bonorum stabilium , Et an sub istorum nomine veniant pecuniæ investitæ super Montibus.

### *SVMMARIVM.*

1 *Casus controversiæ.*
2 *Census an reputentur tanquam stabilia, eorumq; nomine veniant.*
3 *Census imponi potest super alio censu.*
4 *Sub legato stabilium veniunt census.*
5 *Quando pro legatario amplè sit respondendum.*
6 *Pecuniæ investitæ super montibus habentur pro stabilibus.*
7 *Quod loca Montium fraternizent cum censibus , quod declaratur.*
8 *Ille annuus redditus, qui præstari solet per loca pia donec retinent pecuniam, an importet censum, & quid importet.*

### DISC. XVII.

CUM Ferdinandus in ejus testamento mandasset ex redditibus bonorum stabilium , quæ tunc possidebat, tot puellas singulis annis maritari debere, sequuta ejus morte, orta est difficultas, An sub hujusmodi legato venirent fructus censuum in hæreditate remansorum, & an venirent fructus pecuniarum , quæ post ejusdem testatoris mortem per dictos hæredes, eorum, que administratores investitæ fuerunt super Monte Florentiæ, & super hoc expetito consilio. 1

Quoad primum respondi affirmativè, licèt aliqui scribentes senserint census dici non debere stabilia, sed constituere quamdam tertiam speciem , de juribus & actionibus potiùs quàm de bonis stabilibus participantem, ex congestis *per Rotam decisione 235. numero secundo & tertio & 311. numero 15. & sequentibus par. 7. recentiorum*, ex quibus *Altograd. Senior* , & alii ad causam tanquam Advocati potius quàm ad veritatem pro hæredibus scripserant, se potissimè fundantes in speciali auctoritate *Eugenii cons. 100. lib. 1.* attamen in contrarium est magis communis & recepta , ut scilicet pro stabilibus habeantur, ut in allegata *decisione 235. parte 7. Buratt. decisione 474. numero 2. 580. numero 8. & 725. numero 3. & in aliis per Cencium de censibus quæstione 30. numero 6. Barbos. de Episcopo allegatione 95. numero 45.* 2

Undè propterea receptum est super censibus tanquam bonis stabilibus fructiferis ad formam Bullæ *Pii V.* imponi posse census ex deductis *per Cencium quæstione 31. numero 1. & sequen. Leotardum de usuris quæstione 46. numero 13. Buratt. decisione 913. numero 1. & 2. & dicta decisione 235. parte 7. recentiorum* ubi respondetur contrariis. 3

Et in specie quod sub legato stabilium veniant census *Gabr. consilio 141. numero 18. cum sequen. lib. 2. Surd. decisione 204. numero 7. Gratian. d. sceptatione 981. numero 34. Buratt. decisione 574. numero 2. de Marin. resolut. 11. lib. 1. numer. 4. Cenc. quæst. 30. num. 8.* ex quibus curandum non est de unica contraria auctoritate *Eugenii dicto cons. 100.* ex eo præsertim , quod consulentium auctoritates utpotè ad causæ opportunitatem & pecuniam frequentius sunt leves & suspectæ. 4

Fortius autem hujusmodi opinionem recipiendam esse dicebam, ex eo quod negari non poterat versari in casu dubio, in quo proindè ex duplici ratione pro legati benigna interpretatione respondendum erat , unà scilicèt, quia pro dotalibus piis subsidiis, & altera, quia hæc dispositio concepta erat in casu extinctionis hæredum sanguinis, itaut bona hæreditaria ad extraneos transitum facere deberent , undè propterea de plano intrabat propositio quod pro legatario pot ùs quàm pro hærede in dubio respondendum esset. 5

Quo verò ad pecunias post mortem testatoris investitas super Monte Florentiæ, plana erat negativa ex facto , dum legatum restrictum erat ad redditus illorum stabilium , quæ de tempore Testamenti testator possidebat, ibi, *Dell' entrate de i beni stabili, che di presente si trova haver e possedere*, sed cessante hoc facto , Ego eram in diversa sententia ab illa , in qua fuerunt aliqui ex ejusdem Curiæ Advocatis super eisdem punctis interrogati , credentes istas pecunias jure crediti regulandas esse , quoniam ut in proposito pecuniarum, quæ investitæ sint super Montibus Venetiarum , Florentiæ vel similibus , habetur sæpius deductum *sub tit. de Regalibus* ad materiam locorum Montium, 6

præsertim *in una Januen. dis.*36. receptum est apud DD. hujusmodi investimenta pro stabilibus haberi, ut per *Alexandrum consilio 16. numero 3. lib. 3. Gabr. consilio 141. numero 23. libro 2. Thesaur. junioremlib. 2. quæstionum forensium 5. in fine, Rovit. super pragmatica prima de juribus & exaction. Fiscal. numero 66. & 80. Barbos. de Episcopo allegatione 95. numer. 94. Buratt. decisione 474. numero 1. & 913. numero 10. Roia in Veneta pretii seu nullitatis contractus, 13. Novembris 1602. coram Pamphilio Viterbien. hæreditatis de Ghisiis 10. Junii 1639. coram Roias* inter suas *decisione 66. numero* 10.

Quodque isti Montes fraternizent cum censibus
7 *Leotar. quæst. 22. num. 42.* quoties tamen, ut in dicta sua sede habetur, agitur de Montibus formiter erectis importantibus juratum Principe vel Republica, in quibus verificabile sit dominium, tanquam de specie eo modo, quo in allegatis auctoritatibus & aliis habemus de locis Montium Urbis; Secùs autem ubi istud vocabulum *Mons*, est in sola nuncupatione, in effectu tamen agatur de pecunia tradita alicui banco seu Montis Pietatis, ex qua per retinentem pro ejusdem pecuniæ usu correspondeatur quoddam annuum lucrum, ut exempli gratia bancum insignis Hospitalis Sanctissimæ Annuntiatæ Neapolis, quod relinquentibus penes ipsum pecunias sub quadam specie annui redditus, correspondet fructus ad rationem
8 quatuor plus vel minùs pro centenario, ista enim conventio non importat veram locationem Montium, minusque verum censum, sivè ex Bulla *Pii*, sive etiam de jure communi, cum neque fiat constitutio pro certo fundo, neque sors sit ex parte creditoris demortua & irrepetibilis, sed continet quamdam novam speciem contractus, quem ibi dicunt *annui reditus* à censu diversi, & qui pro meo judicio de jure ad aliud referri non potest nisi ad illam speciem trium contractuum Societatis & duplicis assecurationis, quam aliqui Canonistæ, frequentius verò morales deducunt *ex tex. in cap. per vestras de donationibus inter virum & uxorem* de cujus materia *in Firmana sub tit. de usur. discursu 1.* loco interesse quod ibi sine illis requisitis, quæ desiderentur in Curia practicatur in sua materia *sub eod. tit. de usuris* pluries.

rem vel hæredem testatoris, vel potius ad donatarium seu legatarium.

## SUMMARIUM

1 Facti series.
2 Sub legato vel donatione rei àn veniant census passivi, quibus ipsa res est gravata, affirmativè in donatione.
3 Cessionarius vel donatarius hæreditatis fingitur hæres ab initio.
4 De eadem conclusione de qua num. 2. datur distinctio.
5 Census consignativus àn dicatur onus reale vel personale.
6 Census prædictus quid importet, & quale jus creditori super fundo censito quæratur.
7 Impositor census vel habens causam ab eo non liberatur, si desinat possidere fundum censium.
8 Si ex pluribus fundis censitis unus pereat, substinetur super altero, si est capax.
9 Quando census consignativus ad hunc effectum reputetur tanquam onus reale.
10 Observantia multum ad id attendenda est.

## DISC. XVIII.

OCCASIONE matrimonii contracti per patrem Camilli & Fabii de
1 Maximis, cæteri fratres eidem donationem fecerunt de omnibus bonis paternis & maternis, super quibus, vel eorum aliquibus, Laurentius unus ex donatoribus al quos census imposuerat, de quibus in donatione nulla mentio habita fuit. Cum autem sequuta morte dicti Laurentii Caetani, & alii ejus creditores in vim Bullæ Baronum, stante qualitate Baronali in dicto Laurentio concurrente, pullarent in Congregatione Baronum prædictos de Maximis possessores castrorum & bonorum ab eodem Laurentio possessorum, atque rei conventi exciperent de creditis anterioribus absorbentibus valorem bonorum, de quibus erat controversia sibi competentibus ob dictos census ab eorum creditoribus cum cessione jurium acquisitos, quodque Bulla Baronum locum non haberet in locis montium: Econversò autem actores prætendetent comprehensionem dd. locorum montium sub Bulla, ac etiam replicarent census præd ctos esse debitum proprium, tanquam impositos super bonis postea donatis. Hinc proindè assumpta super utroque puncto disputatione in eadem Congregatione Baronum; Quoad punctum comprehensionis locorum montium sub Bulla actum habetur in hac eadem causa *sub tit. de feudis ad materiam dictæ Bullæ dis.* 92.

Quoverò ad istum, àn scilicèt onus censuum consignativorum redimibilium, qui ob acceptam pecuniam super aliquo fundo impositi sunt, pertineant ad ejusdem fundi donatarium vel legatarium, vel potius ad donatorem seu testatoris hæredes; Scribentes pro actoribus potissimum fundamentum constituebant *in decis. 143. par. 5. rec. impress. etiam post Marin. resol. 12. lib. 1.* & relata *per Cenc. quæst. 79. ex num.* 19. ubi tractando materiam *text. in l. si res obligata ff. de legat. 1.* ubi DD. materiam tractant, Atque relinquendo sub dubio, an tale onus pertineat ad legatarium, attamen quatenus pertinet ad donatarium, contra istum decidi-
2 tur

# ROMANA
# PECUNIARIA DE MAXIMIS
## PRO
## CAMILLO ET FABIO DE MAXIMIS
## CUM
## CÆSARE ET ANTONIO DE CAETANIS

*Casus disputatus in Congregatione Baronum & resolutus pro Maximis.*

Census consignativi, àn importent onus reale fundi censiti, vel potiùs personale, ad effectum, An donato vel legato fundo censito, onus census pertineat ad donato-

dictur, atque cum eadem distinctione simpliciter pertransit *de Marin. loco citato*, acquiescens dictæ decisionis auctoritati.

Scribens pro reis conventis, dicebam difficultatem evitari ex facto, ideoque nulla incumbebat necessitas examinandi dictæ quæstionis veritatem, quoniam non agebatur de donatione certi fundi, super quo ipsemet donator censum prius imposuisset, ut est casus dictæ decisionis, sed donatio erat de universitate bonorum paternorum & maternorum, sub qua veniebat universum jus activum & passivum ipsorum parentum, itaut tanquam cessio dictarum hæreditatum, referenda esset ad illum prædictorum bonorum statum, in quo
3 erant de tempore quo delatæ fuerunt, perindè ac si ex tunc, reliquis fratribus illas non curantibus, solus donatarius in eis successisset juxta terminos *textus in l. 2. in principio, & § si quid publici & l. venditor ex hæreditate ff. de hæreditate vel actione vendita*; Et sic gesta per hæredem, qui hæreditatem vendidit vel cessit, antequam dictam cessionem faceret, prosunt quidem creditoribus vel aliis, cum quibus contraxit, & in quorum præjudicium talem cessionem facere non potuit, sed quoad ipsius hæreditatis emptorem vel cessionarium non habentur in consideratione, cum hic fingatur hæres ab initio, atque obtinere dicatur hanc universitatem in eo statu, in quo delata fuit, nisi expressè, vel præsumptivè de diversa voluntate constet ex iis, quæ habentur in sua materia *sub tit. de hærede*, & est juris principium certum; Hæc autem voluntas in præsenti potius excludebatur tam ex aliquibus instrumenti verbis, quàm ex qualitate donationis, quæ dici non poterat merè gratuita & lucrativa, sed potius correspectiva & onerosa, dum ejus intuitu donatarius uxorem duxerat, ac matrimonii oneribus se suppossuerat in aliorum fratrum gratiam, & pro communis familiæ conservatione, ex iis, quæ in proposito hujusmodi donationum contemplatione matrimonii pluries deducta habentur in sua materia *sub tit. de donationibus*; Et ex hoc fundamento Congregratio pro reis conventis respondit, rejiciendo actorum instantias.

Quatenùs verò ageretur etiam de donatione particulari facta de bonis, super quibus donator census consignativos imposuisset; Adhuc probabilius dicebam quod cessantibus diversæ voluntatis inditiis &
4 conjecturis, pro donatario, seu legatario respondendum esset, quoniam retenta distinctione communiter tradita *per DD. in d. l. si res obligata ff. de legat.* 1. Aut agitur de onere reali & intrinseco, quod ipsi rei donatæ vel legatæ sit infixum, prout sunt census reservativi, seu canones, & livelli cum similibus, & tunc illud transit cum ipsa re tanquam illi annexum, ejusque qualitas connaturalis & intrinseca; Aut agitur de debito seu alio onere potiùs personali quàm reali, & tunc utpotè magis inhærens personæ quàm rei pertinet ad donatorem seu testatorem ejusque hæreditatem; Quâ distinctione sic stante, decisio in proposito pender à puncto naturæ, seu qualitatis census consignativi, àn scilicèt dicatur onus magis personale vel reale.

Quoties autem agitur de censu imposito per ipsum donatorem vel testatorem seu ejus auctorem, cujus ipse sit hæres & successor universalis, ejusdem auctoris personali obligatione etiam affectus, & tunc omninò verius est esse onus personale ac spectare ad donatorem vel testatoris hæreditatem, ut plenè & doctè impugnando *dictam decis. 143 par. 5. rec. & repetit. apud Marin, ubi suprà*, probat *Ranuccius* hujus Curiæ insignis Advocatus, in ejus allegatione registrata *apud Cenc. dicta qu. 79*, itaut reproposita causa, ob difficultatem capta non fuerit resolutio, quod fortè causa fuit, ut illa controversia per concordiam terminaretur; Undè propterea sequitur illam decisionem non posse allegari tanquam talem, neque illius vim habere, ut in Rota & Curia est receptissimum.

Census enim consignativus, juxtà veriorem sententiam, contraria rejecta, non importat translationem dominii rei censuatæ, nec in toto, nec in parte, 6
minusque aliquam formalem servitutem ejusdem rei, quæ reputatur solùm subjectum necessarium census pro ejus validitate ad excludendum censum personalem, atque ad demonstrandum periculum amissionis sortis, cui creditor ex fundi censiti peremptione subjacere debet (itaut etiam super re aliena de consensu Domini prohibitum non sit censum imponi) sed solum importat respectu ipsius rei quamdam magis specialem hypothecam ex plenè deductis *per Cenc. quæst. 1. nu. 23.* & latius *quæst. 23. num. 3. cum sequen. Rota decis. 211. num. 5. par. 5. rec. & in aliis*; Igitur principaliter est onus personale, cum hypotheca sit pedissequa obligationis personalis, sinè qua stare non potest.

Hinc verius, ac in foro magis receptum est, rejecta contraria opinione, impositorem census, vel ejus hæ- 7
redem non posse desinere possidere rem censitam, neque creditorem cogendum esse illam prosequi, nam etiamsi debitor illam non possideat, dummodo sit in rerum natura, & non perierit, in actione personali cogi potest ad solvendos fructus ex deductis *per Cenc. qu. 73. num. 13. & quæst. 96. nu. 10. & sequen. de Marin. resol. 100. n. 3. & 10. cum seqq. lib. 1. Mediolanen. census 27. Junii 1646. Meltio.* & in aliis.

Prout constituto censu super pluribus fundis, si unus pereat, superstes verò sit capax, adhuc durat, & substinetur census in toto, *ut decis. 47. num. 3. post Mer-* 8
*lin. de pignor. decis. 213. num. 4. post Zacch. de oblig. Romana dotis* 11. *Februarii 1647. Bichio*, & in aliis, nam est propositio hodie recepta; Ergò dici non potest esse onus intrinsecum & reale, quia tali casu, pereunte una ex rebus, deberet pro ejus parte cessare, sed verius est actionem radicatam esse contra personam, rem autem seu fundum stare tanquam subjectum necessarium ad validitatem actus.

Uno autem casu, cessantibus diversæ voluntatis probationibus vel inditiis, reflectendo ad veritatem, 9
credebam præmissa locum non habere, Quando scilicèt ageretur de censu quamvis consignativo, occasionaliter tamen debito per donatorem, vel testatorem, quia nempè tanquam tertius possessor fundi censiti ad illius onus teneretur, itaut ex dimissione fundi obligatio cessaret, ex iis, quæ de hujusmodi causativa, seu occasionali obligatione habentur *apud Amat. resol. 21. Rot. dec. 428. n. 4. par. 1. rec Bonon. census 4. Februarii 1654. Meltio* & pluries *sub tit. de credito*, ac etiam *sub tit. de Regalibus ad materiam officiorum discurs. 8. & 9.* Tunc enim licèt hujusmodi census attenta ejus creatione, ac in ordine ad impositorem importet onus potius personale quàm reale, Attamen quoad tertium ejus debitorem occasionalem, in quo personalis obligatio non est verificabilis, censendum venit onus reale, adinstar census reservativi; Occasio tamen adhuc non præbuit istam quæstionem, vel occasione donationis, vel legati formiter disputare, cum ut plurimum id exprimi soleat; Videtur tamen causa potius facti quàm juris, decidenda ex particularibus facti circumstantiis, ex quibus ad verisimilem voluntatem inferri valeat, potissimum desumendam ex qualitate rei donatæ vel legatæ, ac respectivè ex quantitate census; Fortius verò ex subsequuta observantia, quæ in qui- 10
buscumque actibus est optima interpres, ut ponderatur

ratur in eadem *decis.143.p.5.rec.*& admittitur per dictum. scribentem contra eam *apud Cenc. dicta quæst.79.*

# ROMANA

## DIMINUTIONIS CENSUS

## PRO

## ILLIS DE MARI

## CUM

## ECCLESIA DOMUS LAURETANÆ URBIS.

*Casus disputatus coram A.C.& sopitus per concordiam.*

De censu impositio super officio Custodis unius portæ Civitatis, ac emolumentis ex hujusmodi custodia provenientibus, An cesset in toto vel in parte per hujusmodi emolumentorum cessationem vel diminutionem de mandato Superiorum, seu ex alio casu sequutam.

*SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*
2 *Diminuto fundo diminuitur census.*
3 *An infructuositas assimiletur peremptioni.*
4 *Quid ubi infructuositas adscribi potest culpæ ipsius debitoris, declaratur.*
5 *Declaratur conclusio circa damna & interesse ob impositionem super fundo incapaci.*

## DISC. XIX.

IULIUS de Mari possessor officii Custodis Portæ Salariæ, super officio prædicto imposuit censum in sorte scutorum 1800. ad favorem Castellani; Cumque de anno 1647. ob prohibitam exactionem manipulorum fœni in Urbem per dictam portam ingredientis, quam Custos, seu ejus conductor facere solebat, satis notabiliter ejus emolumenta diminuta essent, itaut prius locaretur pro annua pensione scut. 100. deindè verò pro solis scutis 30 Hinc orta est controversia inter dicti debitoris hæredes, ac domum Lauretanam Urbis Castellani creditoris pariter hæredem, super cursu fructuum à dicto anno 1647. citrà, stante superventa dicta fructuum & emolumentorum adeò notabili diminutione, itaut ex tunc esset dicti census incapax saltem in parte, & introducta causa coram A.C.

Pro debitoribus scribens dicebam, quod essemus in casu dispositionis *Constitutionis Pianæ* §. *postremò*, ubi per verba præcisa disponitur, *census omnes in futurum creandos, re in toto vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta ad ratam perire*; Undè cum census dici non posset impositus super porta materiali, quamvis ita in instrumento diceretur, Tùm quia illa materialiter considerata est res omninò infructifera, Tùm quia est in dominio, & de Regalibus Principis, sed super dicto officio Custodis, quod ex concessione Principis est in privato dominio saltem subalterno, & de sui natura fructifero ob emolumenta illi annexa, de quibus *lib.3. Statutorum cap.110.* Sequitur exindè, quod ob cessata dicta emolumenta, fundus effectus fuerat incapax dicti census saltem in parte, idque non ex culpa & facto debitoris, quo casu hic tenetur ad fructus loco damnorum & interesse, sed ex facto Principis vel alterius supremi Magistratus, quod de jure inter casus fortuitos enumeratur.

Scribentes in contrarium, adhibendo auctoritates percutientes materiam textus *in cap. propter sterilitatem extrà locati cum concord.* de quibus satis frequenter *sub tit. de locat.* & sub altero *de Regalibus* probare conabantur hujusmodi diminutionem non fuisse circa substantiam rei, sed circa fructus, dum ipsum officium, quod est causa productiva fructuum adhuc durabat, & consequenter inferebant dici non posse peremptum fundum; Verum hæc inspectio videbatur irrelevans, atque nullius effectus operativa, quoniam cessatio census in toto vel in parte non solum provenit à fundi censiti peremptione, ita ut ejus substantia in toto vel in parte chasmate pereat, sed etiam ab ejusdem infructuositate, non quidem temporanea & accidentali, sed perpetua successiva, cum Piana Constitutio, & in verbis supra registratis parificet infructuositatem peremptioni, & cum hoc sensu procedunt scribentes, ut *apud Cenc. quæst.102. num.1. cum seqq. Leotar. de usuris quæst.57. num.42. apud quos cateri.*

Major difficultas erat in eo, quod hujusmodi emolumentorum diminutio non proveniebat ex novo facto accidentali Principis vel Superiorum, per quod emolumenta aliàs competentia sublata vel diminuta essent, sed potiùs ex justa provisione pro tollendis abusibus ac impediendis illis emolumentis, quæ illicita erant, ex iis, quæ in proposito diminutionis emolumentorum officii Notariatus Ripæ habentur in *Romana affictus officii sub tit. de Locat. disc.3.* Undè propterea dici posse videbatur contra debitorem, quod ipse asserendo fundum capacem, in culpa seu mendacio fuerit, ac propterea teneretur ad damna & interesse ex iis, quæ habentur supra *disc.13.& disc. 31.* Verùm pro remotione objecti dicebam id rectè procedere ad favorem creditoris ignari in bona fide versantis contra debitorem, qui mendax ac falsus asserror dici potest, dum rectè conscius de rei suæ fructibus & redditibus onus adjecit illis incongruum, in quibus terminis, & cum utriusque dicti præsupposito concursu loquuntur omnes decernentes etiam in casu incapacitatis hujusmodi fructus loco damnorum & interesse in locis supra citatis.

Utrumque autem in præsenti cessare videbatur, ita ut, quantum in unica disputatione desuper habita videri potuerit, esset casus novus, quoniam hoc officium prius possessum fuerat ab ipsomet Castellano creditore, qui de anno 1643. illud donaverat Julio debitori, & consequenter ipse erat conscius illius infructuositatis, quam subsequens Superiorum provisio circa prohibitionem abusus declaraverat, dum hic abusus aderat etiam de eo tempore, ideoque dici non poterat introductus per debitorem, qui esset illius conscius; Atque hinc dicebam resultare dilemma, Aut enim danda erat in possessore officii scientia præsumpta sufficiens ad malam fidem, Aut non, Primo casu, si mala fides erat in debitore, erat etiam in ipso creditore ab initio, unde neque damna & interesse intrabant, Secundò autem casu, sicuti ipse creditor pro se bonam fidem allegabat, ita eadem assistebat debitori; Non habuit tamen causa ulteriorem disputationem, in

in qua maturius examinari potuerit iste punctus fortè novus, quando scilicet uterque est in statu bonæ fidei, quoniam habita unica tantùm disputatione, concordia terminavit controversiam; Probabilius tamen credebam tali casu pro cessatione fructuum respon-
5 dendum esse, quoniam data insufficientia fundi, defi-cit census, & consequenter deberi non possunt fructus tanquam ex censu; Actio autem ad damna & interesse, eatenùs intrat, quatenùs concurrat in debitore dolus verus vel præsumptus super falsa assertione capacitatis, quam ipse rectè sciebat non adesse, unde cum idem dolus seu culpa in eo ita cessaret, quia cum bona fide ac justa credulitate hujusmodi assertionem fecit, hinc proindè videbatur dictæ actioni locum non esse, cum ejus fundamentum non sit bona fides creditoris, sed mala fides debitoris, quæ tamen sola non sufficit, nisi etiam copulativè altera bona creditoris concurreret.

# ARIMINEN.

## CENSVS

## PRO

## CATHARINA A CURRU

## CUM

## CAROLO GIRONO.

*Casus disputatus in Rota, incertus est exitus, credo per concordiam.*

De materia præscriptionis seu præsumptæ extinctionis census ob longissimam cessationem ab exactione ac respectivè solutione fructuum.

### *SUMMARIUM*

1 *Casus controversiæ.*
2 *In annuis censibus non sufficit unica præscriptio, sed tot requiruntur, quot sunt anni.*
3 *Præscriptio statutaria non intrat in debito negato.*
4 *Cessante causa simulandi, ad simulationem probandam requiruntur probationes certæ & expressæ.*
5 *Quod præscriptio in censu sit penè impracticabilis.*
6 *Sors census non præscribitur, & quid de fructibus.*
7 *In annuis præstationibus aliisque juribus incorporalibus quid probandum sit ad præscriptionem.*
8 *De præsumpta extinctione census ob diuturnam non solutionem fructuum.*
9 *Negativa per quem & quomodo est probanda.*

### DISC. XX.

1 VSQUE ab anno 1603. Franciscus Gironus pro scutis 200. auri imposuit annuum censum scut. 20. similium auri ad favorem Corneliæ à Curru, cui morienti de anno 1626. successit Franciscus frater, cui pariter morienti de anno 1640. successit Catharina, quæ habita notitia hujusmodi census pulsavit Carolum dicti Francisci filium & hæredem coram A. C. pro fructibus, & obtinuit mandatum ab annis 29. citrà juxtà praxim Curiæ *de qua decis. 3. par. 8. recent.* solidius fit matam occasione disputationis habitæ *in Bituntina census coram Corrado decis. 373. num. 14. cum sequen. par. 9. recent.* in qua me scribente pro monte Labinorum creditore contra illos de Boviis dictum fuit, quod Rota & Curia sequitur opinionem Ultramontanorum contra *Bart. & sequaces citramontanos*, ut in census tanquam debito non puro sed conditionali, non 2
detur unica præscriptio, sed tot requirantur præscriptiones, quot sunt anni, atq; hoc jure vivitur in Curia.

Commissa verò causa appellationis *in Rota coram Albergato*, assumpta fuit disputatio, An & à quo tempore hujusmodi fructus deberentur, opponente debitore de dicti census simulatione ac præscriptione seu præsumpta extinctione ob adeò diuturnum silentium; Verùm pro actrice scribens dicebam hujusmodi exceptiones esse contradictorias, quoniam si census, juxtà rei conventi assertionem erat simulatus, hinc sequebatur quod nullatenus cadere poterat præsumpta extinctio, quia præsumi non potest solutum id, quod ipsemet debitor allegat nunquam debuisse; 3
Undè propterea in proposito præscriptionis statutariæ, quæ in effectu aliud non est nisi præsumpta solutio, receptum habemus illam nunquam intrare in debito negato *ut decis. 192. num. finali, & decis. 219. num. 11. post Zacch. de oblig. Dunozett. decis. 849. num. fin. & in alus frequenter*, cum sit recepta propositio, cujus veritatem cessantibus auctoritatibus evidenter comprobaret jam dicta ratio, quod præsumendum non est solutum id quod ipsemet debitor dicit nunquam debuisse.

Agendo tamen distinctè de utraque, Quatenus pertinet ad primam simulationis, facilis erat ejus rejectio, quoniam nulla dabatur simulandi causa, qua ces- 4
sante frequens est ac in foro recepta propositio simulationis probationem requiri expressam & concludentem, ideoque non admitti conjecturalem & præsumptivam, cui tantum locus est, ubi congrua simulandi causa concurrat *juxta cons. Bart. 65.* quod Rota sequitur ex deductis *per Adden. ad Greg. decis. 157. nu. 27. & ad Buratt. decis. 99. Tudertina donationis 17. Junii 1652. coram Cerro decis. 273. num. fin. par. 11. recent.* & sæpiùs, potissimè quia conjecturæ erant leves ac remotæ, unde propterea circa hunc punctum modica difficultas dignoscebatur.

Ità pariter quoad præscriptionem, quàm in censibus penès impossibile est verificari, Tum ob difficul- 5
tatem probandi continuatam negativam solutionis fructuum, Tùm quia ex tempore subducendum est illud vitæ impositoris, qui tanquam debitor conscius ratione malæ fidei ex dispositione juris Canonici, etiam in Tertis Imperii recepta nunquam præscribit, quod juxtà unam opinionem à Rota etiam receptam influit quoque in hæredem universalem saltem primum ex iis, quæ cæteris allegatis firmantur *in d. Bituntina census coram Corrado decis. 373. par. 9. recent. num. 8. cum seqq.* Ac etiam quia ex eodem tempore subducendum est illud pupillaris ætatis creditoris, quandò præscriptio omninò obdormit, ac illud ætatis minoris, quando licèt de jure currat, ubi cœpta est cum defuncto, nihilominus datur restitutio in integrum, quæ etiam conceditur majori ex clausula *si qua mihi justa causa &c.* præsertim & frequentius ratione justæ & probabilis ignorantiæ in hærede etiam primo, fortius verò in secundo vel tertio de facili præsumendæ, ita ut detractis dictis detrahendis, nullus vel satis rarus casus videatur, in quo præscriptio ex mero jure communi resultans verificetur, in debitis, præsertim juratis majo-

majorem perpetuitatem ad annos 40. habentibus ut *in d. dec. 373. num. 11. par. 9.*

Sed fortius, quia omnes hujusmodi difficultates procedunt etiam in debito puro ad creditoris libitum repetibili, multomagis ubi agitur de censu, quoniam
6 Aut tractatur de præscribenda sorte, & in ea verificabilis non est præscriptio, quæ nunquam currit non volenti agere *ad not. text. in l. finali Cod. de annal. præscript.* Sors enim tanquam demortua non dicitur debita, atque creditor ad illius repetitionem agere prohibetur; ergò de plano intrat regula prædicta; Respectu verò fructuum, in Rota & Curia, & fortè in omnibus Italiæ Tribunalibus, ut supra insinuatum est, receptam habemus opinionem Ultramontanorum *contra Bart.* quod cum non agatur de debito puro, sed conditionali, unica præscriptio non sufficiat, sed tot requirantur præscriptiones, quot sunt anni, *ut plenè dicta decis. 373. num. 14. par. 9. recent.* ubi concordantes, & sic talis exceptio suffragari potest pro annualitatibus præteritis, non autem ab annis 30. citrà juxtà opinionem, quam recepit praxis, cum de stricto jure, ubi adest juramentum, esse deberet ab annis 40.

Ea etiam respectu ipsius census ac juris exigendi fructus de præsenti, & de futuro, concurrente clarâ ratione, quod in hujusmodi annuis præstationibus seu
7 exigendi juribus incorporalibus dari non potest præscriptio nisi prævia petitione creditoris cum denegatione debitoris, ac subsequuta creditoris patientia, sine quibus utpotè loco possessionis habendis, verificabilis non est præscriptio, inter cujus requisita illud continuatæ possessionis connumeratur, unde propterea, (excepta præscriptione immemorabili vel centenaria, cujus vigore quicumque melior titulus libertatis inductivus allegari potest, & sic in proposito ille extinctionis) receptum habemus quod in hujusmodi juribus tanquam facultativis non concurrentibus contradictione cum scientia & patientia ut supra', ex solo lapsu temporis non datur præscriptio ex deductis *per Rovit. decis. 97.* ubi de jure decimandi, & sæpius in dicta sua materia *sub titulo de Decimis.*

Major igitur ac unica præsentis controversiæ difficultas consistebat in motivo præsumptæ extinctionis quandoque ob longævum silentium per Rotam admissa, *ut apud Milin. decis. 235. & in Cornetana reintegrationis 26. Junii 1641. coram Bichio Seraph. decis.*
8 *1333.* in quibus auctoritatibus scribentes pro reo convento fundamentum constituebant; Verùm replicando pro actore dicebam, quod cum extinctio frequentius per actum retrosimilem fieri soleat, non de facili admittitur ejus probatio per præsumptiones & conjecturas, ut in specie habetur *decis. 35. post Merlin. de pignor. in fine*, & admittitur in eadem *decis. Seraph.* ubi non in solo silentio, sed in plerisque aliis probabilibus conjecturis & adminiculis constituitur fundamentum.

Hinc proindè dicebam istam esse potius quæstionem facti & applicationis quàm juris, ex ejusdem facti circumstantiis decidendam, quibus attentis in proposito id prætendi non poterat, quoniam ab anno 1608. creationis census usque ad annum 1626. in quo obiit Cornelius creditor, non constabat de negativa
9 probanda per allegantem, quoties illa est fundamentum intentionis ex deductis *per Greg. & Adden. decis. 13. Buratt. & Adden. dec. 10.* potissimè quia affirmativa videtur improbabilis ex parte creditoris, ubi præsertim est hæres ignarus eorum, quæ cum defuncto gesta sunt, quoniam de communi usu, quando fiunt solutiones fructuum census vel aliarum manualium præstationum, creditor solet facere apocam de recepto debitori, qui econversò facere non solet antapocam, creditori, undè ità debitor lacerando vel occultando quietantias & apocas de recepto post longum temporis intervallum cum sola allegatione negativæ, præsertim cum hæredibus ignaris liberationem à proprio debito consequi posset; Ab anno verò 1626. non solùm probanda erat, sed etiam scientia in hærede, ut ita ex silentio, ac negligentia in exigendo deduci posset allegatæ extinctionis adminiculum, quod neque solum & de per se esset sufficiens, nisi alia quoque urgerent in idem tendentia insimul, & unitim pro judicis prudenti arbitrio consideranda; Et ex his credebam etiam cum sensu veritatis, nisi de congrua simulandi causa, vel de aliis extinctionis adminiculis doceretur, pro actrice respondendum esse, ut puto sequutum, nisi concordia controversiam terminaverit, cum ignotus mihi remaneat causæ exitus.

---

# ROMANA
# RETENTIONIS
## PRO
## SOCIETATE SANCTI ELIGII
## CUM
## ILLIS DE PIERS.

*Casus disputatus coram Prælato Iudice Commissario & pro Societate determinatus.*

An & quando creditori censuario, seu ejus cessionario competat retentio bonorum debitoris pro debito sortis principalis adversus creditores posteriores,

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Pro sorte census non datur retentio adversus creditores posteriores.*
4 *Declaratur.*
3 *Possessori rei censitæ competit jus extinguendi censum etiam invito creditore.*
5 *In concursu qui formatur in bonis debitoris defecti graduatur creditor censuarius etiam pro sorte.*

## DISC. XXI.



ASPAR Brunus auctor Societatis S. 1
Eligii emit ab illis de Vetera controversam domum pro scutis 1000. jam solutis, postea verò insurrexerunt quatuor creditores anteriores illis, qui cum dicto pretio, reportata per emptorem jurium cessione, dimissi fuerant, inter quos duo erant creditores censuarii, qui contra dictum emptorem seu Societatem ejus hæredem immissionem in vim Salviani interdicti obtinuerant pro fructibus decursis & in futurum decurrendis, unde propterea possessor, reportata jurium cessione solvit, nedum fructus decursos, sed etiam sortem prin-

principalem, quibus sequutis insurrexerunt illi de Piers immissionem ex eodem interdicto Salviani petentes tanquam pariter creditores anteriores illis, qui cum pretio dimissi fuerant, Atque Societate excipiente de retentione pro creditis anteriotibus ut supra solutis, replicantibusque actoribus quod pro sorte principali dictorum duorum censuum anteriorum utpotè irrepetibili, & quæ proindè dici non potest debitum, non competat retentio adversus posteriores volentes ex fructibus salvo ipso fundo satisfieri ex firmatis *apud Cavaler. dec. 539. num. 2. & dec. 54. nu. 8. post Mangil. de subhast.* cum quibus proceditur *dec. 93. num. 14. post Merlin. de pignor. & in aliis*, Hinc A. C. in prima instantia immissionem actoribus concessit.

Commissa vero causa appellationis Præ ato, in hoc statu ad defensionem assumptus, cum sensu etiam veritatis, dicebam injustam videri judicis primæ instantiæ determinationem, atque licitè per possessorem excipi de retentione pro dictis creditis anterioribus etiam ex causa sortis; Conclusio etenim prædicta de non danda retentione pro sorte principali, procedit ubi illa opponitur per creditorem censuarium, vel per illum, qui aliam non gerit personam nisi illam cessionarii ejusdem creditoris, cujus personam & jura tantum repræsentet, quoniam cessionarius habere non potest majus jus quàm cedens, ideoque eadem irrepetibilitatis exceptio, quæ obstat cedenti, obstare debet cessionario, atque in his terminis procedunt allegatæ deciliones, potissimum etiam fundamentum in eo constituentes, quod ibi agebatur de voluntaria cessione procurata per spoliatorem seu aliàs intrusum, ut in ejus injusta & intrusiva possessione ita se confoveret.

Secùs autem *ubi agitur de legitimo possessore rei* censuatæ jure dominii, qui licitè potuit ad ipsam rem liberandam extinguere censum etiam invito creditore censuario ex deductis *per Cenc. qu. 104. num. 7. Romana dotis 5. May 1659. coram Bevilaqua*, & sæpius, Tunc enim idem possessor, qui solvendo de proprio pretium census effectus est ejus creditor, nullatenus prohibendus venit ex cessis juribus anterioribus, retentionis beneficio uti adversus posteriores, quoniam si pro eodem credito tanquam ex facto casu evictionis ita evitatæ seu præventæ, agere poterat contra venditorem, vel etiam contra tertios possessores ejus bonorum, multomagis retentionis beneficio uti potest, quia cui datur actio, fortius competit exceptio.

Clarius verò ex ea facti circumstantia, quod venditores erant jam defecti, atque in eorum bonis formatus erat concursus, qui in Curia ex reformatione *Pauli V.* inductus dicitur per unionem trium creditorum, isto enim casu conceditur ex æquiori opinione concursus creditoris censuarii etiam pro sorte (non obstante quod teneatur, ac verior sit opinio, ut per decoctionem debitoris contractus censualis non rescindatur, eo modo, quo de particulari stylo Sac. Cons. & aliorum Tribunalium Regni Neapolitani ibi rescinditur) ut in praxi servari post alios allegatos testantur *Cenc. qu. 108 numer. 13. & Olea de cessione tit. 4. quæst. 2. num. ult.* & latius agit *Salgad. in Labyrint. par. prima cap. 19.* Ex ea clara ratione, quod licèt creditum sortis principalis sit irrepetibile, undè propterea creditor pro illa agere non potest ad effectum solutionis, rectè tamen agere potest in concursu, qui efformatur in bonis debitoris, ut creditores posteriores tot bona communis debitoris dimittere debeant, quæ sufficiant ad annuum redditum, ita ut salva sorte super eorumdem bonorum proprietate sit etiam tutus de fructibus, quod posterioribus non expedit, eisque potius esset præjudiciale, quoniam non de facili datur casus, ut bona adæquantia in valore sortem, dicantur constituere fundum idoneum ad censum, undè propterea magis creditoribus posterioribus expedit ex pretio bonorum distrahendorum, sortem in pecunia per actum retrosimilem restitui, atque ex hac ratione prodiit dicta praxis, quæ ubique communis videtur, ideoque injustam credebam actorum prætensionem & ita judicatum fuit.



# ROMANA
# EXTINCTIONIS CENSUS
## PRO
## SOCIETATE SPIRITUS SANCTI
## NEAPOLITANORUM.
## CUM
## NICOLAO DE MAZZIOTTIS.

*Casus resolutus per Vicarium pro Mazziotto.*

An & quando extinctio census fieri possit per usufructuarium in præjudicium proprietarii seu ejus, qui vocatus est, per mortem illius, ad cujus favorem sub nomine usus fructus de censu per creditorem dispositum fuit.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Usufructuarius census non potest illum extinguere.*
3 *Quando dicatur cessus seu translatus solus ususfructus formalis census, vel etiam causalis.*
4 *De justa excusatione debitoris facientis extinctionem cum eo cum quo fieri non potest.*
5 *Si duo insimul extinguant unum censum, vel vendant eadem loca montium, An unus ex eis vendicet medietatem ex persona propria.*

### DISC. XXII.

AGNES de Mazziottis domina ratæ census scutorum 600. assequendi à Societate Spiritus Sancti, volens ingredi Monasterium, donavit usum fructum ratæ scutorum 300. Lauræ Emiliæ, & Portiæ Clarici sororibus, monialibus, cum reciproca inter eas, eisque morientibus succedere voluit Silviam alteram sororem tunc innuptam, cui eodem tempore donavit alteram ratam scutorum 300. dando huic facultatem se dotandi cum dicto censu etiam in proprietate, dictaque Sylvia sine filiis decedente, voluit in omnibus scutis 600. succedere Ascanium & Nicolaum ejusdem Agnetis fratres; Volens autem dicta Societas integrum censum, quem in majori summa cum istis Mazziottis habebat extinguere, dictam primæ ratæ scutorum 300. extinctionem fecit cum præfatis Laura Emilia & Portia Clarice Monialibus, seu earum procuratore; Verùm dicto Nicolao ut supra substituto

prætendente extinctionem esse malè factam, Hinc orta est lis coram Vicario seu ejus Locum tenente, qui condemnavit Societatem ad solutionem fructuum, ex eo fundamento, quod juxta magis communem opinionem relatam *per Cenc. qu. 109. num. 64. cum seq.* & quam uti probabiliorem, sequitur Curia, extinctio census fieri non potest cum usufructuario absque interventu & consensu proprietarii, ex ea clara ratione, quod usufructuarius non dicitur habere rei dominium, cum ususfructus importet servitutem, ob quam proprietarius pati tenetur, ut usufructuarius sua manu fructus percipiat & advertitur *in Senen. sub tit. de servit. ad materiam usus fructus disc.* 57. ubi an extinctio fieri possit cum proprietario solo.

Scribens pro Societate, quamvis more Advocati deducerem aliquas auctoritates *ab eodem Cenc.* relatas, ad probandam validam extinctionem cum usufructuario, Agnoscendo tamen id non esse de facili in foro substentabile, admittebam difficultatem esse considerabilem, quando ageretur de usufructu formali, ita ut dictæ mulieres, cum quibus extinctio facta erat, revera non haberent nisi servitutem ut suprà, dominio autem & proprietate penès alterum residente; Verùm cum aliquo etiam sensu veritatis, dicebam non esse in casu, quodque licet instrumentum donationis in verbis exprimeret, ratam prædictam istis monialibus donari in usufructu, Nihilominus attenta substantia dispositionis, dici non poterat quod ex tunc, & ab initio Nicolaus & Ascanius substituti essent donatarii proprietatis, ut juxta magis communem & receptam opinionem habemus in ultimis voluntatibus in eo, qui post mortem uxoris institutæ in usufructu vocatus fuit, quia dicitur hæres ab initio ex deductis *apud Merlin. dec. 505.* aliàs *dec. 22. par. 6. rec. & in aliis de quibus sub tit. de fideicommissis*, & in altero de detractionibus, quoniam prædicti fratres vocati erant sub omninò incerto & eventuali casu mortis, non solum dictarum Monialium, sed etiam Silviæ alterius sororis, & quatenus ipsa decederet sine filiis, præsertim quia huic expressa facultas data erat dandi in dotem ipsum censum ejusque substantiam seu proprietatem, unde propterea illud nomen seu vocabulum *usus fructus*, referendum erat ad causalem magis quàm ad formalem, dum in jure receptum est ex præsumptionibus seu verius simplici usufructu formali non congruis, sub eo etiam proprietatem venire *ad text. in l. Proculus ff. de usufructu, ubi DD. de quibus latè Menoch. lib. 4. præsumpt. 133. Buratt. & adden. dec. 24. & 44. Castill. de usufructu cap. 30.* unde propterea dictum usus-fructus vocabulum adhibitum fuit gratia demonstrandi intentionem donatricis, ut donatio non egrederetur Monialium vitam, & nè census perpetuò transiret ad Monasterium.

Et quamvis non levem difficultatem mihi inferret consideratio, quod proprietas ita donata diceretur prædictæ alteri sorori innuptæ, substitutæ sine illa conditione eventuali mortis absque filiis, cum qua dicti fratres ultimo loco vocati erant, dum ista conditio in monialibus incongrua erat; Et fortius, quia donatrix dictæ puellæ expressam dederat facultatem dandi in dotem etiam proprietatem, undè remanebat expressum, quod hæc esset proprietaria; Nihilominus difficultas cessabat ob istius præmortientiam cum dispositione ad favorem earumdem Monialium, neque actori substitutio suffragari poterat, dum ea concepta erat post mortem omnium.

Et nihilominus dicebam ex præmissis sufficere id reddi probabiliter dubium, ita ut justè Societatis & Ecclesiæ Administratores credere potuerint censum cum dictis primis donatariis potuisse extingui, cùm hoc sufficiat, si non ad veram ac præcisam extinctionem, ad legitimam tamen exceptionem seu excusationem, ob quam Ecclesia contendens de puro damno possit se tueri adversùs agentem de lucro ad iteratam solutionem, cum favorabilior sit causa liberationis, præsertim favore Ecclesiæ seu corporis inanimati sub aliena legali administratione viventis ex deductis *per Giurb. decis. 79. num. 20. Salgad. in labyrint. par. 2. cap. 9. n. 115. cum sequen.* Et in specie census extincti cum eo, quem debitor probabiliter judicavit credi totis mandatarium, quamvis revera & in stricta juris censura non esset talis, fuit dictum *in Avenionen. Pecuniaria 15. Januarii 1648. coram Dunozetto* inter suas *decis. 786.* ac habetur deductum *in Romana Census pro Domo Professa Societatis Iesu hoc eodem tit. disc. 24.* ubi tamen hoc motivum difficultates patiebatur.

Præterea incongruam dicebam actoris petitionem pro fructibus, dum adhuc casus suæ vocationis non venerat stante superviventia unius ex dictis Monialibus alteri præmorienti substitutæ; Adversùs quam exceptionem replicabat actor veniens etiam tanquam dictæ superstitis mandatarius, exceptionem prædictam suffragari posse quoad solam medietatem spectantem ad ipsam viventem ex persona propria, secùs autem quoad alteram in eam obventam ex novo jure substitutionis, fundando hujusmodi prætensionem *in duabus decisionibus Rotalibus editis in Romana locorum montium 19. Ianuarii 1662. & 23. Ianuarii 1664. coram Ninot*, quarum casus est, quod duo fratres possidentes quædam loca Montium subjecta fideicommisso, illa in solidum vendiderunt tertio cum vinculo eis annexo, ut frequenter practicatur, unoque defuncto alter ex venditoribus superstes jure reciproci fideicommissi ad ejus favorem aperti medietatem dd. locorum montium vendicabat, & Rota pro eo respondit, non obstante promissione evictionis, ex ea ratione, quod hæc esset evictio ex natura rei de jure non præstanda, quodque in effectu quilibet ex dictis fratribus jus propriæ vitæ in propria portione vendiderat juxta communem usum contractationis hujusmodi locorum montium vinculatorum; & de quibus decisionibus habetur actum *sub tit. de Regalibus discurs. 31.*

Replicabam tamen casum esse omninò diversum, neque decisiones prædictas applicari, cum rectè procederent, quando ageretur de venditione seu cessione translativa, quam cum suo vinculo dictæ Moniales fecissent de censu adhuc vivo & durante, secùs autem ubi ipsæmet afferentes se dominas cum facultate recipiendi extinctionem, istam fecerunt per actum retrosimilem recipiendo pecuniam, tunc enim esset allegare propriam turpitudinem, ideoque obstabat exceptio doli, quodque in omnem eventum Societati debitrici competebat retentio istorum fructuum durante vita dictæ Monialis, pro se reintegrando de illa rata sortis, quam ipsamet indebitè habuerat; Quamvis autem dicta responsio cum hac præsertim ultima consideratione esset nimis evidens, atque in proposito conferrent deducta *in Romana locorum Montium de Paneſis sub tit. de regal. d. disc. 31.* Adhuc tamen apud judicem remansit difficultas ob allegatas decisiones, cum incredibile sit quantam impressionem faciant decisiones vel doctrinæ, quæ punctuales videantur, non distinguendo, an faciant ad casum nec nè, Atque hæc est major angustia, quam in Curia patiuntur illi professores, qui scientificè ac per principia student, Undè decrevit contra Societatem, sed appellatione interposita, commissa fuit causa cum clausula translativa, & pendet nisi concordata sit ut credo.

ROMA-

# ROMANA
# FIDEICOMMISSI
## DE ALICORNIS
## PRO
## CORNELIA ALICORNA
## CUM
## JOANNE ANTONIO RUSCA.

*Casus decisus per Rotam pro Cornelia.*

De valida vel invalida extinctione census facta cum hærede gravato in præjudicium vocatorum ad fideicomissum.

*SVMMARIVM.*

1 *Casus controversiæ.*
2 *Census extingui potest cum hærede gravato seu possessore fideicommissi, sed declaratur.*
3 *Licèt fructus usurarii extenuent sortem ipso jure, quando tamen id limitetur favore tertii.*
4 *De alio casu indebita extinctionis census non servata forma præscripta in instrumento ob interesse tertii.*

## DISC. XXIII.

1 VARIAE habitæ fuerunt inter istas partes controversiæ, tam super purificatione fideicommissi, quàm super detractionibus, præsertim verò super extinctione cujusdam census, quam Rusca fideicommissarius prætendebat per debitorem Corneliæ auctorem malè factam esse cum Enea hærede gravato, suamque prætensionem actor fundabat in decisionibus editis *in Romana fructuum census 22. Junii 1646. coram Cerro confirmata 30. Maii 1653. coram eodem*, ubi contra Monasterium S. Petri ad Vincula debitorem consimilis census ad istud fideicommissum pertinentis, deciditur pro actore tanquam fideicommissario super invalida extinctione facta cum eodem Enea, ob non servatam formam in instrumento censuali præscriptam restituendi sortem non liberam, sed vinculatam in monte Pietatis, non solvendam nisi ad effectum investiendi ad commodum fideicommissi.

Quamvis enim recepta propositio sit, censum validè extingui posse cum hærede gravato, neque debitorem censuarium teneri esse sollicitum de investimento, vel dissipatione pecuniæ restitutæ, cum sufficiat actum esse gestum cum legitimo possessore, sibique imputet fideicommissi ordinator, cur minùs fidelem administrationem suæ hæreditatis deputaverit ex deductis *per Cenc. quæst. 109. num. 58. cum sequen. & alios*, de quibus in eisdem decisionibus, *& in Romana Census 15. Junii 1654. coram Buchio; Camerinen. dotis Ecclesiæ 9. Maii 1653. Meltio*, & in aliis, nam est propositio ubique recepta.

2 Attamen id fallit, quando in ipso instrumento adjecta est lex, juxta quam restitui debeat pretium pro extinctione, tunc enim si eadem lege spreta debitor pecuniam liberè creditori restituit, ad iteratam solutionem tenetur, atque hoc jure vivitur, ita etiam ipsa naturali ratione docente, cum aliàs gravatorum dissipationibus consuli non posset, neque possent practicari cautelæ investimentorum pretii in venditionibus, ui in proposito multiplicorum habetur *in Romana fructuum sub tit. de regalibus disc. 23.*

Idque adeò verum, quod etiamsi fructus tanquam indebitè soluti de jure venirent imputandi in sortem, illamque ipso jure extenuarent, nihilominus si sors vinculata est ad favorem alicujus tertii, vel ratione fideicommissi, vel ratione evictionis ut supra, tunc dicta 3 imputatio non intrat, sed jus remanet ei, qui indebitè solvit repetendi ab eo, cui solutum est, firmo remanente debito sortis pro jure tertii *ut in Romana Salviani 20. Martii & 19. Junii 1651. coram Veross.* quarum secunda est 175. *num. 7. part. 11. recent.*

Scribens pro Cornelia rea conventa, non negabam præmissorum veritatem; quoties factum assisteret, quia nempè in instrumento census tale vinculum adjectum esset, sed difficultas tollebatur ex facto, quoniam instrumentum censuale hujusmodi legem adjectam non habebat, ideoque non ex eo, quod Rota ad favorem ejusdem fideicommissi in consimili censu ita judicasset, sequebatur ita in omnibus aliis censibus ad idem fideicommissum spectantibus judicandum esse, dum id non provenit à regula generali juris, sed à natura pactorum & facti circumstantiis.

Dicta verò conclusio de invalida extinctione census non servata forma adjecta pro cautela & indemnitate tertii, canonizata etiam fuit me scribente pro hæredibus Marchionis Francisci Ursini *in Romana census. Martii 1669. coram Buorlemont:* quoniam cum pro 4 dote Matris dicti Francisci Neapolioni ejus patri constituta esset dos scutorum 5. m. in pecunia sub pacto & vinculo investimenti; atque ex his data essent ad censum scuta 3. m. illis de Matthæis cum dicto pacto ut in casu redemptionis sors deponi deberet in S. Monte Pietatis vinculata ad effectum investiendi pro cautela dotis, dictoque pacto neglecto sors eidem Neapolioni restituta esset liberè, Hinc assumpta disputatione, an constaret de valida extinctione, responsum fuit negativè ut supra, & meritò, quia ob interesse tertii non poterat dicta forma sperni, cum aliàs investimentorum cautelæ omninò inanes, ac fatuæ remanerent.

Et licèt scribentes pro debitoribus insisterent in propositionibus generalibus, quod rectè solvitur proprio creditori, atque fit distractus cum eo cum quo est contractus, neglectis etiam cautelis, & vinculis quæ per creditorem remitti potuerunt, Attamen id rectè procedit in præjudicium ipsius creditoris, qui potest ejus juribus & cautelis renunciare, ac habentium causam ab eo, in quibus terminis procedunt dictæ propositiones, ac authoritates quas desuper habemus, non autem in præjudicium tertii pro cujus cautela & indemnitate hujusmodi pacta, & vincula adjiciuntur, atque hæc videtur certa veritas.

* * *
* *

*Card. de Luca De censib. par. III.*

# ROMANA

## CENSVS

PRO

DOMO PROFESSA SOCIETATIS JESU

CUM

CAROLO ET FRATRIBUS DE GENTILIBUS.

*Casus variè per Rotam decisus, postea concordatus.*

An extinctio census validè fieri possit cum eo procuratore, cum quo creatus fuit, & & qui etiam ad fructuum exactionem deputatus erat.

*SUMMARIUM*

1 *Facti series.*
2 *Quæ regula tenenda sit in deferendo decisionibus & doctrinis, & quomodo judex debeat se gerere.*
3 *Distinguuntur plures casus super quæstione, An rectè distrahatur cum eo, cum quo contractum est, & an census benè extinguatur cum eo procuratore, cum quo est constitutus.*
4 *Ex quibus censeatur quis constitutus procurator cum generali administratione.*
5 *De mandato præsumpto.*
6 *Dissicta facienda est principali creditori, vel procuratori speciali.*
7 *Ianuenses præsumuntur diligentes.*
8 *De solutione facta hæredi vel Prælato putativo, aut alteri cui justè credi potuit, an assequatur liberationem.*
9 *In concursu culpæ procuratorum, seu administratorum hincindè, quæ sit magis excusabilis.*
10 *Sæpè resultationes capi solent ex motivis ignotis etiam ipsis victoribus.*
11 *Quare aliquando in decisionibus ponantur motiva parum ad rem facientia, & de regula, cum qua decisiones attendi debent,*

### DISC. XXIV.

1 CUM Januenses soleant pecunias in satis notabili quantitate implicatas tenere in Urbe, in locis montium, officiis, ac etiam in censibus & cambiis, prout occasio præbet, habeantque proinde in eadem ut plurimum propriæ nationis correspondales, qui tanquam eorum procuratores ac negotiorum gestores, eorum negotia gerunt, tam circa ipsa investimenta, quàm etiam circa exactionem fructuum, & alias occurrentias, Hinc Joannes Andreas Gentilis, habens in Urbe correspondalem Paulum Hieronymum Mambillam pariter Januensem rationem bancariam exercentem, isto mediante plures ac notabiles pecuniarum summas in diversos effectus investire consuevit, ac præsertim de anno 1647. Domus Professa Societatis Jesu ad commodum dicti Joannis Andreæ, mediante persona dicti Mambillæ tanquam ejus procuratoris, imposuit censum scutorum 180. auri in auro stamparum pro sorte scut. similium auri 4. m. servata in omnibus forma præscripta per Constitutionem *Pii V.* juxta quam, prævia extrajudiciali denunciatione loco dissictæ ac integra solutione fructuum, de mense Augusti 1651. illemet procurator, qui censum imposuerat, eumdem extinxit per actum retrosimilem restitutionis sortis in æquivalenti summa quam dicta domus ab alio habuit ad censum sub minoribus fructibus, Cumque deinde Mambilla defecisset, Gentilis autem assereret de dicta accepta sorte, ac fructibus non fuisse reintegratum; Hinc prætendens censum esse malè extinctum, pulsare cœpit dictam Domum Professam pro solutione fructuum decursorum, atque vigore obligationis cameralis in instrumento censuali adjectæ mandatum executivum ab A. C. obtinuit, à quo commissa causa appellationis *in Rota coram Meltio* cum clausula, *si quid exequendum, sub die 13. Junii 1656.* prodiit resolutio dictæ domui favorabilis super denegata mandati executione, ex fundamento validæ extinctionis census; qua posita certum est fructus amplius non currere, atque in eadem resolutione perstitum fuit in secunda disputatione habita 4. *Iulii* 1657, Deindè verò concessa iterum audientia sub die 10. *Februarii* 1659. recessum fuit à decisis cum fundamento invalidæ extinctionis utpotè factæ cum persona non legitima non habente sufficiens mandatum procuræ, atque in hac resolutione perstitum fuit in alia disputatione habita 31. *Maii* 1660. ita ut adessent in causa duæ decisiones pro quolibet ex contendentibus, in quo statu reproposita causa, cum ob votorum discrepantiam capta non esset resolutio, id ansam dedit concordiæ, quæ liti finem imposuit.

Dictarum decisionum hincindè editarum potissima fundamenta respectivè consistunt magis in facto quam in jure, super verbali scilicèt interpretatione mandati procuræ, ac intelligentia verborum & clausularum, quæ in eo continentur, an importarent solam facultatem exigendi fructus, ut actor prætendebat, ac duæ posteriores decisiones firmant, vel etiam importarent facultatem recipiendi sortem, ac extinguendi censum, ut erat prætensio rei, & firmant duæ priores sibi favorabiles decisiones.

Quoverò ad ea, quæ juris sunt, tota disputatio erat super quæstione, An deputatus ad contrahendum, censeretur etiam deputatus ad distrahendum, ac super intelligentia seu applicatione illius conclusionis, quod rectè solvi possit ei, cum quo est contractum, deducendo plures auctoritates, & præsertim aliquas *Rotæ decis. impress. post Cenc.* juxtà casuum contingentias, validam, vel invalidam extinctionem firmantes, ut ex eisdem decisionibus hincindè editis liquet, majorem operam utriusque partis defensoribus cum improbo labore constituentibus juxta modernum damnab lem pragmaticum stylum in consarcinando auctoritates & decisiones eorumque verbalem sensum examinando.

Scribens pro debitore contendente de liberatione, quamvis ut eidem abusui satisfacerem, laborarem quoque super auctoritatibus ac decisionibus cumulandis, nec non super mandati verbali intelligentia & 2
interpretatione; Dicebam tamen incongruum videri ad hujusmodi quæstionis veridicam decisionem indagandam, super præmissis immorari, Cum enim

auctoritates præsertim Consulentium & Decisionantium, fundamentum constituant in singulorum casuum particularibus ac individuis circumstantiis. Hinc prorsùs vanum pro meo judicio videtur easdem attendere pro regula generali, perindè ac si essent verba legis, sed solùm capi debent pro norma; & dilucidatione intellectus, ad effectum congruè ac legaliter regulandi & metiendi individuas facti controversi circumstantias, ob quarum, etiam levem differentiam; sæpè contingit, ut in uno eodemque juris articulo diversimodè judicandum sit; itaut decisiones vel aliæ auctoritates in suis casibus veræ, ad illum controversiæ indebitè applicentur; Undè propterea mea est consuetudo dicendi, totam judicantis vel consulentis peritiam consistere in applicando congruè activa passivis, cum de reliquo, quilibet satis mediocris litteraturæ otio abundans, revolvendo libros, quorum tantam copiam habemus, de facili magnum auctoritatum cumulum facere valeat; sed punctus est in applicatione, & an faciant ad propositum necnè. Atque ex hoc resultat tam frequens æquivocorum usus apud modernos, qui transcriptorum potius quàm Doctorum partes gerendo doctrinas in confuso confarciunt, non distinguendo casus & terminos, in quibus respectivè loquuntur, sed est abusus absque remedio, undè illa sunt verba ad Corinthios.

Hinc proindè in hac facti specie, pro eruenda veritate, conciliandisque auctoritatibus, quæ hincindè deducebantur, dicebam plures casus distinguendos esse, dictaque distinctione attenta; probabiliores videri has partes rei conventi super valida extinctione; Primus enim casus est, ubi agitur de illo procuratore, qui 3
principali præsente, vel modica distantia absente, ad unum negotium explicandum deputatus est, puta ad creandum censum, alia successiva facultate sibi non attributa; Sivè ubi ejus deputatio concernit nudum factum exactionis fructuum censuum, aliorumque redditiuum & effectuum, prout sunt illi; quos vulgò dicimus exactores, & isto casu admittebam ex hujusmodi facultate non inferri ad illam recipiendi sortem principalem, ac extinguendi censum, atque in his terminis loquuntur *decisiones 831. Seraph. & 463. Merlini repetit. decis. 528. post Cenc.*

Alter casus est, ubi quis absque mandato redacto in scripturam, censum pro alio acquisivit, quia nempè habens sui principalis pecuniam in manibus, ex ejusdem commissione oretenus data eam in census acquisitionem investierit; & hic est propriè casus positus *per Cenc. quæst. 109. num. 46.* in qua auctoritate consistere videbatur potissimum fundamentum actoris ac posteriorum decisionum pro eo editarum; Tunc enim quia hæc persona à creditore expressè approbata non fuit, neque suorum bonorum administrationi præposita, dum non constat nec justificari potest actum gestum esse de præcedenti mandato, quod solùm ex rati habitione desumitur, Hinc proindè cessat illa præsumpta voluntas mandantis, in qua fundatur *text. in l. filius C. de pactis. & in l. quod servus Cod. de solut.* ex quibus utrobique *DD. congesti per Surd. cons. 43. sub num. 2. & cons. 229. num. 8. cum sequen.* desumunt, an illi, cui commissus est contractus, censeatur etiam, necnè commissus distractus, unde propterea dicebam *Cenc.* non improbabiliter in dicto casu per eum exemplificato loqui, sed non benè ad præsentem applicari.

Tertius demum casus est, ubi agitur de illo procuratore, qui principali longa distantia absente, omnia ejus negotia gerere, totumque patrimonium seu assem in loco possessum administrare solet, tam circà ea, quæ concernant contractum vel distractum sortis, quàm circa exactionem fructuum, ita ut talis mandati exercitium, generalis institoriæ, ac negotiorum gestionem importare dicatur, cum notabili successiva observantia, Et tunc dicebam non intrare auctoritates vel rationes primum & secundum casus supra exemplificatos percutientes, cum hic non jure simplicis procuratoris ad unum actum vel unum negotium regulari debeat, sed jure institoris ac generalis administratoris juxtà terminos *text. in l. 1. de institoria actione, & dicta l. filius Cod de pactis cum concord. per Rotam Januen. dec. 14. Burat. & Adden. dec. 85. & 239.*

Et hic est propriè casus, de quo agit *Castrens. cons. 20. lib. 2.* in cujus ac sequacium auctoritate se fundant duæ priores decisiones debitori favorabiles, idque non obscurè admittitur *apud Seraph. dicta decis. 831. num. 6. & sequen.* in qua fundantur duæ posteriores; Excitata enim difficultate, quod idem procurator consimilem fecerat extinctionem; unde inferebatur ad quamdam generalem administrationem, evitatur solùm difficultas ex facto, quod scilicèt dictus actus subsequebatur post decem & septem menses, unde non poterat ab eo desumi argumentum, quoniam priora influunt in sequentia, non autem econversò.

Neque adversari videbantur deducta per *Surd. decis. 229.* ubi de consimili curatore seu generali administratore, & in qua auctoritate magnum pro actore fundamentum constituebatur, quoniam apud eum non disputatur de extinctione per veram & effectivam solutionem per actum retrosimilem; sed de simplici confessione de recepto seu acceptilatione, quæ posito etiam sufficienti mandato ad exigendum, procuratori vel institori, seu alteri administratori de jure non conceditur.

In hoc ultimo casu dicebam verè ac propriè nos versari, quoniam Mambilla non erat simplex mandatarius destinatus ad fructuum exactionem, ita ut exactoris potiùs nomen mereretur; Minusque procurator specialiter deputatus ad unum negotium tantùm explicandum, sed habebat generalem institoriam ac administrationem omnium negotiorum, quæ dictus Gentilis in Urbe gerebat, dum in facto probabatur, ipso principali approbante, plures alias censuum; seu cambiorum extinctiones aliasque contractationes activas & passivas fecisse circa ipsas sortes principales, eas recipiendo, vel respectivè dando, Undè propterea ex hujusmodi observantia duo resultabant bonum jus debitoris satis comprobantia, Primò scilicèt interpretatio verborum & clausularum; quæ continentur in mandato, & de quorum significatione adeo disputatum fuit, ut constat ex decisionibus hincindè; cum data ambiguitate intret receptissimum axioma in foro quotidianum, ut omninò deferendum sit observantiæ tanquam optimæ interpreti, & cujus interpretatio talis est, quod etiam verborum proprietati prævalet; Et secundò resultat mandatum præsumptum; quod non dubitatur etiam per præsumptiones & conjecturas induci, facilius verò in eo, qui solitus est hujusmodi personam gerere, atque alia mandantis negotia explicare, ut in specialibus terminis extinctionis census factæ cum procuratore præsumpto firmatur *in Avenionen pecuniaria 15. Januarii 1648. coram Dunozetto* inter suas *decis. 786.* Et generaliter *Afflict. decis. 308. num. 6. decis. Genuæ 14. num. 4. Gratian. discept. 677. num. 24. & 26. & sapius sub tit. de credito*, & sub altero *de contractibus.* 4

Ea etiam accedente præsumptione verisimilis voluntatis principalis creditoris, ut prædictus ejus minister seu correspondalis hujusmodi facultatem haberet; Si enim esset simplex exactor fructuum carens facultate recipiendi sortem, certum est, quod cum eo fieri nec potuisset, nec debuisset discepta facienda 5 6

principali vel ejus legitimo procuratori habenti facultatem recipiendi sortem, ac retrovendendi censum ex deductis per *Cenc. quæst.* 103 *num.* 23. unde propterea stante absentia principalis, disdicta prædicta fieri potuisset in eadem Urbe per diligentias, atque absque eo quod dictus principalis aliquam notitiam haberet, fors ad formam Bullæ *Pii* deponi debuisset in monte Pietatis, ibique diu otiosa remanere, quod verisimiliter dicendum est nolitum fuisse per dictum principalem virum diligentissimum, ac non solitum tenere pecunias otiosas, quæ præsumptio generaliter militat
7 in quocumque Januense, ut advertunt *Rovit. cons.* 103. *num.* 10. *lib.* 2. *& Rota dec.* 594. *num.* 23. *par.* 5. *rec. & in Romana pralensorum cambiorum* 30. *Aprilis* 1655. *coram Dunozetto* inter suas *decis.* 962. *n.* 7.

Præterea dicebam, saltem negari non posse, satis probabiliter ex verbis mandati, ac observantia & aliis, de quibus supra, debitorem potuisse cum optima fide credere illum mandatarium, cum quo initus erat contractus, potuisse facere distractum, quod controverti non poterat, dum ex duabus prioribus decisionibus constabat idem Rotæ Tribunal id credidisse; Quo posito cum favorabilior sit causa liberationis, quæ benigniorem interpretationem recipere debet, exinde sequitur, solventem ex justo errore ac proba-
8 bili credulitate ei, qui judicabatur habilis ad solutionem recipiendam, assequi liberationem, quamvis in stricto jure talis facultas non adesset.

Ut de solvente hæredi, seu Prælato putativo, vel simili latè post antiquiores ab eis allegatos *Giurb. dec.* 79 *n.* 20. *Salgad. in labyrint. par.* 2. *cap.* 9. *num.* 115. *cum pluribus sequen. Rota apud Merlin. decis.* 463. aliàs 374. *par.* 5. *rec. num.* 40. *cum sequen.* Etin terminis magis proximis extinctionis census factæ cum eo, qui justè credebatur legitimus procurator *in dicta Avenionen. pecuniaria* 15. *Ianuarii* 1648. *coram Dunozetto* inter suas *dec.* 786.

Fortius, quia non agebatur de solutione facta ab ipsomet principali debitore, seu voluntario ministro per ipsum deputato, quo casu dici potest sibi imputandum esse, cur minus diligens fuerit in investigando legitimam ac sufficientem facultatem ejus, quem scie-
9 bat non esse principalem creditorem, sed alieno nomine actum facere, dum agebatur de Ecclesia seu loco pio pernecessè sub aliena legali administratione vivente, undè quando ejus administrator malè se gessisset, ita ut ageretur de concursu culparum in utriusque partis mandatariis & ministris, tunc in hujusmodi concursu condonandum potius videbatur culpæ Religiosi administrantis bona Domus Professæ, quàm alteri, Tum quia culpa Mambillæ erat in committendo redolens dolum positivum, illa verò hujus Religiosi erat in omittendo; Tum etiam quia Domus Professa contendebat de majori damno & præjudicio; Et demùm quia inæquali concursu, potior est conditio rei & debitoris agentis ad liberationem non gratuitam sed correspectivam cum solutione verè sequuta, quàm creditoris agentis ad condemnationem, ac duplicatam ejusdem debiti solutionem, cum rectè sibi objici possit, cur opera minùs fidæ & dolosæ personæ uteretur, Atque excusabilis videatur dictus Religiosus administrator sequutus illius personæ fidem, quam idem creditor continuato plurium annorum spatio, ac in longè gravioribus negotiis generaliter probaverat.

Quamvis autem, reflectendo etiam ad veritatem,
10 hæc viderentur convincentia, ita ut si de causa forensi, atque ignotis personis ageretur, pro hac parte omninò responderi debuerit, Nihilominus quia sæpè prodeunt causarum resolutiones, Vel ex motivis & causis, de quibus *Apont. decis.* 34. *in fin.* Vel ex aliis quæ ipsismet victorum Advocatis ignota, per judices excogitari solent, ut advertit *Rovit. decis.* 49. *num.* 13. Atque aliqua saltem de facto urgebat difficultas ob dicti Mambillæ decoctionem præfato actui proximam, ex qua Tribunal suspicionum concipere potuit de aliqua collusione, qua sive malè sive benè concepta, satis durum est cum solis juris regulis ac propositionibus judices in propriam sententiam trahere; Hinc proindè me & aliis hujus partis Advocatis consulentibus, ad honestam concordiam deventum est, qua mediante præsens controversia finem habuit; Undè edocemur, quàm periculosum sit cum solis decisionibus vel consiliis in consimilibus controversiis in judicando vel consulendo procedere, cum frequen- 11
ter resolutiones ex aliis ignotis probabilibus motivis prodeant, sed quia non expedit ea patefacere; idcircò ad resolutiones colorandas aliquæ legales conclusiones prudenter adaptantur, malè tamen capiendæ pro determinatione generali attendenda in aliis causis, in quibus illæ circumstantiæ non concurrant; Ideoque in Decisionibus vel Consiliis ponderandus est totus casus, factaque comparatione omnium circumstantiarum hincindè, videndum est, an congruat casui seu controversiæ, ad quam allegantur, necne, adeo ut in applicatione totum consistat.

---

# TVDERTINA

## CENSUS

### PRO

### BONAVENTURA COSPANO

### CUM

### ROSCETTIS ET ALIIS.

*Casus variè decisus per Rotam*

Malè extinguens censum non servatâ formâ in ipso instrumento censuali adjectâ favore tertii, cujus cautela solam sortem principalem respiciat, An teneatur ad illa interfuria, ad quæ tertius actionem habet contra creditorem, cum quo census extinctus fuit.

*SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*

2 *Conclusio ut extinctio facta non servata forma instrumenti super restitutione sortis vinculata non valeat, quando procedat.*

2 *Investimentum pretii rei empta pro cautela emptoris, an fiat de ipsius dominio sequuta evictione.*

4 *Emptori debentur etiam fructus pecunia soluta evincere volenti rem emptam, evictionem praveniendo.*

5 *Æquitas* l. curabit *habet locum etiam favore emptoris.*

6 *Census malè extinctus fingitur durare & vivus etiam pro cursu fructuum favore tertii.*

7 *De damnis & interesse debitis etiam pro censu, pro quo alias non currant fructus.*

DISC,

## DISC. XXV.

ANTONIUS Cospanus auctor Bonaventuræ, de anno 1603. emit à Paulo Petro Accursio quasdam terras pro pretio scutorum 940. ex quibus ex pacto investiti fuerunt scuti 509. in annuo censu scutorum 40 impositi per Nicolaum Roscettum ad favorem venditoris, cum pacto adjecto pro cautela emptoris, ut in casu extinctionis requiri deberet ejusdem emptoris vel suorum præsentia & consensus, ad effectum, ut pecunia denuò investiretur loco emptionis pro evictione; Cumque de anno 1611. factum esset judicium super dictis terris, emptor litem denunciavit, non solùm hæredibus venditoris præmortui, sed etiam Roscetto census impositori, curando etiam ad abundantiorem cautelam sibi per judicem inhiberi, nè sortem & fructus irrequisito ipso emptore solveret; Verùm hoc non obstante de anno 1620. ad extinctionem per actum retrosimilem restitutionis sortis cum integra solutione fructuum processum fuit, undè propterea emptor, qui imminentem evictionem præveniendo, ut illam evitaret, scura 700. solverat, de anno 1648. pro ejus reinteg ratione obtinuit ab A. C. contra dicti Roscetti hæreditatem & bona mandatum exequutivum, tam pro sorte quam etiam pro fructibus usque tunc decursis, perindè ac si census extinctio sequuta non esset; Verùm commissa per Signaturam causa appellationis *in Rota coram Taja*, cum clausula, *Si quid exequendum*, sub die 14. *Februarii 1659.* resolutum fuit mandatum esse exequendum, non ad effectum solvendi sed deponendi, deindè verò repropositâ causâ *sub die 9. Martii 1664.* reformata fuit prior decisio, decernendo dicti mandati exequutionem pro sorte principali tantùm ac fructibus decursis à die sequestri seu inhibitionis usque ad diem extinctionis, non autem ab indè citrà, atque in hac posteriori resolutione perstitum fuit in alia propositione sub die *Maji 1685.* ex eo fundamento, quod post census extinctionem ad formam Bullæ Pianæ jam sequutam, nulli currunt amplius fructus, qui deberi non possunt ex censu jam extincto, ac amplius in rerum natura non extante.

Nil refragante invalida extinctione ob non servatam legem in ipso contractu favore tertii adjectam, ob cujus spretum actus habetur pro infecto juxta decisionem in *Romanna fructuum census* 22. *Junii* 1646. & 30 *Maii* 1653. *coram Cerro, de quo in Romana fideicommissi de Alisornis disc.* 23. quoniam dicunt posteriores decisiones, id rectè procedere, ubi cautela respicit ipsius census dominium, atque ille tertius, cujus favore adjecta est, futurus sit dominus, ut est in casu dictarum decisionum, in quo agebatur de censu spectante ad fideicommissum, liberè non extinguendo, cum hærede gravato vel fideicommissi possessore; Secùs autem ubi ius tertii est ratione crediti, & pro cautela pretii consistentis in sola sorte principali, quia tunc sufficit istam remanere salvam cum condemnatione debitoris ad iteratam solutionem, perindè ac si impleta lege contractus, eadem sors tute depositata fuisset, hoc enim impedire non poterat facultatem extinguendi cum directo, ac aliàs libero census domino & creditore.

Et quamvis alter doctus ac senior Advocatus pro hac eadem parte scribens, prætenderet quod facto casu evictionis, investimentum prædictum transiisset in dominium emptoris, pro cuius cautela illud factum erat, undè propterea ex tunc ad ejus tanquam domini favorem fructus currere cæperint, allegando in id auctoritatem *Gizzarell. dec. 29. num. 19.* Attamen hoc motivum cum justitiæ fundamento rejectum fuit, utpotè nullam habens probabilitatem, casus enim *Gizzarelli* est diversus, ut ex lectura, atque in præsenti emptor pro evictione passa remanebat solùm creditor quantitatis, species verò empta ex pretio pro cautela emptoris dicitur de dominio venditoris, cujus commodo vel incommodo accedit augmentũ vel diminutio, ut in specie consimilis investimenti habetur *dec. 232. par. 8. rec.* & non semel *sub tit de feudis* ad materiam Bullæ Baronum super illis investimentis, quæ fiunt per creditores in loca Montium, quoties dare nolunt vel non possunt cautionem de non restituendo prioribus & potioribus, vel in casu evictionis &c.

Quare in ultima præsertim disputatione, in qua ob alterius verè insignis Advocati obitũ solus scribebam, duas constituebam inspectiones, Unã circa creditum Cospani emptoris cum Accursio venditore, ac principali debitore evictionis, quid scilicèt contequi deberet, an solam summam de proprio solutam evincenti, ut evictionem evitaret, vel aliquid plus; Et secundò, posito isto credito etiam pro fructibus in ea summa, pro qua mandatum relaxatum fuerat, an pro eo actionem haberet contra censuarium tanquam debitorem debitoris.

Quoad primam, cum pecunia soluta evincenti vim habeat veræ evictionis, seu fingatur pretium solutum re non habita *ad text. in l. si servus venditus* §. *cum igitur ff. de evict.* cum concordantibus plenè deductis *dec. 387.* & *390. par. 5. recentior.* ac habetur in sua materia *sub tit. de empt. & vendit* præsertim *in Romana Salviani pro Duce Bonello*. Exindè resultare dicebam, non solum debitum in sorte principali pro ea summa, quæ evincenti soluta fuerat (in quo casu erat extra controversiam, ac firmatur in causæ decisionibus) sed etiam in fructibus recompensativis, qui in judicio evictionis reficiendi sunt, ut per *Leotar. de usur. quæst. 36. n. 16. & qu. 56. n. 16* & supponitur *apud Burat. dec. 240. n. 9.* Et in terminis specialibus fructuum illius pecuniæ, quæ per emptorem præveniendo evictionem soluta est evincere volenti *Fab. de Ann. cons. 15. n. 17.* ubi dicit ita decisum per Sac. Consilium; Et generaliter quod æquitas *leg. curabit C. de actio. empti* procedat etiam favore emptoris *Surd. cons. 101. n. 26. in fine, Magon. dec. Lucen. 17. n. 31. & 34. Duran. dec. 34. n. 32. Greg. & Add. dec. 347. n. 7. & 18. Leotar. de usuris q. 27. n. 54. cum seq.*

Firmato igitur credito emptoris contra venditorem, etiam in fructibus recompensativis, ita ut contrà ipsum principalem si adessent bona, non dubitaretur de mandati executione, Dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, pro eisdem actionem competere contra dictum debitorem censuarium, non tanquam directum debitorem fructuum census, sed tanquam ad damna & interesse ob non servatam legem contractus, perindè ac si census duraret, atque debitor fructus non solvisset, quoniam cum in odium malefacientis actum, ille habendus veniat prò infecto, ex iis, quæ in his specialibus terminis extinctionis census factæ spreta lege conventionis adjectæ pro jure & interesse tertii habentur in allegata *Romana fructuum census coram Cerro*, ubi allegantur *Gratian. discept. 45. num. 28. & sequen. Cenc. de Cens. qu. 59. num. 37. & cæteri*, sequitur exindè, quod sicuti si census duraret ac extinctus non esset, actori competeret hæc actio contra censuarium ad fructus decursos, sive etiam idem actor de illis reintegrati potuisset de sorte per dictum debitorem restituta, quam curasset illicò investiti in alios census vel effectus fructiferos, ita ad hæc teneri debere ex eisdem rationibus, ex quibus in allegatis decisionibus *coram Cerro* favore succes-

soris in fideicommisso contra debitorem non solùm decernitur debitum sortis principalis, sed etiam illud fructuum à die petitionis; Et licèt in hujus causæ decisionibus dicatur casum esse diversum, cum fideicommissarius succederet in censibus hæreditariis jure dominii, Attamen videtur parum tuta responsio, cum proportionabiliter eadem ratio utrique casui conveniat, unde propterea dictæ decisiones attendendæ videbantur potius in ratione quàm in dicto, cujus tamen contrarium ex moderni sæculi malo fato semper servatur.

Dupliciter enim dicebam emptorem hujusmodi actionem ad damna & interesse habere contra talem censuarium, quia dupliciter deliquerat, spernendo scilicet legem contractus, ac alteram legem præcepti judicialis, quarum utraque de per se sufficit ad annullandam solutionem aliàs factam ac fingendam eam tanquam infectam, Primò quia si pecuniam deposuisset, ac tertium interessatum inrerpellasset, ut tenebatur, iste illicò procurasset pecuniam investiri, ut ita ex fructibus investimenti de suis fructibus recompansativis reintegrati posset, seu illum sibi deliberati. Et secundò probabilius, quia idem emptor justè credens censum adhuc durare, ac sciens debitorem tanquam specialiter inhibitum à judice non posse solvere
7 fructus, ita se credidit tutum atque neglexit ab aliis venditoris bonis se reintegrare, seu alias diligentias adhibere; Et sic stant simul, censum attenta veritate extinctum esse, atque nullos fructus deberi tanquam census, & tamen eosdem fructus deberi per fictionem tanquam damna & interesse; Adinstar eorum, quæ pluries *hoc tit.* habentur de fructibus census impositi super fundo incapaci, vel post illius evictionem cum similibus, quoniam illi deberi non possunt per veritatem, qua attenta nullus adest census, sed benè debentur per fictionem tanquam damna & interesse, cum hac differentia in casu præsentis controversiæ, quod hujusmodi damna & interesse non debentur ad eamdem rationem, ad quam fructus census conventi fuerant, ut in dictis aliis casibus, sed solùm ad illam rationem, quam fructabat ipsa res empta, quæ frequentius solet esse minor, ut in præsenti de facto erat, & ad quam proportionem fructuum ipsius rei venditæ taxari solent fructus recompensativi, ac ita debitor relevebatur, nam fructus census erant ad rationem octo pro centenario, & hujusmodi fructus recompensativi seu damna & interesse petebantur ad solam rationem quinque juxtà taxam legalem desumptam *ex gloss. in auth. perpetua Cod. de Sacrosanct. Eccles.* quoties de contraria veritate non constat, ut pluries habetur de hujusmodi fructibus recompensativis *sub tit. de usuris*

* * * *
* * *
* *
*

# CAMERINEN.

## CENSUS

PRO

## HIERONYMO MELIORATO

ET CONSORTIBUS

CUM

## GINNESIO PETRELLA.

*Casus disputatus coram A. C. incertus est exitus.*

An & quando depositum sortis principalis dicatur benè vel malè factum pro extinctione census, ita ut ejus periculum cedat damno debitoris, vel respectivè creditoris.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Circa dictam an habeamus certam formam, & quid sufficiat ut dicatur bene facta.*
3 *Quid circa depositum sortis restituenda.*
4 *Deponere non est solvere, & quando debitor deponendo liberetur.*
5 *Depositum malè factum validatur per ratihabitionem.*
6 *Quando etiam sine contumacia rectè deponatur.*
7 *Extinguens censum cum Tutore vel Prælato, an consequatur plenam & tutam liberationem.*

### DISC. XXVI.

DOrotheus Rotellus debitor cujusdam census consignativi per ipsum impositi ad favorem Ecclesiæ, cujus erat Rector Ginnesius Petrellus, prædium vendidit Blanchino sub conventione, ut pretium erogari deberet in extinguendis ejus debitis, inter quæ aderat iste census, undè propterea idem Dorotheus dictam fecit præfato Petrello Rectori in forma, sed in fine bismestris per Constitutionem Pianam præscripti, non citavit juxta consuetam formulam ad recipiendum statuta die & hora solutionem, eoque non comparente vel non curante illam recipere ad videndum mandari deponi, cum solùm de facto pecunia deposita fuisset penes montem Pietatis Terræ Sancti Ginnesii, de quo erant partes; Quo depositio sequuto, illoque dicto Rectori intimato, ejusdem montis officialis de dictis pecuniis deposuit eas mutuando sub usuris per mutuatarium præfato Rectori præstandis loco illorum fructuum, qui aliàs percepi debuissent ex censu, in quem eadem pecunia investiri deberet, prout de facto per aliquod tempus mutuatarius solvit dictas usuras officiali montis, qui eas solvit dicto Rectori; Sequuta verò dicti officialis morte forsan non solvendo, detectoque etiam minus idoneò mutuatario, Hinc Rector prædictus pulsare cœpit debitorem census, seu Melioratũ ejus successorẽ, vel bonorũ possessorẽ, prætendendo quod ob dictam seu respectivè depositum

depositum malè factum, census haberetur pro adhuc vivo & durante, & introducta causa coram A. C.

Scribens pro reo convento, ex particularibus facti circumstantiis dicebam, non improbabiliter pro eo respondendum videri, saltem quatenùs dictus Rector esset solvendo, ita ut ab eo magis culposo Ecclesia reintegrari potuerit; Disdicta enim erat bene concepta, cum super ea non habeamus in jure præscriptam certam formam, ideoque concipi potest eum quibuscumque verbis vel modis, ex quibus declarata remaneat voluntas debitoris redimendi censum, creditori benè explicata, *ut dec. 276. n. 1. & dec. 277. n. 8. & 9 post Cenc.* cum aliis apud eumdem *quæst. 107. nu. 25 Anconitana census 15. Martii 1660. Taja Romana Census 28. Martii 1664. Priolo.*

2

Prout circà depositum, pariter certa forma non habetur, sed principaliter inspicitur, an ita conceptum sit, quod remaneat irrevocabile, ita ut non sit in

3

libito debitoris illud reassumere, sed econversò liberum sit creditori depositatam sortem quandocumque rehabere, ut *decis. 276. num. 1. & decis. 296. num. 2. post Cenc. in d. Romana Census coram Priolo §. sit enim sortis depositum* & conferunt, quæ circa formam pecuniæ numeratæ in creatione census præscriptam habentur *hoc eodem titulo* deducta super censu creato cum cedula bancaria, istam distinguendo à simplici ordine, ex dicta diversitatis ratione abdicationis dominii pecuniæ à debitore, ac respectivè libertatis habendi pecuniam quandocumque, uni, vel alteri competentis

Sola difficultas remanebat in eo, quod non præcessisset citatio ad recipiendum solutionem pro certa

4

die & hora, ex eo quod deponere non est solvere, neque debitori licitum est ex abrupto debitam pecuniam depositare, sed solùm id conceditur in creditoris contumaciam, ex qua à lege subintellectus censetur ejusdem creditoris consensus, quod pecuniam ad formam Pianæ Constitutionis deponatur, undè hujusmodi contumacia cessante, illud non suffragatur ex deductis *per Cenc. qu. III.* atque ad aliud propositum impediendi cursum fructuum dotalium habetur *in Romana fructuum dotis de Portaritis seu Magdalenis sub titulo de dote.*

Hæc autem difficultas, quæ aliàs in solo puncto juris solida & inevitabilis esset, in hac facti specie tolli videbatur, ex ea circumstantia, quod Rector, cui solvendum erat, habens stante intimatione certam

5

notitiam dicti depositi, illud ratum habuit, dum à depositario seu mutuatario ad aliquod tempus considerabile, (ut per causæ Patronum supponebatur) exegerat fructus investimenti, ita concorditer dilati in gratiam tertii, cui pecunia per depositarium mutuata erat, undè propterea quamvis depositum fuisset malè factum per ratihabitionem, attamen remanebat sanatum ex firmatis apud *Surd cons. 585. num. 30. cum seqq.* cujus auctoritate idem firmavit *Rota in dicta Romana fructuum dotis 28 Ianuarii 1661. coram Verospio*; Idque observabam videri certum ex ea ratione, ex qua ob creditoris contumaciam ut suprà depositum licitum & validum reputatur, ob præsumptam scilicèt seu intellectam creditoris voluntatem à contumacia resultantem; Si enim ista præsumpta ficta voluntas sufficit, multò magis sufficere debet ratihabitio, quæ de jure æquiparatur mandato, atque majorem dictæ voluntatis expressionem continere dicitur, dum fundatur in facto ejus, de cujus voluntate agitur, & sic in veritate potiùs quàm fictione.

Fortius autem præmissa procedere dicebam attenta subjecta materia, dum non agebatur de censu privato, ita ut creditor oblatam sortem restituendam tanquam propriam & liberam recipere, atque in alios sibi benè visos usus convertere posset, in quibus terminis verè procedit dicta conclusio de non deponendo nisi prævia contumacia in recipiendo ut suprà, sed agebatur de censu debito Ecclesiæ, cujus sortem Rector ad liberam dispositionem non habebat, sed tanquam destinatam in investimentum bonorum stabilium vel censuum, benè custodire tenebatur, ut denuò investiretur, ita ut hujusmodi pecunia dicatur vicem bonorum stabilium habere, cadens sub dispositione *extravag. Ambitiosæ*, ut in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. in genere*; Tunc enim cessante ratione conclusionis, illa etiam cessare videtur, atque subjectæ materiæ magis congruum est absque dicto inani circuitu directè fieri id quod eo etiam servato fieri deberet.

Potissimè ob interesse debitoris censum extinguentis, ita se magis tutum & certum deliberatione reddentis; In extinctione siquidem censum pertinentium ad pupillos, quàm cum tutore fieri contingat, controversum est apud DD. An illa facta sine decreto judicis ac pecuniæ vinculatione in manibus tutoris, liberet nec ne debitorē, Et licèt magis communis esse videatur affirmativa, stante quod non agitur de alienatione voluntaria, sed de actu necessario, quem sufficit explicare cum legitimo administratore, Nihilominùs in subsidium, atque tutore existente non solvendo, satis dubitari potest, an ex beneficio restitutionis in integrum succurratur pupillo super regressu adversus debitorem, de quo proindè in jure habetur, quod solvens tutori sine decreto, plenam non autem plenissimam liberationem obtineat, ex deductis in his terminis censualibus *per Cenc. quæst. 109. num. 8. cum seq. & num. 13.* Cumque Ecclesia inter cætera ejus privilegia istud obtineat, ut reguletur jure minoris vel pupilli, satis probabiliter dubitari potest, ut id quod habetur de debitore ita solvente tutori, locum quoque habeat in eo, qui solvit Prælato seu Rectori, & consequenter rationabilis, quinimò laudabilis & necessarius fuit modus ut supra tentus deponendi; Cum autem unica tantùm informatio desuper habita fuisset absque communicatione jurium alterius partis, defuit huc usque occasio maturius veritatem desuper indagandi, stante quod controversia restringebatur ad factum, in quo scribentes pro actore negabant perceptionem fructuum, ex qua ratihabitio deducebatur; Cumque ex parte rei probaretur per aliquos testes, prætendebatur, vel ratione singularitatis, vel ob alias exceptiones eis deferendum non esse.

* * * *
* * *
* *
*

RO-

# ROMANA

## EXTINCTIONIS CENSUS

PRO

## PP. B. JOANNIS DEI

CUM

## FERRINIS.

*Causa pendet in Rota.*

De validitate vel invaliditate depositi sortis facti post elapsum bimestre in Bulla *Piana* præscriptum.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Facto validè depositio census remanet extinctus & debitor liberatus.*
3 *Ad dicti depositi validitatem requiritur fieri cum decreto Iudicis.*
4 *Impedito non currit tempus, quod conjungendum est sublato intermedio impedito.*
5 *De impedimento Sedis Papalis vacantis.*
6 *Impedimentum proveniens à facto Iudicis, vel culpa partis excusat etiam si aliàs non sit excusabile.*
7 *Observantia seu acquiescentia creditoris dicitur habere speciem approbationis depositi.*
8 *Concurrente æquitate, pro validitate depositi respondendum est.*

### DISC. XXVII.

1 VOlentes PP. Hospitalis S. Joannis Colabitæ redimere duos census in sorte seutor. 2. m. impositos de annis 1639. & 1640. ad favorem illorum de Ferrinis, fecerunt dissidiam in forma sub die 10. Novembris 1654. atque sub die 6. Januarii 1655. imminente lapsu bimestris fecerunt solitam citationem ad recipiendam sortem unà cum fructibus decursis pro certa die & hora, aliàs videndum mandari deponi; Cumque dicta citatio caderet sub die octava, & sic bimestre adhuc durante, casus dedit, quod sub die 7. intermedia contigit mors *Innocentii Decimi*, undè propterea ob novenniales exequias tanquam in diebus feriatis omnia Tribunalia siluerunt, atque prima dies juridica, in qua lectæ fuerunt citationes, cecidit sub die 19. ejusdem mensis, in qua Judex decrevit juxtà consuetam formam, deponi, nisi pro certa die & hora intimandis creditores receperint, Cumque intimatio facta fuisset pro die 21. atque statuta hora creditores non comparuissent, factū fuit depositum, illudq; etiam eisdem creditoribus intimatum, prout abundando in cautelis eisdem creditoribus sub die 11. præcedentis notificata fuerat protestatio de dicto impedimento, quodque ipsi debitores non expectato judicis decreto prompti erant pecuniam solvere.

Post lapsum verò plurium annorum, creditores prætendentes dicti depositi invaliditatem & successivè continuatum cursum, pulsarunt dictos PP. coram *Vicario*, à quo prodiit sententia reorum absolutoria, à qua commissa per appellationem causa *in Rota coram Otalora*, & dato dubio,, an *census sit extinctus.*

Pro debitoribus scribens, affirmativè dicebam respondendum esse stante integro depositio cum decreto judicis competentis facto prævia dissidicta & creditoris cōtumacia *ad text. cum ibi notatis in l. obsignatione Cod. de solut. & l. acceptam Cod. de usuris cum concord. per Cenc. quæst. 111. num. 52. cum sequen. Romana fructuum dotis* 28. *Ianuarii* 1661. *Verospio, Romana census* 28. *Martii* 1664. *Priolo* & passim, cum data validitate depositi, casus remaneat extra dubitationem, quæ solum cadere solet circa ipsius depositi validitatem vel invaliditatem, ita ut quæstio sit magis facti quàm juris, undè propterea in præsenti difficultas restringebatur ad punctum prætensæ invaliditatis depositi, ex eo quod illud ad formam Bullæ Pianæ sequutum non esset infrà bimestre. 2

Sed cum aliquo etiam sensu veritatis, reservato tamen maturiori judicio, quando in causæ disputatione alterius partis fundamenta videantur, credebam difficultatem non subsistere ex eo quod ad depositi validitatem necessarium decretum judicis competentis ut ad litteram probant *text. in d. l. obsignatione Cod. de sol. & l. 4. §. condemnatum ff. de re judic.* & firmant communiter DD. congesti *per Conc. quæst. 111. num. 26. & sequen. Giurb. dec. 38. num. 6. Prat. observ. 25. num. 3.* & habetur deductum *in dicta Romana fructuum dotis sub tit. de dote.* 3

Qua decreti necessitate concurrente, imputandum non erat debitori, cur infra statutum terminum depositum prædictum sequutum non esset, ex regula, quod impedito non currit tempus, ut in specialibus terminis impedimenti resultantis ob Sedem Papalem vacantem, *Seraph. dec. 362. num. 2.* & generaliter probat *text. in l. quibus diebus ff. de condit. & demonstr. cap. imputari de reg. jur. in sexto & l. finali Cod. de annal. præscript. utrobique scribentes*; Quodque sublato intermedio impedimento conjungenda sint tempora *Rovig. pragm. 1. de pact. de retrovend.* ubi concordanter potissimè dum supetvento impedimento, debitores omnem adhibuerant possibilem diligentiam etiam superabundantem, denunciando creditoribus impedimentum notorium, quod removeri non poterat, eosque requirendo ad recipjendam pecuniam, undè propterea oblatio quamvis verbalis in proposito vim realis habere videbatur, dum hæc fieri non poterat. 4 5

Clariùs verò, ita ut ex hac circumstantia omnis penitùs difficultas cessare videretur, quoniam casuale superventum impedimentum non percutiebat utramq; partem, ita ut dici posset species casus fortuiti, cujus damnum sentire debet ille, qui tenebatur actum explicare & non potuit, sed impediebat quidem debitorem faciendi depositum, non autem impediebat creditores absque Judicis decreto recipiendi pecuniam, cum receptissimum sit formam præscriptam à Bulla Piana, tàm circa dissidiam per duos menses antè faciendam, quàm circa depositum, procedere invito creditore, secùs autem eo volente; Quando igitur impedimentum provenit à facto judicis vel partis, tunc excusat, quamvis aliàs de sui natura esset injustum & non excusans ad *text. in l. cum ipse ff. de excusat tutor. ubi Bart. Bald. & cæteri Adden. ad Vestr. lib. 6* 6

cap.

*cap.ult.num.25.& sequen.Rot.decis.19. num. 10. par. 7.recent.*

Ponderabam quoque considerabilem esse diuturnã creditorum acquiescentiam spatio plurium annorum, postquam eis omnia præmissa notificata fuerunt, illa enim speciem approbationis præseferre videtur, ut punctualiter *Adden.ad Gregor. decis.* 480. *in fine*, quodque debitores ut censum prædictum redimerent, æquivalentem summam pariter ad censum sub minoribus fructibus acceperant, undè asperum videbatur ut ob hujusmodi subtilitates debitor gravari deberet ad duplicata interfuria, Ideoque sufficere videbatur casum reddi dubium, ut in isto intrare deberet æquitas pro debitoribus contendentibus de dameo vitando contrà creditorem contendentem de lucro, quam æquitatem in non curanda nullitate evi-
8 denti depositi servavit *Rota in dicta Romana fructuum dotis* 28. *Ianuarii* 1661. *coram Verospio, de qua sub tit. de dote*, & in aliis, ac agitur etiam in alia *Romana fructuum inter Principem Sabellum & Principem Iustianum sub eodem tit. de dote*; Ad plures autem annos, quibus hæc scripta fuerunt, causa adhuc proposita non fuit, forsan actores agnoscentes eorum prætensionis in subsistentiam acquiescent, cum nisi diversæ facti circumstantiæ concurrant, reflectendo etiam ad veritatem, justitia & æquitas huicparti assistere videantur.

---

# ROMANA

## PECVNIARIA

### PRO

### PAULO JORDANO

### CUM

### COMITE FRANCISCO STELLA.

*Casus disputatus coram Pralato Iudice Commissario, postèa concordatus.*

De extinctione census, ac cessatione fructuum, ex eo quod creditor efficiatur Dominus fundi censiti; Et quid si ex facto merè voluntario desinat ille possideri, an census reviviscat.

*SVMMARIVM.*

1 Facti series.
2 *Eo ipso, quod creditor efficitur dominus fundi censiti, resolvitur census.*
3 *An tali casu debeantur fructus loco damnorum & interesse.*
4 *Quando creditore non possidente amplius fundum censitum census reviviscat.*
5 *Servitus uni debita extinguitur, si ejus fiat fundus serviens, & quid si postèa alienaverit.*

## DISC. XXVIII.



Uamplures inter istas partes sãguine conjunctas habitæ fuerunt controversiæ coram prælato judice commissario, potissima verò, super qua majores fuerunt disputationes, consistebat in puncto præscriptionis juris redimendi quasdam domos venditas seu in solutum datas cum pacto de retrovendendo, de quo habetur actum in sua materia *sub tit de empt. & venditione*; Alter verò controversiæ punctus fuit iste, an ad favorem Stellæ decursi essent fructus quorumdam censuum per ipsum seu ejus auctores jure translativæ cessionis acquisitorum à creditoribus auctorum Jordani, ac impositorum super eisdem domibus, quæ cum dicto pacto per dicti Jordani auctores venditæ seu ex causa dotis in solutũ datæ fuerũt auctori Stellæ. 1

Pro tempore quo hic vel ejus auctores possederunt fundum de eorum dominio effectum, casus videbatur indubitatus, quod non deberentur fructus tanquam fructus census, quoniam actio & passio dari non possunt in eodem subjecto, atque res mea mihi servire non potest, undè cum sensus sit species servitutis (licèt verè & propriè non sit talis,) receptum est, ut eo ipso, quod creditor censuarius efficitur dominus fundi censiti, census habeatur pro extincto seu resoluto *ex plenè deductis per Cenc quæst.* 114. *nu.* 1. *cum sequen.* Rot. *decis.* 69. *num.* 7. *post Merlin. de pignor. decis.* 213. *nu.* 5. *post Zacch. de oblig. & sapius.*

Idque tanquam de jure certum admittebant scribentes in contrarium, dicebam tamen deberi fructus tanquam damna & interesse, dum debitor fundum censitum vendiderat, seu in solutum dederat hujusmodi oneribus non expressis, cumulando ad id eas decisiones & auctoritates, quas habemus obligantes debitorem censuarium ad damna & interesse ex censu malè impositio super re non libera vel non capaci ex deductis *in Romana Salviani disc.* 13. *& in Sabinen. census disc.* 31.

Verùm in hoc videbatur æquivocari, quoniam termini erant diversi, ac etiam quia creditor inexcusabilis erat, dum census voluntariè acquisivit de tempore 3
quo rectè sciebat ipsum tanquam effectum dominum fundi censiti esse incapacem illos possidendi, Undè propterea potiùs retorquendo easdem auctoritates quamvis ad casum incongruas, dicebam versari in prima parte distinctionis in eis contentæ, ubi scilicèt creditor ab initio est conscius non libertatis vel incapacitatis fundi, quo casu neque damna & interesse debentur ut, in alios causis mox citatis; Dubitabam verò potiùs quod damna & interesse prætendi possent jure evictionis, quam emptor ita prævenerat, solvendo illis creditoribus, qui porerant domum venditam evincere juxtà ea, quæ habentur *in Tudertina census pro Cospano disc.* 25. Et quamvis hoc motivum non deduceretur per defensores alterius partis, illud tamen insinuabam Jordano principali, qui erat etiam juris peritus, ut prævidens difficultatem facilitaret concordiam, ut puto sequutam.

Major disputatio fuit super eo tempore, quo creditor seu cessionarius desierat fundum censitum possi- 4
dere, quando pro eo scribentes dicebant esse casum indubitatum, ob cessantem incompatibilitatem, quæ erat unica dubitandi ratio, Atque ad id probandum deducebant auctoritates & decisiones firmantes census reviviscentiam, quoties bona pro eo in solutum data creditori evincuntur, & de quibus habetur *suprà in Perusina Census disc.* 15. *& in Roma-*

*nã*

*va reviviscentia sub tit. de feud. disc.* 81. Verùm, & in hoc pariter videbatur æquivocari, solumque reflectendo ad veritatem, apud me urgebat dictum alterum motivum damnorum & interesse, quoniam reviviscentia census, ubi aliqua species pro eo data est, rectè procedit in casu evictionis atque ubi possessor invitus non possidere desinit, in quibus terminis loquuntur auctoritates & decisiones de hoc agentes; Secùs autem ubi desinit possidere ex causa voluntaria, quia nempè ipse eam alteri vendat, quoniam cum emptore ipsius jure possideat, ac ratione dominii in eo residentis, idcircò videtur in proposito habendus pro possessore tanquam per organum illius, cui ipse dedit, Ad quod probandum deducebam dispositionem *textus in l. si quis ædes 23 ff. de servit. urban. prædiorum*, ubi deciditur, quod si ego habeo servitutē super domo, quæ deindè mea fiat, servitus extinguitur, & non reviviscit, si ego eamdem domum deindè alteri vendidero, & in his terminis ita sentit *Cenc. dicta quæst. 114. n. 14. in fine juxta ultimam impressionem*; Atque ad idem facere videntur deducta *per Amat. resol. 21.* de
5 obligatione causativa cessante in eo, qui desiit possidere rem, ex qua debitum resultabat, ut non procedat in eo, qui ex facto proprio merè voluntario desinat illam rem possidere, eam alteri vendendo, seu aliàs transferendo, quoniam, ut dictum est, idem continuare fingitur in ejusdem rei dominio ac possessione per organum illius novi possessoris, qui ex ipsius jure utrumque obtinet; Occasio autem non dedit formiter ac maturius hunc punctum examinandi, cum in hac facti specie dictum motivum damnorum & interesse inanem hujusmodi quæstionem reddere videretur.

---

# ROMANA

## CENSUS

## DE MAFFEIS

## PRO

## PAULINA MAFFEA

## CUM

## ABBATE MARIO MAFFEO

*Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Paulina,*

Cessio census quando dicatur facta tranlativè, vel potius extinctivè, ad diversos effectus, illum præsertim, *An* in hujusmodi cessione per mulierem vel alium prohibitum contrahere sine solemnitatibus statutariis, istæ requirantur; Et in hæres debitoris censuarii possit trãslativè acquirere censũ.

### *SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*

2 *Practicabilis non est processus exequutivus pro censu incontinenti sublato per instrumentum extinctionis ex eo quod pretendatur simulatum.*

3 *In extinctione census tanquam in alienatione necessaria non requiruntur solemnitates requisitæ in alienationibus.*

4 *Ex quibus cessio census censeatur extinctiva.*

5 *Quæ regula tenenda sit ad dignoscendum, an cessio sit extinctiva vel translativa, & quid operentur verba.*

6 *Quando hæres censeatur acquisisse proprio vel hæreditario nomine.*

7 *Hæres beneficiatus repræsentat duplicem personam, & potest esse creditor hæreditatis.*

8 *De conclusione, ut inventarium non suffragetur, quatenùs vires hæreditariæ suppetant, an influat ad incompatibilitatem.*

## DISC. XXIX.

VSque ab anno 1613, per Bernardinum Maffeum impositus fuit census in sorte scutorum 3. m. ad favorem Paulinæ, quæ de anno 1648. illum cessit Benedicto ejusdem Bernardini filio & hæredi beneficiato; Cumque eadem Paulina, defuncto dicto Benedicto, superstite Abbate Mario fratre & hærede, prætenderet, non obstante dicta cessione utpotè simulata, ac etiam nulla, ob servatas solemnitates in contractibus mulierum requisitas à statuto Urbis 151. continuasse in ejusdem census dominio & possessione, proindeque pulsaret dictum Marium tanquam Bernardini debitoris hæredem mediatum ad solutionem fructuum, pro quibus coram A. C. petebat mandatum exequutivum contra bona hæreditaria, reus autem conventus exciperet de dicta cessione, replicante actrice de simulatione, ista suas patiebatur difficultates, cum ea in dubio non præsumatur, ejusque justificatio pendeat ab extrinsecis probationibus quamvis præsumptivis & adminiculativis requirentibus judicis declarationem, à qua altera pars appellare potest, Undè propterea quoties non concurrit ejusdem simulationis probatio certa & incontinenti facta, resultans ex confessione partis, impossibile est posse practicari ex parte actoris judicium executivum pro suo priori credito, quod reus sublatum docet per contrarium actum, quem actor, replicando dicat simulatum, cum tunc exceptio sit clara, turbiditas verò consistat in ipsius actoris replicatione, & sic exceptio clara, replicatio turbida.

Melior autem mihi scribenti pro actrice videbatur alia replicatio nullitatis dictæ cessionis ob non servatas solemnitates in contractibus mulierum requisitas *à dicto statuto Urbis* 151, ita enim incontinenti elisa remanebat rei conventi exceptio, seu defensio utpotè resultans ex ventre ejusdem scripturæ, ex qua ipse exceptionem deducebat, ideoque integra remanebat prior actio, perindè ac si actus sequutus non esset, cum nullum & nihil æquiparentur, atque ita docet praxis quotidiana.

Pro hujusmodi nullitate evitanda, scribentes pro reo dicebant, solemnitates prædictas (quæ juxtà opinionem hodie in Curia receptam, non obstante, quod statutum ageret de quatuor casibus, absque dubio necessariæ sunt in quibuscumque contractibus & actibus, ex quibus mulier lædi potest) rectè procedere in contractibus & actibus voluntariis sonantibus in voluntariam alienationem vel obligationem, secùs autem in actibus necessariis, qualis dicitur ille creditoris censuarii retrocedentis seu extinguentis censum

per

3 per actum retrosimilem restitutionis sortis factæ per debitorem vel ejus hæredem aut alium, cui jus redimendi competat, cum tunc receptum sit nullas solemnitates requiri, undè propterea disputatio restricta fuit ad punctum, an hujusmodi cessio dicenda esset extinctiva, vel translativa, quoniam primo casu ego scribens pro actrice admittebam cessare solemnitatem, in altero verò scribentes pro reo, talem necessitatem admittebant, & sic tota quæstio erat applicationis.

Pro qualitate extinctiva scribentes pro reo, duo potissimum argumenta deducebant, Primum ex qua-
4 litate hæreditaria debitoris concurrente in cessionario, in quo proindè incompatibilem dicebant cessionem translativam, cum actio & passio non dentur in eodem subjecto, atque nemo esse possit sui ipsius creditor, cumulando in idem cum inani allegationum cumulo notoria axiomata super relatione actus ad liberandum, atque in causam potiùs necessariam quàm voluntariam; Et alterum ex qualitate cedentis, quæ absque solemnitatibus à statuto præfinitis facere poterat cessionem extinctivam tanquam actum necessarium, & non poterat facere translativam tanquam voluntariam alienationem, cumq; voluntas regulanda sit à potestate, idcircò cesserat gestum id, quod licitè & validè fieri poterat, & in his specialibus terminis allegabant *dec.358. & sequen. post Cenc. dec.67.95. & final. apud Merlin. de pignor.* in quibus vel earum aliquibus, ultrà alia, istud argumentum deficientis potestatis satis ponderatur pro interpretando cessionem potius extinctivam quàm translativam, atque cum eadem copiosa, sed superflua allegationum farragine trium vel quatuor Advocatorum, in iis propositionibus quæ non negabantur, sed per scribentes more Doctorum debent præsupponi, ponderabantur etiam aliqua instrumenti verba retrovenditionem importantia, totum, ex proximè allegatis decisionibus desumendo.

Scribens in contrarium dicebam, cum aliquo et-
5 iam sensu veritatis, in hac materia certam determinatamque regulam dari non posse, erroneumque videri decisiones, aliasque auctoritates de uno casu loquentes, alteri indistinctè applicare, sed istam totam esse quæstionem facti & voluntatis, qua expressa & clara concurrente, cessant omnia argumenta & adminicula ad vulgarem regulam, *text. in l. ille aut ille ff. de legat. 3.* quam in actibus inter vivos latè exornat *Rota decis. 44. numer. 14. par. 11. rec.* atque tali casu non curatur de clausulis vel verbis retrovenditionem seù retrocessionem importantibus, quoniam ubi constat de substantia voluntatis, clausulæ & verba tanquam accessoria & famulativa non curantur; Potissimè quia ut plurimum sunt æquivoca utrique actui congruè convenientia ex deductis per *Giurb. dec. 87. & Rot. dec. 83. post Merlin. de pignor.* ubi pro retrocessione translativa, quamvis verba *redimere, retrovendere, retrocedere*, vel similia concurrant.

Et econversò in aliis supra allegatis decisionibus *post eumdem Merlin.* non curatur de verbis, *ponens, constituens, transferens* & similibus, ubi de substantia voluntatis constat faciendi cessionem extinctivam, in qua etiam, ubi præsertim fit per fidejussorem vel tertium, adjici solent verba *translativè & non extinctivè*, quæ primo aspecto satis obstare videntur, sed ubi spectato toto contextu instrumenti constat de substantia voluntatis partium faciendi extinctionem, tunc ratione incompatibilitatis, receptum est talia verba intelligi debere eo modo, quo compati possunt cum actu, respectu scilicet jurium creditl in sorte, fructibus solutis, ad effectum excipiendi, vel etiam agendi, non autem ut census perseveret vivus tam quoad cursus fructuum in futurum, quàm ad alterum, ut subjaceat hypothecis cedentis, cum similibus.

Ubi verò instrumentum est ita conceptum, quod ex eo, aliisque circumstantiis ambiguum sit qualem actum partes gerere voluerint, ita ut de substantia voluntatis partium clarè non constet, & tunc pro judicis prudenti arbitrio veritas desumenda est ex argumentis & adminiculis, resultantibus tam à verbis & clausulis, quàm fortius à qualitate contrahentium, ac verisimilitudine, atque tali casu efficax remanet argumentum resultans à defectu potestatis in allegatis decisionibus ponderato, ideoque, ut supra dictum est, verè ista est quæstio magis facti quàm juris, ex singulorum casuum individuis circumstantiis decidenda, quoties non obstat formalis incompatibilitas, quia nempè in cessionario sit compatibilis uterque actus.

Quarè cum in hac facti specie, contextus instrumenti litteraliter probaret partes agere voluisse potius translativam quàm extinctivam cessionem, atque verba priori magis, quàm posteriori convenirent, Hinc proindè unicum contrarium argumentum consistebat in defectu potestatis in claris non attendendo, nam aliàs fatua, & nunquam operativa remaneret supradicta distinctio super validitate vel invaliditate actus, si solus defectus potestatis perneccssè concluderet extinctionem, nam ita semper & indefinitè actus remaneret validus.

Hinc proindè tota disputatio restricta fuit ad punctum incompatibilitatis, in quo magis scribentes in contrarium insistebant ratione qualitatis hæreditariæ debitoris; Verùm eodem sensu veritatis retento dicebam non obstare, quinimò hanc circumstantiam qualitatis hæreditariæ potiùs retorqueri ad 6
convincendam diversam voluntatem acquirendi translativè tanquam tertius, dum ipsa hæreditaria qualitas nullatenùs expressa fuit, quod est unum ex argumentis, ex quibus decidi solet quæstio, an acquisitiones aliique actus per hæredem gesti, hæreditario, vel proprio nomine initi censeantur, ut pluries advertitur in sua materia *sub tit. de hærede & hæreditate.*

Incompatibilitas autem non aderat, dum cessionarius erat hæres cum beneficio legis & inventarii, qui juxtà propositiones hodie in foro planas, ob separationis beneficium inductum *per text. in l. finali* 7
*Cod. de jur. delib.* verè & propriè non dicitur hæres, sed potius hæreditatis administrator. *Mantic. decis. 326. Rovit. decis. 48. num. 11. cum seqq. Capyc. Latr. consult. 13. in principio & passim,* Undè propterea ob reduplicationem personarum, quæ in uno eodemque subjecto diversis respectibus absque dubio datur, non implicat quem esse debitorem vel creditorē sui ipsius; Prout bona hæreditaria sibi ipsi vendere, vel tanquam hæres bona propria à se ipso emere potest cum similibus, cum verè fingantur duæ distinctæ ac separatæ personæ.

Adversùs hoc indubitatum juris principium, scribentes in contrarium inculcabant conclusionem pariter receptā, quod quatenus vires hæreditariæ suppetant, tunc quoad hæredis obligationem inventarium non suffragetur, ita ut paria videantur illud solū adesse 8
vel non adesse, cum præservet hæredem à damno, non autem tribuat lucrum; Verùm id non obstabat, Non negabam etenim veritatem conclusionis in ge-

nere, sed fallacia erat circa applicationem, cum id procedat ad effectum, ut intret dispositio *textus in l. cum à matre Cod. de rei vendic. & l. vendicantem ff. de evictio.* cum similibus, ut scilicet hæres quamvis beneficiatus non possit impugnare factum defuncti ex juribus propriis, quatenus vires hæreditariæ suppetant; Non indè tamen inferri potest ad omnimodam incompatibilitatem acquirendi sub persona propria ea jura, quorum exercitium durante hæreditatis idoneitate adversus tertios ex dicta ratione impeditum solum remaneat, non autem adversus ipsammet hæreditatem, curando juxtà consuetam praxim, dando ipsi hæreditati curatorem particularem ad illum actum, bona hæreditaria sibi adjudicari; Sivè ad effectum excipiendi de eisdem juribus adversus creditores hæreditarios, vel alios in hæreditate jus habentes, quos tractu temporis detegi contingat, cum sient benè simul, hæreditatem hodiè locupletem ac idoneam esse, cras verò ob detecta debita, aliaque onera esse decoctam, Et ex qua incertitudinis ratione potissimum inventarii beneficium introductum fuit; Ideòque juxtà præmissa pro actrice cum justitiæ fundamento judicatum fuit, atque Signatura probavit, rescribendo ad solam devolutivam ac denegando suspensivam cum consueta clausula *sine præjudicio*: Et verè actricis justitia erat clara, non solùm ex præmissis, sed etiam quia ex aliis facti circumstantiis liquidò constabat actum prædictum fuisse, vel simulatum, vel sub simulationis imagine dictam mulierem deceptam fuisse, cum reverà nulla intercessisset pecunia, vel alia æquivalentia, quamvis in instrumento narraretur, undè reus acquievit, atque eo quo potuit modo se concordavit, dum agebatur inter conjunctos.

---

# IMOLEN.

## CENSUS

*PRO*

## SOCIETATE MISERICORDIÆ CASTRI BONONIENSIS

*CUM*

## MAZZOLANO, ET EJUSDEM LOCI COMMUNITATE SIBI ADHÆRENTE.

*Casus disputatus coram A.C. incertus est exitus, puto pro Societate.*

De Constitutione *Clementis Octavi* disponente, ut per Communitates imponi non possint census præter formam ibi præscriptam, An procedat in censibus impositis per aliquos particulares, quamvis re vera pro Communitate deservientes.

***

*SUMMARIUM*

1 *Facti series.*
2 *Velleianum non intrat ubi mulier contrahit tanquam principalis gerens negotium proprium.*
3 *De validitate census creati cum privato quamvis pecunia deserviat pro Communitate.*
4 *Ponderatur ratio particularis, ob quam census cum privato ut supra initus valeat.*

## DISC. XXX.

IULIUS de Mazzolanis administrator annonæ Castri Bononiensis, ad effectum rem gratam faciendi Communitati, ac pro servitio[1] annonæ, proprio & particulari, non autem administratorio nomine, censum imposuit ad favorem Societatis Misericordiæ ejusdem loci, & in ejusdem instrumenti fine ejusdem Communitatis procurator dictum impositorem ejusdemque fidejussores indemnes relevare promisit, undè tractu temporis Societate pulsante coram A.C. dictum impositorem, vel ejus hæredes ad solutionem fructuum, excipiebatur de Constitutione *Clementis Octavi* super censibus per Communitates Status Ecclesiastici imponendis, restrictaque ad hunc punctum difficultate.

Scribens pro Societate actrice, dicebam illius decisionem regulandam videri cum terminis *textus in l. si fœnebris 9. Cod. ad Velleian.* ubi deciditur, quod si mulier absque fraude creditoris ab eo pecuniam accipit nomine proprio ut viro mutuaret, tunc ipsa[2] remanet creditori obligata, neque Velleianum intrat, quamvis creditor sciat, ut habetur *apud Franch. decis. 279. numer. 2. cum sequen.* Illa enim expressio, quam debitor facit, ut rem gratam alteri faceret, suam habet operationem inter ipsum & eum tertium, cui deindè ipse dare intendit, ad effectum se relevandi, sed hoc nil commune habet cum creditore, qui ipsius recipientis fidem sequi voluit, & cum eo principaliter contrahere, & de quo *tex. benè Roder. de ann. redd. lib. 2. qu. 5. numer. 21. & seqq.* Rovit *pragm. 1. ad Velleian. numer. 10.* & habetur actum *in Romana fidejussionis sub tit. de feud. ad materiam bullæ Baronum dec. 100.*

Quarè in proposito, totus punctus erat in videndo, an adesset fraus necnè, quodque ita partes sub simulato privatorum nomine contrahere voluerint, ut legi fraudem facerent; Hoc autem pendet à præcedenti tractatu, an scilicet ille per creditorem directè & immediatè fuerit cum ipsa Communitate, ejusque[3] Administratoribus, cum quibus verè contrahere voluit, sed ad fraudandam legem persona privati simulata sit, secùs autem si ipse noluit sequi fidem Communitatis, neque cum ea contrahere, ut se non exponeret periculis, quibus subjacent contrahentes cum hujusmodi corporibus polyticis, ideoque directè contraxit cum privato, cui principaliter suam pecuniam credere voluit, quamvis hic de illa Communitate gratificari vellet, ut ita distinguendo ac tractando materiam per terminos *text. in d. l. si pecunia Capoblanc. de Baron. p. 2. cap. 83. num. 20. & 21. de Marin. resol. 59. n. 8. lib. 2.* apud quos validitas actus de jure communi certa præsupponitur, quamvis ob pragmaticas Regni, in isto etiam casu specialiter providentes, contrarium ibi dicendum sit.

Fortius autem observabam præmissa procedere, ubi

ubi non agitur de mutuo vel alio simili contractu, sed de censu, in quo sors demoritur, atque ex parte
4 creditoris fit perpetuò irrepetibilis, Tunc enim diversa intrare videtur ratio ob diversitatem contractuum, undè clarius intrat dispositio textus prædicti, quoniam ille privatus, qui pecuniam ad censum accipit, efficitur perpetuò illius dominus, ita ut ad ejus restitutionem à creditore cogi non valeat; Id autem non procedit, si deindè ipsemet eamdem pecuniam jure mutui vel administrationis, in Communitatis, vel alterius beneficium convertat, cum ipse habeat repetitionem, atque possit quamprimum de illa se reintegrare, ita ut duo concurrerent contractus diversi; Quod in hac facti specie suadebat etiam subjecta materia, dum pecunia convertenda erat pro servitio annonæ in emptionem frumenti, brevi tempore ex venditione panis rehabenda, ex iis, quæ in hac annonaria materia habentur pluries deducta *sub tit. de Regalibus*, præsertim *in Spoletana, & in Ferrarien. disc.* 44. & 45. & sic Communitas verè censualem contractum non inierat; Undè propterea videbatur casus extrà difficultatem, atque juxtà præmissa credo resolutum, non curatis aliquibus auctoritatibus Regnicolarum, cum innitantur juri municipali Regiæ pragmaticæ.

---

# SABINEN.

## CENSUS

*PRO*

## JOANNE BAPTISTA JOACHINO ET PATRITIO DE PATRITIIS

*CUM N.*

*Casus disputatus coram A.C. credo resolutus pro dictis Joachino & Patritio.*

Impositio censu super fundo alieno vel incapaci, quem debitor asseruit proprium & capacem, absque eo quod creditori de tempore impositionis dicta incapacitas innotesceret; An sequuta fundi evictione, seù aliàs superventa notitia, quod fundus esset alienus vel incapax, cessat cursus fructuum, qui in futurum exigi non possint.

### SVMMARIVM

1 *Facti series.*

2 *Fundo censito evicto, an census extinguatur & fructus post evictionem soluti extenuent sortem.*

3 *Fructus evicto fundo debentur ratione damnorum & interesse si creditor ab initio fuit in bona fide ac ignarus, & numer. 6. & 14. ubi de ratione.*

4 *Declaratur, contrariam opinionem procedere data in creditore ab initio certa scientia incapacitatis seù evictionis fundi.*

*Card. de Luca de Censibus Pars III.*

5 *Scientia debet esse certa & concludens ad hujusmodi effectum, maximè quando actus, ex quibus illa deducitur sunt æquivoci.*

6 *De eadem conclusione de qua nu. 3. & ad quam rationem debeantur dicti fructus.*

7 *Ponderatur* decis. 639. Merlini, *ut promissa per cedentem census exigibilitate per speciem evictionis de ista teneatur, si inexigibilitas proveniat ob incapacitatem fundi ab initio.*

8 *Data facultate repetendi sortem principalem, census evanescit, & fructus cessant, uti resolutus in simplex mutuum interpretativum, & numer. 12.*

9 *Intellige quando hujusmodi facultas est omnino certa & libera, quæ per creditorem impediri non possit, secus ubi est incerta, & aliquod impedimentum habere potest.*

10 *Fundo censito evicto seu detecto incapaci quamvis de stricto jure detur creditori facultas repetendi sortem, ac recedendi à contractu, limitatur tamen ex æquitate, ob quam admittitur subrogatio alterius fundi.*

11 *Facultas repetendi sortem ob non præstitum fidejussorem seu aliud non implementum, intelligitur ad effectum deponendi donec implementum sequatur.*

12 *Declaratur conclusio de qua n. 8.*

13 *Resolutio causæ.*

14 *De eadem conclusione de qua numer. 2. & de ratione.*

## DISC. XXXI

IMposito censu super quadam vinea, quam debitor asseruit esse propriam, liberam, & capacem, cum post 1
aliquos annos dicta vinea evicta esset, forsan ex facto ac ære alieno ejusdem impositoris, deindèque plures essent decursæ annualitates, partim solutæ, & partim solvendæ, creditore pulsante debitorem seu ejus fidejussorem coram A. C. pro fructibus non solutis, opponebat reus conventus de prædictorum fructuum indebito, quinimò & de extenuatione sortis intoto vel in parte cum fructibus post dictam evictionem exactis tanquam indebitis ac in sor- 2
tem imputandis, dum evicto fundo censito, census tanquam ex defectu subjecti evanuit.

Atque creditore replicante quod saltem fructus deberentur loco damnorum & interesse, stante quod 3
creditor de tempore impositionis fuit in bona fide juxta *decis. 458. coram Roias* cum aliis deductis supra *in Romana Salviani disc. 13. & decis. 47. post Merlin. de pignor.* Dicebatur ex parte rei conventi *dictam decisionem 458. Roias editam in Romana vineæ* fuisse jam revocatam sub *die 2. Aprilis 1666. coram Carpinea*, coram quo revisa fuit.

In hoc autem statu ex parte actoris assumptus ad ejus defensionem pro removenda difficultate ex dicta decisione resultante dicebam, imprimis dictam decisionem evitari ex defectu applicationis ad casum ob circumstantias facti, cum in dicta decisione, prout etiam *apud Duran. decis. 449.* in qua eadè fundatur, pro certo supponeretur in creditore scientia 4
evictionis fundi censiti, quæ scientia in præsenti casu non benè justificabatur, dum actus, ex quibus illa deducebatur erant æquivoci ac non benè concludentes, qui non sufficiunt, dum juxta receptam & frequè-tem propositionem, ad nimiam satietatem comprobatam

batam *per Adden. ad decisionem 542. par. 4. recent. tom. 3. à n. 92. ad 99.* quoties agitur ad effectum gravis præjudicii, requiritur scientia omninò certa ac perfectè & concludenter probata, undè propterea cessabat quæstio ex solo facto.

Verùm ubi etiã dicta scientia concludenter justificaretur, ita ut quæstio reduceretur ad punctum juris, tunc relinquendo locum veritati circa subsistentiam dictæ decisionis in suo casu ob ejus particulares circumstantias, ex quibus fortè illa esse potest probabilis, ut in dubio est præsumendum; Quatenus pertinet ad hanc facti speciem, vel ad articulum in genere, cum sensu veritatis, qualem etiam agnovit judex, dicebam omninò verius esse, ut data ab initio in creditore bona fide juxtà distinctionem, de qua in dicta *decis. 458. Roias, & supra dicto disc. 13.* fructus debeantur, si non tanquam fructus census, saltem tanquam damna & interesse, quæ per venditorem rei fructiferæ sequuta evictione debentur emptori ad normam fructuum, quos ipse emptor aliàs percepturus fuisset ex re vendita nisi facto & culpa venditoris evicta fuisset, quos terminos evictionis ac damnorum & interesse benè in terminis census ponderat *Rota in Firmana census coram Merlino* inter suas *decis. 639.* ubi cum disputaretur de quæstione, An & quando cedens censum teneatur de illius exigibilitate, ponderatur ista circumstantia an inexigibilitas proveniat ex superventa inopia debitoris, vel à non existentia census ab initio ob incapacitatem fundi, cujus capacitatem imposito promisit tanquam per speciem evictionis, atque istud motivum in dicta decisione non deductum, pro meo judicio non videbatur habere responsionem.

Præterea considerabam, quod ubi creditor ab initio est in bona fide, ita ut in odium debitoris mendacis actus quamvis intrinsecè invalidus haberi debeat pro valido ad favorem creditoris, saltem quoad damna & interesse, tunc alia non videatur intrare ratio, ob quam cessare debeat cursus fructuum, nisi illa facultatis ita in creditore resultantis repetendi sortem principalem, ob cujus repetibilitatem omninò evanescere dicitur contractus censualis, cujus substantia consistere videtur in irrepetibilitate sortis, quæ demortua esse debet, juxta ea quæ habentur *in Romana revivisentiæ censuum sub tit. de feudis disc. 81. & supra disc. 17.*

Tunc autem ista facultas hujusmodi effectum operatur, quando illa est certa, & consistit in omninò libera facultate creditoris, qui per debitorem impediri non possit, secus autem ubi est incerta, atque aliquod impedimentum habere potest juxtà *decis. 229. post Cenc.* aliàs *278. par. 5. recent. add. ad Buratt. decis. 645.* cum aliis *dicto disc. 81. de feudis & supra dict. disc. 13. & 17.*

Ista verò certa repetibilitas adesse non dicitur in casu, in quo fundus censitus evincatur, seu aliàs deregatur non liber vel incapax, quoniam licèt de stricto jure creditori competere possit facultas recedendi à contractu ac repetendi sortem, Attamen ex quadam æquitate per Tribunalia recepta, admittitur ad subrogandum alium fundum liberum & capacem æque idoneum, ut cæteris relatis habetur *apud Marin. resol. 195. lib. 1. & Prat. obser. 28.* atque docet quotidiana praxis Curiæ, quod quando creditori censuario ob non præstitum fidejussorem, seù aliud non implementum conceditur facultas cogendi debitorem ad sortem principalem juxta *dec. 88. Gregorii*, id permittitur solùm ad effectum deponendi pro majori cautela, & donec ista sequatur.

Ideoque sic dici non potest, quod versemur in casu certæ facultatis repetendi, ob quam corrupto contractu censuali, creditum sortis ita implicitè resolvatur in mutuum interpretativum, ex quo prohibitum est accessiones, vel damna & interesse ex sola conventione partium exigere, non probatis extrinsecus solitis requisitis; Quamvis etiam dici posset, ita, ea probata remanere, dum de facto creditor animum suum declaraverat destinandi has pecunias in acquisitionem census fructiferi; Et ex his, præsertim autem ex primo motivo damnorum & interesse ratione evictionis, verè pro meo judicio solido ac inevitabili, neque in dicta Rotali decisione examinato, quia fortè per creditoris defensores deductum non fuerit, justè pro creditore judicatum fuit, atque hæc mihi videbatur genuina veritas, tam ex præmissis, quàm ex viva & convincenti juridica & humana ratione deducta etiam supra *disc. 13.* quod scilicet aliàs resultaret ut debitor mendax & dolosus, commodum & utilitatem ex ejus falsa assertione reportaret, in supplantationem creditoris innocentis, qui bona fide sibi credidit, ejusque assertioni detulit.

Et si replicetur, quod sequuta evictione fundi censiti, creditor ità agnoscèndo contractus resolutionem debebat repetere sortem, Responderi potest, quod in concursu culpæ majoris debitoris consistentis in actu positivo, & alterius culpæ creditoris consistentis in actu negativo simplicis negligentiæ, quæ excusabilis quoque remanere potest ab ignorantia hujusmodi subtilitatum juris, prævalere debet dicta culpa major; Ac etiam quia sequuto isto casu, debitor quoque dicitur in culpa, & perjurio, non restituendo sortem eo ipso, quod ita agnovit ex proprio facto illius debitorem evasisse; Illudque potissimum observandum videtur, an creditor ab initio habuerit animum sincerum verè faciendi contractum censualem validum, vel potius animum depravatum faciendi contractum mutui sub hoc speciosо nomine invalidi census velatum, ut ita fœnus exigere posset, atque ab hoc principio hujus materiæ determinatio pendere videtur.

INDEX

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM,
## Quæ continentur sub Titulo de Censibus.

### A


ABBATÆ FARPENSIS.

BONA emphyteutica cujus sint naturæ ac qualitatis, d. 8. n. 8.

ACQUISITIO.

Nomine hæreditario vel proprio quando facta censeatur, d. 29. n. 6.

ADIMPLEMENTUM.

Contractus nominati non sequutum non causat resolutionem sed solam actionem ad interesse, disc. 9. num. 9.

ADMINISTRATIO

Generalis ex quibus censeatur alicui concessa, disc. 24. num. 4.

ÆTAS

Pupillaris non facit substineri contractum usurarium, & quid operetur, d. 10. n. 4.

ALIENATIO.

Census prohibita dicitur esse, quando fructus reducitur seù diminuitur, d. 14. n. 2.

Et quid in censu consignativo, vel reservativo, d. 14 num. 4. 5.

ANATHOCISMUS

In fructibus quibus propriè cadat, d. 2. n. 9.

APPELLATIO A' SENTENTIA.

In parte ubi datur, facit sententiam appellabilem in totum nisi Capitula sint separata, discurs. 1. sub numer. 2

ATTESTATIO

Notarii attenditur solùm in iis quæ in ipso actu celebrationis instrumenti intervenerunt, discurs. 5. numer. 3.

Non attenditur de census pecuniæ numeratione, quæ in instrumento non intervenit, discurs. 5. num. 4.

AUDIENTIA.

Nova non solet de stylo concede in Signatura Gratiæ, d. 2. nu. 7.

AUTHORITATES.

Attendi seù capi quomodo debeant per Judices & Advocatos, d. 24. n. 2.


### B


BENEFICIUM INVENTARII

HÆredem facit dici potius administratorem eumque gerere duplicem personam, disc. 29. num. 7.

Et licèt ei non suffragetur quatenùs vires hæreditatis supperant, non ex hoc tamen sequitur duplicis personæ incompatibilitas, d. 29. n. 8.

BONA.

Stabilia reputantur esse pecuniæ investitæ super montibus, d. 17. n. 6.

Item census qui veniunt sub nomine ac legato bonorum stabilium, d. 17. n. 2. 4.

*Card. de Luca de Censibus Pars III.*

BONA FIDES.

Census nullitatem non excusat, quin fructus vel non debeantur, vel soluti extenuent sortem, discurs. 10. num. 2.

In usurarii materia non excusat, d. 10. n. 2.

BULLA PII V. DE CENSIBUS.

Attendi an debeat & obliget ubique terrarum, d. 1. n. 8. 9. 10.

In contractu aliàs nullo qui ad formam dictæ Bullæ se referat cum protestatione contrahendi juxta eam, quid operetur, discurs. 11. numer. 5. disc. 12. num. 5.

Possessionem quando inficiat per decretum irritans, ita ut obstet etiam in possessorio summariissimo, disc. 6. num. 2.

In Regno non est recepta, sed vivitur cum Bulla *Nicolai V.* d. 1. n. 3.

Dicta conclusio non attenditur in Curia & juxtà Rotam, disc. 1. num. 4.

Et quod sit attendenda tàm ibi quàm in Regno Siciliæ ultrà, discurs. 1. numer. 9. 10. discurs. 2. num. 1.

BULLA CLEM. VIII.

De censibus per Communitates constituendis non impedit quin validè constituatur per privatum sciente in servitium Communitatis, discurs. 30. num. 3. 4.


### C


CAPITALE.

*Vide.* Sors.

ECDULA.

Bancaria, &c. *Vide* Pecunia.

CENCIUS.

De censibus *quæst. 60. num. 39.* advertitur, discurs. 11. num. 4.

CENSUS

Bona stabilia esse reputantur, eorumque nomine veniunt, d. 17. n. 2. 4.

*Vide.* Super re seù bonis impositus, &c.

Ad Bull. *Pii V.* formam si relationem contineat cum protestatione juxtà eam contrahendi, quid operetur, d. 11. n. 5. d. 12. n. 5.

*Vide.* Bulla.

Super censu alio potest imponi, d. 17. n. 3.

Cessio quando dicatur extinctiva vel translativa, disc. 29. num. 4. 5.

Communitatis favore licèt constituatur à privato, attamen creditor id sciens rectè contrahit cum illo privato non obstante etiam *Constit. Clem. VIII.* d. 30. n. 3. 4.

Confines expressos fundi habuisse probatur etiam extrinsecè, licèt instrumentum non dicat, disc. 5. num. 5.

Consignativus an & quando importet onus reale vel personale, d. 18. n. 5. 9.

Observantia plurimum ad id attenditur, disc. 18. num. 10.

Quid importet, & quale jus constituat super fundo ad favorem creditoris, discurs. 18. numer. 6.

Diminuitur, diminuto fundo, d. 19. n. 2.

Disdicta an habeat certam formam & quid ad eam sufficiat ut dicatur rectè facta, discurs. 26. numer. 2.

Super domo ædificanda si & postquam erit propria, an validè possit creari, d. 7. n. 4. 5.

A duobus si fuerit insimul cessus seù venditus cum vinculo fideicommissi, & quando unus ex dictis ditoribus vendicet medietatem ex persona propri, d. 22. num. 5.

Extinctio an præsumatur ob diuturnam non solutionem fructuum, d. 20. n. 8.

Facta per debitorem cum eo, cum quo fieri non poterat, quando excusetur & valeat, discurs. 22. num. 4.

Facta cum Prælato seù Tutore, an inducat plenam liberationem, d. 26. n. 7.

Facta cum Procuratore præsumpto vel pro tali reputato valet, d. 24. n. 5. 8.

Extinctus sed malè, fingitur durare etiam pro cursu fructuum favore tertii, d. 25. n. 6.

Dici non potest per assignationem, quæ non habuit effectum, d. 15. n. 4.

Item nec per depositum sortis factum ad alium effectum quàm extinctionis, disc. 15. nu. 4. vers. Tertius.

Extingui debet cum principali creditore vel procuratore speciali, d. 24. n. 6.

Quando possit cum quo fuit constitutus, distinguuntur plures casus, d. 24. n. 3.

Quando possit cum hærede gravato seù possessore fideicommissi, d. 23. n. 2.

Non potest cum usufructuario, discurs. 22. numer. 2.

Non potest contrà pactum seù formam ad interesse tertii in instrumento conventam, discurs. 23. num. 4.

*Declaratur* quando procedat, d. 25. n. 2.

Fructus an & quando cessent, ubi est in facultate creditoris repetere sortem, d. 13. n. 9. 11.

Licèt non currant quando debeantur loco damnorum & interesse, d. 25. n. 7.

An & quando debeantur juxtà observantiam absque ostensione tituli, d. 14. n. 3.

Excedere non potest fructus rei censitæ ad quorum solam ratam substinetur, discurs. 3. numer. 8.

Pariunt alios fructus, d. 2. n. 5.

In sortem converti non prohibentur secundum aliquos DD. d. 2. n. 4.

*Contrarium* tenetur, d. 2. n. 6.

Percepti quando non sint restituendi vel imputandi, licèt census sit invalidus, discurs. 2. numer. 10.

In sortem quando non imputentur favore tertii, licèt remaneant usurarii, discurs. 23. numer. 3.

Fundi infructuositas assimilatur peremptioni, dis. 19. num. 3.

Et quid si adscribi possit culpæ ipsius debitoris, disc. 19. num. 4.

Fundo capaci remanente, totus substinetur, licet cæteri fundi insimul censiti pereant, d. 18. n. 8.

Incapaci existente quando debitor obligetur ad damna & interesse, d. 19. n. 5.

Super fundo non capaci impositus, est nullus & usurarius. d. 13. n. 6.

*Intellige* si creditor id sciat, d. 13. n. 7.

Et quid ubi scientia non adfuit ab initio, sed supervenit, d. 13. n. 8.

Et an dicta scientia ab initio cessionis obstet cessionario, quamvis illa non adfuisset tempore impositionis, d. 13. n. 10.

Non extante invalidè constituitur, d. 7. n. 3.

Fundum licet desinat possidere impositor, vel habens ab eo causam, non liberatur discur. 18. num. 7.

Sub legato stabilium veniunt d. 17. n. 4.

Locis montium quomodo æquiparentur ac cum eis fraternizent, d. 17. n. 7.

Per mulierem extingui potest sine solemnitatibus statutariis, secus autem constitui seu transferri, d. 29. n. 3. 4.

Nulli non debentur fructus, & soluti extenuant sortem, nec suffragatur bona fides, d. 10. n. 2.

Nullitas clara non excusatur à bona fide seu simplicitate personarum, secus videtur si sit dubia, d. 2. num. 11.

Nullitates declaratione aliqua & universali indigerent, d. 2. n. 12.

Nullitatis sanatio re integra concedi solet per Signaturam Gratiæ cum clausula *constito de vero credito*, d. 2. n. 2. d. 3. n. 5.

An & quomodo dicta sanatio concedi soleat ac debeat. d. 2. num. 8.

Pacta rescissoria servantur in Regno Neapolitano, secus in Curia & juxtà Rotam, d. 1. n. 2. 3. 4.

Rescissoria si fuerint admissa & eorum vigore relaxatum mandatum pro sorte ac fructibus, Signatura solet illud substinere pro solis fructibus, d. 1 n. 5.

In Regno quomodo practicentur, sive procedatur per Tribunalia in instrumentorum rescissione, d. 1. n. 7.

Pactum extinguendi valet factum in gratiam tertii interessari, secus si creditoris, d. 12. num. 2.

*Limitatio* non valet si sit collusivum inter tertium & creditorem, d. 12. n. 3.

Repetitivum sortis quando vitietur vel vitiet contractum, plures casus distinguuntur, d. 10. n. 3. d. 11. n. 3. 6.

Valet ubi concernit jus vel interesse tertii, d. 10. nu. 5.

Et observantia circa id plurimum operatur, d. 10. n. 6.

Et quid si sit repetitivum infra certum tempus, d. 11. n. 4.

Passivi an & quando veniant sub legato, vel donatione rei censitæ, d. 18. n. 2. 4.

In pecunia numerata debet constitui, aliàs est nullus & fructus imputantur in sortem, d. 4. n. 2.

*Limitatur primò*, nam dicta forma impleri potest per æquipollens ut per cedulam bancariam, d. 4. n. 3. 5. 6.

*Limit. secundò*, sufficit quando interveniat pecunia, licèt non numeretur, discur. 4. num. 4.

*Limit. tertiò*, sufficit quandoque ordo directus banco, & de differentia inter ordinem & cedulam, d. 4. n. 5. 6.

Et

Et cum pecuniæ interventu constitutus fuisse probatur extrinsece, etiamsi instrumentum non dicat, d. 5. n. 5.
Præscribi ferè impossibilis est, d. 20. n. 5.
Et de differentia inter sortem ac fructus, d. 20. n. 6.
De pretio rei venditæ, an possit constitui, d. 3. n. 7.
Ex redditibus annuis, an resultet qui solent præstari per loca pia donec retinent pecuniam, d. 17. n. 8.
Reductio ad minorem fructum est species prohibitæ alienationis, & cadens sub *extravag. ambitiosæ*, d. 14. n. 2.
Ad minorem fructum, quando sit substentabilis in prohibito alienare censum consignativum d. 14. n. 4.
Et quid in censu reservativo, d. 14. n. 5.
In Regno regulantur à Bulla *Nicolai V.* non verò *Pii V.* quæ non est recepta, d. 1. n. 3.
Sed id non attenditur in Curia, *& juxt. Rot.* d. 1. n. 4. d. 2. n. 1.
Super re aliena vel incapaci impositus, an & quando obliget ad fructus loco damnorum & interesse. d. 8. n. 4.
Ecclesiæ, si imponatur, dicitur alienatio requirens solemnitatem, d. 7. n. 2.
Secus super re Ecclesiæ acquirenda, quæ non subjacet *extravag. ambitiosæ*, d. 7. n. 6.
Emphyteutica, imponi non potest, d. 8. n. 2.
*Declaratur*, d. 8. n. 5.
Impositus, facto casu devolutionis, evanescit quoad dominum, d. 8. n. 3.
Et an hoc casu debitor liberetur, d. 8. n. 6.
Rescissio &c. *vid.* Pacta.
Restitutus in parte sortis non cessat in totum, sed pro parte restituta, juxtà communiorem, d. 15. num. 5.
Reviviscentia datur, ubi evincitur species in solutum assignata pro extinctione, & quare, d. 15. num. 3.
An detur ubi avocatur sors à judice seu magistratu restituta, sed cum obligatione restituendi prioribus & potioribus &c. d. 15. num. 4. vers. quartus remiss.
Non dari videtur quando sorte ac fructibus transfusi in creditum aliqua pars dicti crediti sit satisfacta, & aliqua non, d. 15. n. 4. vers. *quintus*.
Quando possit dari, si creditor census desinat possidere fundum censitum, d. 28. n. 4.
Sanatio &c. *vid.* Nullitatis.
Sortis restitutio facta per debitorem de mandato judicis loco implementi non causat extinctionem census, d. 9. n. 12.
Stabilia esse reputantur, eorumque nomine veniunt, d. 17. n. 2. 4.
Vitalitii sors est de mortua, & per debitorem non potest restitui invito creditore, & quid si adsit pactum rescissorium, d. 9. n. 8.
Fructus an debeantur loco damnorum, & interesse ad eamdem rationem, si sit nullum ex culpa debitoris, d. 9. n. 11.
Fundum an requirant vel possint esse personales, d. 9. n. 5.
Ubi posset fieri personalis, si partes voluerunt illum facere realem super fundo, isto cessante, corruit, discursu 9. n. 6.
Vitalitios nulliter creatos non lucratur debitor per mortem creditoris, d. 9. n. 2.
Creatos ad favorem Religiosi per istius mortem non lucratur debitor, d. 9. n. 3.
An lucretur debitor, qui non implevit contractum, d. 9. n. 4. 7. & seqq.
Vivus dari non potest, ubi creditor liberam facultatem habet repetendi sortem. d. 15. n. 6. disc. 16. num. 3.
Ususfructus solus formalis vel etiam causalis, seu proprietas, quando cessus, seu translatus dicatur, d. 22. n. 3.

CESSIO.

Census extinctiva fieri potest à muliere sine solemnitatibus statutariis, secus autem translativa, d. 29. n. 3. 4.
Et ex quibus censeatur esse extinctiva vel translativa, d. 29. n. 4. 5.
Hæreditatis facit cessionarium fingi hæredem ab initio, d. 18. n. 3.
Litigiosæ rei, reprobatur si sit voluntaria, secus si necessaria, d. 13. sub n. 2.
Licita est in reo, secus in actore, d. 13. n. 3.

CESSIONARIO

Census quando obstet scientia incapacitatis fundi censiti, d. 13. num. 10.

CLAUSULÆ.

Extendi quæ & quando possint à Notario, vel ejus successore, d. 5. n. 2. 6.

COLLUSIO

*Vide.* Simulatio.

COMMUNITAS.

Census constituere licet non possit ex Constit. Clem. VIII. potest tamen validè contrahi census cum privato scienter in servitium Communitatis, d. 30. n. 3. 4.

CONCURSUS CREDITORUM.

Pro sorte census creditorem admittit & graduat, d. 21. n. 5.

CONFINES.

Expressi fuisse in censu probantur etiam extrinsecè licet non dicat instrumentum, d. 5. n. 5.
Si non fuerint, census est nullus, d. 6. n. 6.
Sed dictus defectus facilitèr sanatur, d. 6. n. 9.
Specificari quando possint ex intervallo, & talis specificatio retrotrahatur, d. 6. n. 7.
Et quando dicta specificatio non sit necessaria, d. 6. n. 8.

CONIECTURA.

Simulationis & mali animi, ex quibus resultet, d. 12. num. 6.

CONSIGNATIO

Verbis eam importantibus, an & quando probetur verè sequuta, d. 16. n. 3.

CONSTITUTIO

*Vid.* Bulla

CONTRACTUS

Distrahi, an rectè possit cum quo fuit celebratus, distinnguuntur plures casus, d. 24. n. 3.
Non potest, nisi per principalem, seu procuratorem specialem, d. 24. n. 6.
Nominati non implementum non causat resolutionem, sed solùm actionem ad interesse, d. 9. num. 9.
Usurarius non substinetur ob ætatem pupillarem, d. 10. n. 4.

CONTUMACIA

Ad depositi validitatem, quando non requiratur, d. 26. n. 6.

CREDITOR

In Communitatis servitium scienter emere censum à privato rectè & validè potest, non obstante

dispositione Clem. VIII. d. 30. n. 3. 4.
In concursu qui formatur in bonis debitoris defecti, graduatur etiam pro sorte census, d. 21. num. 5.
Depositum approbare censetur ex observantia sivè ejus acquiescentia, d. 27. n. 7.
Doti quando præferatur in postea quæsitis si sit anterior, d. 13. n. 4. 5.
Fundi censiti eo ipso, quando efficitur dominus, census resolvitur, d. 28. n. 2.
An tali casu debeantur fructus loco damnorum & interesse, d. 28. n. 3.
Incapacitatem si sciat, quando census habeatur pro nullo & usurario, d. 13. n. 7. & seqq.
In fundo census consignativi, qual ejus habere dicatur, d. 18. n 6.
Fundum censitum, si possidere desinat, quando census reviviscat, d. 28. n. 4.
Generis quando cogere possit ad quantiplurimi, d. 16. sub n. 3.
Mulieri si mutuet, quæ contrahat tanquam principalis gerens proprium negotium non intrat Vellcianum, d 30. n. 2.
Pecuniam consumptam restituere, quando teneatur, d. 9. n. 10.
Retentionem non habet pro sorte census adversus posteriores creditores, d. 21. n. 2.
*Declarat.* d. 21. n. 3. 4.
Satisfactus præsumitur ex lapsu longi temporis sine ulla petitione d. 16. n. 2.

## CULPA.

Partis impedimentum præstans excusat, licèt aliàs impedimentum non esset excusabile, d. 27. n. 6.
Procuratorum utriusque partis, si sit eadem qualis sit magis excusabilis, d. 24. n. 9.

## D

## DEBITOR.

CEnsum vitalitium nulliter creatum non lucratur per mortem creditoris, d. 9. n. 2.
Nec lucratur per mortem Religiosi, ad cujus favorem erat creatus, d. 9. n. 3.
An lucretur, qui contractum non implevit, d. 9. n. 4. 7. & seqq.
Depositi facto, quando penitus liberetur à censu seu debito, d. 26. num. 4. & seqq. d. 27. n. 2.
Depositum rectè, ac validè feciße dicitur, si cum decreto judicis, d. 27. n. 3.
*Vid.* Depositum.
Extinguens censum cum eo cum quo non poterat, quando excusetur, ac liberetur, d. 22. n. 4.
Cum Tutore vel Prælato, an consequatur liberationem, d. 26. n. 7.
Extinguere censum non potest cum usufructuario, d. 22. n. 22.
Fructus census vitalitii an solvere teneatur loco damnorum & interesse ad eamdem rationem si ex ipsius debitoris culpa census sit nullus, d. 9. n. 11.
Fundo censito existente incapaci, qualem obliget ad damna & interesse d. 19. n. 5.
Et ad quid teneatur si fundi infructuositas ejus culpæ possit adscribi, d. 19. n. 4.
Generis quando teneatur ad quanti plurimi d. 16. sub n. 3.
Restituere non poterat sortem census de mandato Judicis loco implementi, non causat extinctionem, d. 9. n. 12.
Restituere non potest sortem census vitalitii invito creditore, & quid si adsit pactum rescissorium d. 9. n. 8.
Satisfeciße seu solviße præsumitur ex lapsu longi temporis, d. 16. n. 2.
Societatis officii non adimplemens promissa non facit lucrum, d. 9. n. 7.

## DEBITUM

Negatum non admittit præscriptionem statutariam, d. 20. n. 3.
Præscribi non potest à debitore ejusque primo hærede universali, d. 20. sub n. 5.
Et præcipuè si sit juratum, d. 20. sub. n. 5.

## DECISIONES.

Attendi seu capi quomodo debeant per Iudices & Advocatos, d. 24. n. 2. 11.
Motivis parum ad rem facientibus quare aliquando adhæreant, d. 24. n. 11.

## DECRETUM IRRITANS.

Bullæ Pii V. quando inficiat possessionem ita ut obstet etiam in summariißimo ob non servatam formam, d. 6. n. 2.

## DECRETUM JUDICIS.

Vide sententia.

## DEPOSITUM.

Approbatum dicitur ex observantia, seu creditoris acquiescentia, d. 27. n 7.
Census validè factum illum extinguit ac debitorem liberat, d. 27. n. 2.
Et quomodo sufficiat fieri ut valeat, d. 26. n. 3.
Malè factum validatur per ratihabitionem, d. 26. n. 5.
Rectè factum dicitur si cum decreto judicis, d. 27. n. 3
Quando dicatur etiam sine contumacia d. 26. num. 6.
Censeri debet concurrente æquitate, d. 27. num. 8.
Solutionem ac liberationem quando importet, d. 26. n. 4.

## DISDICTA CENSUS.

Facienda est principali vel procuratori speciali, d. 24. n. 6.
Formam certam an habeat & quid sufficiat ut dicatur rectè facta d. 26. n. 2.

## DOMINIUM.

Investimenti facti pro cautela emptoris an transeat in ipsius dominium evictione sequuta, dis. 25. num. 3.

## DOMUS

Ædificanda, si & postquam erit propria an sit capax ut possit super ea valide census creari d. 7. n. 4. 5.
Servitutem habens ad sui favorem si fiat de dominio debentis servitutem extinguitur servitus, quæ nec reviviscit ex eo, quod dicta domus alteri vendatur. d. 28. n. 5.

## DONATARIUS.

Hæreditatis fingitur fuisse hæres ab initio d. 18. n. 3.

## DONATIO.

Fundi censiti an & quando comprehendere censeatur etiam censum ipsum passivum d. 18. n. 2. 4.

## DOS.

Creditoribus anterioribus an præferatur in postea quæsitis, d. 13. n. 4. 5.
Potioritatis privilegio quando gaudeat discur. 13. num. 5.

EC-

# INDEX RERUM NOTABIL.

## E


CEnsum imponens super rebus suis dicitur alienare, ita ut requirantur solemnitates, d. 7. n. 2.
Imponere super re acquirenda non impeditur ab *extravag. ambitiosæ* d. 7. n. 6.

EMPHITEUTICA BONA.

Abbatiæ Farfen. cujus sint naturæ ac qualitatis, d. 8. n. 8.
Censui supponi non possunt per emphyteutam, d. 8. num. 2.
Declaratur, d. 8. n. 5.
Et si census fuerit super eis impositus, facto casu devolutionis evanescit quoad dominium, d 8. n. 3.
An autem dicto casu liberetur debitor, d. 8. num. 6.

EMPTOR.

Evictione sequuta an acquirat dominium investimenti pretii pro ejus cautela facti, d. 25. n. 3.
Fructus pecuniæ consequi debet, quam solvit volenti evincere rem emptam, d. 25 n. 4.
Et gaudet ad sui favorem eadem æquitate inducta per *l. curabit &c.* d. 25. n. 5.

EVICTIO.

Rei permutatæ dat permutanti regressum ad rem propriam, d. 15. sub n. 3.

EXCEPTIO.

Nullitatis census non solet retardare processum executivum pro fructibus & de unione, d. 8. n. 7. d. 11. n. 8.
Simulationis instrumenti non retardat instrumenti effectuationem sive excutionem, nisi clarè & in continenti probetur, d. 29. n. 2.

EXTINCTIO CENSUS.

Cessione quando inducatur, d. 29. n. 4. 5.
Deposito validè facto inducitur, d. 27. n. 2.
*Lim.* secus, si depositum sortis factum sit ad alium effectum, quàm extinctionis, d. 15. n. 4. vers. *tertius.*
Facta censetur, quoties creditor liberam facultatem habet repetendi sortem, d. 15. n. 6. d. 16. n. 3.
Cum eo, cum quo fieri non poterat, quando excusetur ita ut valeat, d. 22. n. 4.
Contra pactum in instrumento appositum ad favorem tertii est nulla, d. 23. n. 4.
Quando id procedat, d. 25. n. 2.
Informiter & non ritè, facit censum fingi vivum etiam pro cursu fructuum favore tertii d. 25. n. 6.
Non dicitur per assignationem, quæ non habuit effectum, d. 15. n. 4.
Fieri quando rectè possit cum eo, cum quo fuit constitutus, distinguuntur plures casus, d. 24. num. 3.
Cum hærede gravato seu possessore fideicommissi, quando fieri possit d. 23. n. 2.
A muliere fieri potest sine solemnitatibus statutariis, d. 29. num. 3.
Pacto potest conveniri in gratiam tertii interessati, non creditoris d. 12. n. 2.
*Lim.* non valet, si pactum sit collusivum inter tertium & creditorem, d. 12. n. 3.
A Possessore rei censitæ fieri potest invito etiam creditore, d. 21. n. 4.
Cum Prælato facta an inducat plenam liberationem, d. 26. n. 7.
Præsumi an debeat ob diuturnam non solutionem fructuum, d. 20. n. 8.
Cum Procuratore præsumpto vel reputato pro tali, facta tenet, d. 24. n. 5. 8.
Ex restitutione sortis facta per debitorem de mandato judicis loci implementi non causatur, d. 9. num. 12.
Reviviscentiam quando admittat.
*Vide* Reviviscentia.
Cum tutore facta an inducat plenam liberationem, d. 26. n. 7.
Cum usufructuario solo non potest fieri, d. 22. n. 2.


## F

## FACTUM


DEfuncti servare debet hæres etiam pro juribus ex propria persona competentibus & independenter, certis casibus exceptis d. 14. sub num. 3.

FARFENSIS.

Abbatia &c. vide Abbatiæ.

FRUCTUS IN GENERE.

Anathocismum quando propriè contineant, d. 2. n. 9.
Annui ut præscribantur, tot requiruntur præscriptiones, quot sunt anni, d. 20. n. 2. 6.
Et quomodo probanda sit dicta præscriptio, d. 20. n. 7.
Debentur juxta observantiam etiam non ostenso titulo, d. 14. n. 3.
An & quando id procedat in omni annua præstatione, usuris & censibus, d. 14. sub n. 3
Fructuum non dantur regulariter, sed dantur pro fructibus census, d. 2. n. 5.
Fundi censiti si deficiant, assimilatur peremptioni, d. 19. n. 2. 3.
Et quid si infructuositas adscribi possit culpæ ipsius debitoris, d. 19. n. 4.
Pecuniæ quam emptor solvit volenti evincere rem emptam, consequi debet, d. 25. n. 4.
In sortem converti, de jure est prohibitum d. 2. n. 3.

FRUCTUS CENSUS.

Cessare an & quando dicantur, ubi est in facultate creditoris repetere sortem, d. 13. n. 9. 11.
Fructus debentur tanquum damna & interesse, etiamsi census nullus ex culpa debitoris, d. 31. n. 3.
Currere adhuc dicuntur favore tertii, si malè sit extinctus, d. 25. n.
Et quando aliàs non currunt, an debeantur loco damnorum & interesse, d. 25. n. 7.
Deberi quando dicantur loco damnorum & interesse, si census sit impositus super re aliena vel incapaci, d. 8. n. 4. d. 25. n. 7.
Et quid si census resolvatur ex eo, quod creditor fiat dominus fundi censiti, d. 28. n. 2. 3.
Invalidi, non debentur, & soluti extenuant sortem, nec suffragatur bona fides, d. 10. n. 2.
Percepti quando non sint restituendi vel imputandi, licet census sit invalidus, d. 2. n. 10.
Reductio est species alienationis prohibitæ d. 14. num. 2.
Quando substineatur etiam in prohibito censum consignativum alienare, d. 14. n. 4.
Et quid in censu reservativo, d. 14. n. 5.
Rei censitæ fructum excedere non possunt & ad ejus ratam solam substinentur, d. 3. n 8.
Solutio executivè petita retardari nequit per exceptionem nullitatis, d. 8. n. 7. & de ratione, d. 11. num. 8.


In

In sortem conventi non prohibentur secundùm aliquos, d.2.n.4.
Contrarium, d. 2. n.6.
Quando non imputentur favore tertii, licet aliàs remaneant usurarii, d.23. n. 3.
Vitalitii & nulli ex culpa debitoris an debeantur loco damnorum & interesse, ad eamdem rationem, d.9. n.11.

FUNDUS CENSUS.

Confines expressos habuisse in eodem contractu census, probatur etiam extrinsecè licet instrumentum non dicat, d. 5. n. 5.
Si non habeat expressos, census est nullus, d.6. n. 6.
Sed dictus defectus de facili sanatur, d.n.9.
An possint ex intervallo dicti confines specificari, & talis specificatio retrotrahatur, d.6.n.7.
Et quando dicta specificatio non sit necessaria d. 6.n. 8.
Consignativi an & quando continere dicatur onus reale vel personale, d.18.n.5.9.
Observantia plurimum ad id attenditur, d. 18. n.10.
Et quale jus contineat ad favorem creditoris, d. 18. n. 6.
A creditore si amplius non possideatur, an census reviviscat per dictam possessionem extinctus, d. 28. n. 4.
In creditoris dominium statim ac perven census resolvitur, d.28. n.2.
An dicto casu debeantur fructus loco damnorum & interesse, d.28. n.3.
Deficiens quando impediat judicium etiam executivum, d.6.n.7.
Non impedit judicium manutentionis, d.6. num.4.
Diminutus diminuit censum, d.19.n.2.
Donatus si fuerit, an in donatione veniat etiam census passivus, d.18.n.2.4.
Extare si non reperiatur, invalidè census constituitur, d.7. n.3.
Extiturus, ut domus ædificanda, an sit capax ut super eo possit validè creari census, d.7.n.4.5.
Incapax esse si reperiatur, census remanet nullus & usurarius, d.13. n.6.
Intell. si creditor id sciat d. 13. n. 7.
Et quid ubi scientia non adfuit ab initio, sed supervenit, d.13. n.8.
An dicta scientia ab initio cessionis obstet cessionario quamvis illa non adfuisset tempore impositionis. d.13. n.10.
Quando obliget debitorem ad damna & interesse, d. 19. n.5.
Infructuosus si reddatur, assimilatur peremptioni, d.19. n.2. 3.
Et quid si infructuositas adscribi possit culpæ ipsius debitoris, d.19.n.4.
Legatus si fuerit, An cum eo veniat etiam census passivus, d.18 n.2.4.
Liberare non dicitur impositorem sive ab eo causam habentem ex quo ab eis non possideatur, d. 18.n.7.
Possessori dat jus extinguendi censum etiam invito creditore, d. 21.n. 4.
Subrogari potest idoneus & capax in locum deficientis sive incapacis etiam post mandati relaxationem d. 13. sub n. 11.
Substinet totum censum si sit capax, licet alter fundus eidem censui simul suppositus perierit, d. 18. num. 8.
Vitalitii an requiratur realis, vel sufficiat personalis, d. 9. n.5.
Et ubi fieri posset personalis, si partes voluerunt illum facere realem super fundo, isto cessante corruit census, d. 9. n.6.

H

HÆRES.

Beneficiatus dicitur potius administrator & duplicem per sonam gerere, d.29.n.7.
Ac licet non suffragetur inventarium, quatenus suppetunt vires hæreditariæ, non ex hoc tamen sequitur duplicis personæ incompatibilitas, d. 29.n. 8.
Esse ab initio fingitur cui fuit cessa vel donata hæreditas, d. 18. n. 3.
Facto defuncti contravenire non potest etiam pro juribus ex propria persona competentibus & independenter certis casibns exceptis, d. 14. sub num. 3.
Gravatus elegisse censetur in legitimam rem seu censum, de quo dispositum, d. 14. sub n. 3.
Legati interpretationem quando debeat admittere magis amplam ac favorabilem pro legatario quàm pro se, d. 17. n.5.
Nomine proprio vel hæreditario quando censeatur acquisivisse, d.29 n.6.
Putativus quando rectè solutionem recipiat ac liberet, d. 24. n. 8.

I

JANUENSES.

Diligentes esse præsumuntur, d. 24.n. 7.

IMPEDIMENTUM.

Ex culpa partis seu facto judicis proveniens excusat etiam si aliàs non excusabile esset, d.27.n.6.
Sedis Papalis vacantis quid operetur, d. 27. n.5.
Tempus non currere facit, sed conjungi sublato intermedio impedito, d.27.n.4.5.

IMPLEMENTUM.

*Vide* Adimplementum.

INJUSTITIA.

Sententiæ in parte inficit eam in totum nisi sit per capitula separata, d.1. sub n. 2.

INSTRUMENTUM.

Tituli, cautela est non producere in judicio manutentionis, d.6. n.5.
*Vide* Notarius.

INTERESSE.

Interesse & damna debentur etiam ex censu invalido ex culpa debitoris, d. 31. per totum.
*Vide* Fructus.

INVENTARIUM.

*Vide* Beneficium.

INVESTIMENTUM.

Pro emptoris cautela factum, evictione sequuta an fiat de dominio ejusdem emptoris, d. 25.n.3.

JUDEX.

Authoritates & decisiones quomodo debeat attendere & applicare, d. 24. n. 2.
Impedimentum si præstat facto suo, tale impedimentum excusat licet aliàs non esset excusabile, d. 27. num. 6.

JUDICIUM.

Executivum practicari non potest pro censu sublato per instrumentum extinctionis, licet de dictæ extinctionis simulatione objiciatur d. 29. num. 2.

Quando

Quando impediatur ex defectu pecuniæ numeratæ vel fundi censiti d.6.n.3.

Pro fructibus census retardari non solet per exceptionem nullitatis, & de ratione, d.8.n.7. d. 11. num.8.

Litigiosi vitium inducit, si judicium sit reale, secus si executivum, seu personale, d. 13.n. 2.

Et in actibus seu cessionibus voluntariis, secus in necessariis, d. 13. sub n.2.

Manutentionis non impeditur ex defectu pecuniæ numeratæ vel fundi censiti, d. 6. n.4.

Et datur cautela non producendi in eo instrumentum tituli, d.6. n. 5.

Possessorium &c. *Vide* Possessorium.

JURA.

Incorporalia quomodo probentur præscripta, d. 20. num.7.

JUSTITIA.

In possessorio quando attendatur, seu de ea cognoscatur, d. 11. n.7.

In Signatura justitiæ omnino attenditur, non autem nullitas nisi substantialis, d.11. num.2.

L

LEGATUM

FUndi censiti an & quando comprehendat etiam censum passivum, d. 18. n.2.4.

Interpretationem amplam pro se magis, quàm pro hærede, quando habere debeat, d.17.n.5.

Stabilium, comprehendit etiam census, d.17. n.2.4.

LEGITIMA.

Electa censetur in re seu censu, de quo disposuit hæres gravatus, d.14. sub n.3.

LEOTARDUS.

De usuris *quæst.* 68.*n.*8. reprobatur, d.11.n.3.4.

LITIGIOSÆ REI.

Cessio licita est in reo, non in actore, d.13.n.3.

Vitium inducitur judicio reali non autem executivo seu personali, d. 13.n.2.

Et in actibus seu cessionibus voluntariis, non autem necessariis, d.13. sub n.2.

LOCA MONTIUM.

Cum censibus fraternizant, d.17.n.7.

Vendita si fuerint à duobus, cum onere fidei commissi, quando unus ex dictis venditoribus vendicet medietatem ex propria persona, d.22. n.5.

*Vide* Montes.

M

MANDATUM EXECUTIVUM.

EXcessivum, substinetur de stylo, pro sola summa debita, d.1.n.6.

Pro sorte census relaxatum non impedit quin alter fundus idoneus subrogetur, d.13. sub n.11.

Pro sorte & fructibus census relaxatum vigore pacti rescissorii solet substineri per Signaturam pro solis fructibus, d.1.n.5.

MANDATUM PROCURÆ.

Præsumitur aliquando & ex quibus, d.24.n.5.

MANUTENTIO.

*Vide* Judicium manutent.

MONTES.

Super quibus investiuntur pecuniæ, habentur pro bonis stabilibus, d.17. n.6.

*Vide.* Loca montium,

MOTIVA.

In decisionibus quare aliquando apponantur parum ad rem facientia, d.24.n.11.

Ignota etiam ipsis victoribus sæpè sunt causa resolutionum, d. 24. n. 10.

MULIER.

Censum extinguere potest sine solemnitatibus statutariis, secus autem transferre, d.29.n.3.4.

Velleiano non juvatur, ubi contrahit tanquam principalis gerens negocium proprium, d. 30. num.2.

N

NEGATIVA.

PRobari quomodo & à quo debeat, discur. 20. num. 9.

NOTARIUS.

Attestari non potest de pecunia numerata, si in census instrumento non intervenit d. 5.n. 4.

Et attestatione sua fidem facit solùm de iis, quæ in ipso actu celebrationis instrumenti intervenerunt, d.5. n. 3.

Clausulas quas & quando extendere possit ipse vel ejus successor, d. 5. n.2.6.

NULLITAS CENSUS.

Declaratione aliqua universali indigeret in nonnullis casibus, d.2. n. 12.

Ex defectu confinium &c. *Vid.* Confines.

Excusari non debet ob bonam fidem seu simplicitatem personarum si sit certa & clara, secus videtur si sit dubia, d. 2. n.11.

Ob pecuniam non numeratam &c. *Vide* Pecunia.

In processu executivo &c. *Vide* Judicium.

Sanari solet per Signaturam gratiæ, re integra, & cum clausula, *constito de vero credito*, d. 2. n. 2. d.3.n.5.

Non debet re non integra, d.3 n.1.

Nec post sententiam, d.3.n.4.

Et quando ad dictum effectum dicatur res integra vel non, d.3.n.10.

Sanata cum clausula *arbitrio*, quid operetur & quando arbitrium sit interponendum, d.3.n.2.3.

An & quando dicta sanatio concedi soleat ac debeat, & quomodo, d.2.n.8.d.3. n.9.

Er retrotrahitur, ità ut census valeat ab initio, d.3. n. 6.

NULLITATES.

In Signatura justitiæ non attenduntur nisi satis substantiales, d. 11. n. 2.

O

OBLIGATIO.

CAusativa non cessat in eo, qui facto proprio merè voluntario desiit possidere rem ex qua resultabat obligatio, d.28. n.5.

OBSERVANTIA.

Decennalis sufficit in iis, in quibus jus non resistit, d. 14. sub n.3.

Fructus solvendi probat eorum debitum, licet non ostenso titulo, d.14.n.3.

An & quando id procedat in omni annua præstatione, usuris, & censibus, d.14.sub n.3.

ONUS.

Personale vel reale an & quando resultet super fundo census consignativi, d.18. n.5.9.

Ab observantia satis id pendet, d. 18.n.10.

ORDO.

Directus banco &c. *Vide* Pecunia.

P

## PACTUM.


EXtinguendi censum valet factum non in gratiam creditoris sed tertii interessati, d.12. n. 2.

*Limit.* secus si sit collusivum inter tertium & creditorem, d.12.n.3.

Repetitivum sortis census quando vitietur vel vitiet contractum, plures casus distinguuntur, d. 10. n.3.d.11. n.3. 6.

Valet ubi concernit jus vel interesse tertii, d. 10. n. 5.

Ab observantia plurimum id pendet, d. 10. num. 6.

Et quid si sit repetitivum infra certum tempus, d. 11. n. 4.

Resciſſorium census in Regno Neapolitano servatur, secus in Curia & juxta Rotam, d. 1.n.2.3.4.

Quomodo pacticetur in dicto Regno, ac in eo procedatur per Tribunalia, d.1.n. 7.


## PECUNIA.


Consumpta quando restitui debeat à creditore, d. 9. num. 10.

Interveniſſe in censu probatur etiam extrinsecè, licet instrumentum non dicat, d.5.n.5.

Investita super montibus computatur inter stabilia, d. 17.n.6.

Numerata esse requiritur in constitutione census, qui aliàs est nullus & fructuus imputantur in sortem, d.4.n.2.

Et talis defectus quando & quomodo sanetur &c. *Vide* Nullitas.

Quando autem ob dictum defectum impediatur judicium etiam executivum, d.6.n.3.

Non tamen impeditur judicium manutentionis, d.6.n. 4.

*Limit. primò*, nam dicta forma impleri potest per æquipollens per cedulam bancariam, d. 4. num.3. 5.6.

*Limit. secundò*, sufficit quod interveniat pecunia, licet non numerata, d. 4. nu. 4.

*Limit. tertiò*, sufficit ordo directus banco & quando, ac de differentia inter ordinem & cedulam, d. 4. n.5.6.


## PERMUTANS.


Regressum habet ad rem propriam, si res habita evincatur, d.15. sub n.3.


## POSSESSIO.


Obligationem causans statim ac deficit cessat obligatio, quod tamen non procedit in eo, qui facto proprio merè voluntario desinit possidere, d. 28.num. 5.


## POSSESSOR.


Fundi censiti habet jus extinguendi censum etiam invito creditore, d. 21. n.4.


## POSSESSORIUM.


A decreto irritanti contento in Bulla *Pii V.* quando inficiatur, d. 6. n. 2.

A jure bono vel malo quando pendeat, & cognitionem justitiæ admittat, d. 11.n. 7.


## POTIORITAS.


Dotis quando procedat, d.13. n.5.


## PRÆLATUS.


Extinctionem census recipiens an plenè liberet debitorem, d.26. n.7.

Putativus quando solutionem rectè recipiat ac liberet, d. 24. n. 8.


## PRÆSCRIPTIO.


In annuis censibus seu redditibus una non sufficit, sed tot requiruntur, quot sunt anni, d. 20. num. 2. 6. 7.

Census in sorte non datur, & quid in fructibus, d. 20. nu. 5. 6.

Debiti, à debitore ejusque primo hærede universali non potest induci, d. 20. sub n. 5.

Et præcipuè in debitis juratis, d. 20. sub n. 5.

Probari quomodo debeat in juribus incorporalibus ac annuis præstationibus, d. 20. n. 7.

Statutaria non intrat in debito negato, d. 20. n. 3.


## PRÆSTATIO.


*Vide.* Redditus.


## PRETIUM.


Rei venditæ an converti possit in pretium census, d. 3. n. 7.


## PROCESSUS.


*Vide.* Judicium.


## PROCURATOR.


Censum extinguere seu contractum rescindere quando possit quem ipse fuit stipulatus, plures casus distinguuntur, d. 24.n.3.

Extinguit etiamsi ad id sit solum præsumptus, seu pro tali reputatus, d.24.n.5. 8.

Disdictam ut facere possit, debet esse specialis, d. 24. n.6.

Generali cum administratione constitutus ex quibus censeatur, d. 24. n. 4.

Præsumitur aliquando, & ex quibus, d. 24. n 5.

Utriusque contrahentis si quisque sit in culpa, qualis videatur magis excusabilis, d. 24. n. 9.


## PROTESTATIO.


Contrahendi juxta formam Bullæ Pii V. quid operetur, d. 11. n. 5. d. 12. n. 5.


## PUPILLI.


Contractus usurarius non substinetur ob dictam ætatem, d. 10. n. 4.


R

## RATIHABITIO.


DEpositum malè factum validat, d. 26. n. 5.


## REDDITUS.


Annui ut præscribantur tot requiruntur præscriptiones, quot sunt anni, d. 20. n. 2. 6. & quomodo probanda sit dicta præscriptio, d. 20. n. 7.

Censum an importent, quando annuatim præstantur per loca pia retinentia pecuniam, d. 17. n. 8.


## REDUCTIO.


Census ad minorem fructum est species alienationis prohibitæ & cadit sub *extravag. ambitiosæ.* d. 14. n. 2.

Et quando substineatur de censu consignativo etiam in prohibito alienare, d. 14. n. 4.

Quid de censu reservativo, d. 14. n. 5.


## RES.


Censui &c. *Vid.* Fundus. Census.


## RESCISSIO.


Census. *Vid.* Pactum resciſſorium.


## RESOLUTIO.


Contractus nominati non sequitur ex non implemento, sed solum actio ad interesse, d. 9. n. 9.


## RESOLUTIONES CAUSARUM.


Ex motivis ignotis etiam victori quandoque prodeunt, d. 24. n. 10.


## RESTITUTIO.


Sortis census &c. *Vid.* sors. Reviviscentia.


RE-

RETENTIO.

Pro sorte census non datur adversus creditores posteriores, d. 21. n. 2.

Decl. ut non detur creditori censuario vel dictum creditorem repræsentanti, sed alio legitimo possessori datur, d. 21. n. 3. 4.

RETROTRACTIO.

In sanatione nullitatis census locum habet & validatur actus ab initio, d. 3. n. 6.

REVIVISCENTIA CENSUS.

Datur ubi evincitur species in solutum assignata pro extinctione, & quare d. 15. n. 3.

Secus videtur, quando sorte & fructibus transfusis in creditum, pars dicti crediti sit satisfacta, & aliqua non, d. 15. n. 4. *Vers. Quintus.*

An & quando detur, creditore census non amplius possidente fundum censitum, d. 28. n. 4.

Et quid ubi avocatur sors per judicem seu magistratum restituta, sed cum obligatione restituendi prioribus & potioribus, d. 15. nu. 4. *vers. quartus remiss.*

S

SANATIO NULLITATIS CENSUS.

COncedi an & quando debeat vel denegari, d. 2. n. 8.

Quomodo soleat per Signaturam Gratiæ seu per eam rescribi, d. 2. n. 2. d. 9. n. 5. 9.

Concessa cum clausula *arbitrio*, quid operetur, d. 3. n. 2.

Et quando arbitrium sit interponendum nec nè, d. 3. n. 3.

Ob defectum confinium fundi non expressorum de facili conceditur, d. 6. n. 9.

Re non integra, denegari debet, d. 3. n. 1.

Et quando ad d. effectum dicatur res integra, vel non, d. 3. n. 10.

Post sententiam denegari solet, d. 3. nu. 4. validat actum ab initio cum retrotractione, d. 3. n. 6.

SEDIS

Papalis vacantis impedimentum quid operetur quoad tempus agendi, d. 27. n. 5.

SENATUS CONS. VELLEAN.

Intrare non dicitur ubi mulier contrahit tanquam principalis gerens negotium, d. 30. n. 2.

SENTENTIA.

Appellabilis in parte fit appellabilis in totum, quoties non est per capitula separata, d. 1. sub n. 2.

Injusta in parte redditur in totum injusta, nisi sit per capitula separata, d. 1. sub n. 2.

Ex motivis ignotis etiam victori quandoque profertur, d. 24. n. 10.

SERVITUS.

Domui debita extinguitur si domus fiat habentis servitutem, nec revivisci si deinde dictam domum alteri vendat, d. 28. n. 5.

SIGNATURA GRATIÆ

Audientiam novam non solet de stylo concedere, d. 2. n. 7.

Nullitates census sanat &c. *Vid.* Nullitas Sanatio.

SIGNATURA JUSTITIÆ.

Mandatum relaxatum pro sorte & fructibus census vigore pacti resciforii solet substinere pro solis fructibus, d. 1. n. 5.

Excessivum solet substinere pro sola summa debita, d. 1. n. 6.

Nullitates non curat nisi satis substantiales, sed attendit præcipuè justitiam, d. 11. n. 2.

SIMULATIO.

Causa simulandi cessante, non probatur nisi per justificationes claras & expressas, d. 20. n. 4.

Deduci ex quibus soleat, d. 12. n. 6.

Probari quomodo sufficiat, d. 12. n. 4.

Debet clarè & incontinenti ad hoc ut retardet executionem instrumenti, d. 29. n. 2.

SOCIETATIS OFFICIL

Debitor qui promissa non adimplevit, non facit lucrum, d. 9. n. 7.

SOLEMNITATES STATUTARIÆ.

In actu voluntario requiruntur, ut census translatione, secus in necessario ut extinctione, d. 29. n. 3. 4.

SOLUTIO.

Ex deposito facto quando resultet, d. 26. n. 4.

Facta hæredi putativo seu Prælato putativo vel alteri, cui juste potuit credi, an assequatur liberationem, d. 24. n. 8.

Præsumitur facta, ex lapsu longi temporis d. 16. sub num. 2.

A Procuratore non ritè facta Procuratori nulliter recipienti, digniorem excusationem cui tribuat, d. 24. n. 9.

SORS CENSUS.

In concursu qui formatur in bonis debitoris defecti, graduatur, d. 21. n. 5.

Depositata rectè quando dicatur. d. 26. n. 3. & seqq.

Invalidi &c. *Vid.* Fructus.

Repetibilis licet sit facta per mandati relaxationem, potest tamen subrogari fundus idoneus, d. 13. sub n. 11. & d. 31. n. 11. & 12.

Si facta quomodolibet fuerit, census vivus esse non potest, d. 15. n. 6. d. 16. n. 3.

Ac an & quando faciat cessare fructus, d. 13. n. 9. 11. d. 15. n. 6.

Sors transfusa in aliud creditum repeti potest, & census non dicitur vivus, d. 16. n. 3.

Repeti posse si conveniatur, quando vitietur pactum vel contractus, plures casus distinguuntur, d. 10. n. 3. d. 11. n. 3 6.

Valet dictum pactum ubi concernit jus vel interesse tertii, d. 10. n. 5.

Et quid si pactum sit repetitivum infra certum tempus, d. 11. n. 4.

Observantia plurimum circa id operatur, d. 10. n. 6.

Restituta per debitorem de mandato judicis loco implementi, non causat extinctionem census, d. 9. n. 12.

In parte, non extinguit censum in totum, sed pro parte restituta juxta communiorem, d. 15. num. 5.

Retentionem non causat adversus posteriores creditores, d. 21. n. 2.

Declaratur, d. 21. n. 3. 4.

Revivisc ere quando dicatur &c. *Vid.* Reviviscentia.

Vitalitii est demortua, & per debitorem non potest restitui invito creditore, & quid si adsit pactum rescissorium, d. 9. n. 8.

STABILIA.

*Vid.* Bona.

STATUTUM.

Urbis 151. requirens solemnitates in quibuscumque actibus ac contractibus quibus mulier lædi potest, procedit in actibus voluntariis, ut census translatione, secus in necessariis, ut in extinctione, d. 29. n. 3. 4.

# INDEX RERVM NOTABIL.


T

## TEMPUS.

Impedito non currit, sed conjungitur sublato intermedio impedito, d.27.n.4.5.
Sedis Papalis vacantis quando impediat, itaut sit subtrahendum. d.27.n.5.

## TEXTUS IN

*Extravag. ambitiosæ* comprehendit etiam reductionem census ad minorem fructum, d.14.n.2.
L. cum de in rem verso ff. de usuris, & l. adversus C. de usuris, declarantur, in quibus procedant, d.14.n.3.
L. curabit C. de action. empti procedit etiam ad favorem emptoris, d.25.n.5.
L. si fœnebris C. ad Velleian, declaratur, d. 30. num.2.

## TRADITIO.

Rei &c, *Vid.* Consignatio.

## TRANSLATIO.

Census ex quibus inducatur, d.29.n.4.5.

## TUTOR.

Extinctionem census admittens sine decreto an plenè liberet debitorem, d.26.n.7.

V

## VELLEIANUM.

*Vid.* Senatus Cons. Vell.

## VENDITIO.

Census à duobus facta cum vinculo fideicommissi si fuerit, quando unus ex dictis venditoribus vendicet medietatem ex persona propria, d.22.n.5.
Esse quando censeatur extinctiva vel translativa, d.29.n.5.

## VERBA.

Census extinctionem seu translationem, an & quæ inducant, d.29.n.5.
Consignationem seu traditionem importantia ut sunt *cedat, dtat, tradit &c.* an & quando illam probent sequutam, d.16.n.3.

## USURÆ.

Ob ætatem pupillarem non substinentur, d.10.n.4.
A bona fide non excusantur, d.10.n.2. *Vid.* Fructus.

## USURARIUS.

Census an & quando remaneat, qui impositus fuerit super fundo non capaci, Et quid cum scientia creditoris, vel sine, d.13.n.6. & seqq.

## USUSFRUCTUS.

Census quando dicatur cessus seu translatus solus formalis vel etiam causalis seu proprietas, d.22. num.3.

## USUFRUCTUARIUS.

Censum extinguere solus non potest discur. 22. num.2.


FINIS.

# PARS QUARTA.

## DE

# SOCIETATE OFFICII

# INDEX ARGUMENTORUM

## IN DISCVRSIBVS

## Qui habentur in hoc Libro de Societate officii.


Disc. I.

*Perusina Societatis officii.*

An societatis officii lucro sit locus per mortem ejus, sub cujus vitæ periculo posita est, si de tempore, quo inita fuit, ignaris contrahentibus, talis persona erat graviter infirma, & in subsequutæ mortis periculo constituta.

Disc. II.

*Romanæ societatis officii.*

De lucro societatis officii per mortem ejus, sub cujus vitæ periculo contracta est, An & quandò impediatur ob non præstitum fidejussorem, vel aliud non implementum, Et quandò istud remissum censeatur.

Tempus initæ societatis quomodò sit computandum, & quandò incipiat. Et an per diversam observantiam solvendi fructus censeatur novata prima conventio.

Disc. III.

*Romana lucri societatis officii.*

De eadem materia lucri sortis per mortem, quandò illi obstet necnè defectus implementi.

Disc. IV.

*Romana nullitatis societatis officii.*

An dissoluta societate per mortem creditoris absque eo quod factus esset locus lucro, illa renovari possit cum uno ex duobus hæredibus; Et quatenus id fieri non posset pro rata spectante ad cohæredem absentem, An substineatur pro rata spectante ad eum qui contraxit.

Disc. V.

*Romana Renovationis.*

Fidejussor debitoris in societate officii, An possit in præjudicium principalis absentis vel ignari renovare societatem, sivè alteram ex integro contrahere, ut priorem dissolveret; Et quid ubi ipsemet fidejussor est etiam creditor, An id agere possit ad proprium commodum.

Disc. VI.

*Romana solidationis computorum.*

An unus & idem possit esse debitor & creditor societatis officii, & quando id sit compatibile.

Inita societate inter officialem & duos creditores insolidum pecuniæ datores, An per mortem unius ex istis societas dissolvatur.

Quando dicatur valida societas inita cum absente, de cujus ratificatione tacitè appareat per exactionem fructuum.

Disc. VII.

*Romana nominationis.*

An cessionarius societatis officii mutare possit personam, sub cujus vitæ periculo illa currere debeat, ac exercere talem nominandi seu mutandi facultatem socio cedenti attributam, Et de materia dissolutionis societatis, quando illa sequi dicatur per mortem cedentis, vel per mortem cessionarii.

Disc. VIII.

*Camerinen. societatis officii.*

An societas officii contrahi possit per eum qui non est officii titularis, sed fructuum emolumentorum reservatarius; Et quid è converso an contrahi possit per Titularem, ubi alter est fructuum & emolumentorum reservatarius.

Et an idem reservatarius qui societatem contraxit præstando nudum nomen in gratiam alterius qui pecuniam recepit, ac bonam fidem recognovit; possit ex cessione creditoris effici creditor, ita ut ad ejus commodum continuet & duret societas.

Disc. IX.

*Romana societatis officii.*

De fructibus non debendis post dissolutam societatem per disdictam; Et de renovatione societatis facta per solum officialem absente creditore, An valeat, & an sufficiat ratificatio tacita & conjecturalis.

Disc. X.

*Romana sive &c.*

An in societate officii fructus decursi converti possint in sortem principalem, novam societatem ex eis creando.

Disc. XI.

*Romana societatis officii renovata.*

An & quando post dissolutam societatem officii per mortem vel disdictam, adhuc debeantur fructus ei, qui dedit pecuniam ad societatem; Et aliqua de tacita renovatione cum hærede; Et an exceptio fructuum malè solutorum impediat processum executivum pro solutione sortis principalis.

Disc. XII.

*Compendium materiæ societatis officiorum.*

De origine, seu introductione contractus societatis officiorum in Romana Curia adeò frequentis, & usitati, An ille in utroque foro censeri debeat licitus nec nè; Quid verè, & propriè contineat, & quæ ratio illum substineat. Et de pluribus ejus requisitis, & quæstionibus in eo cadentibus.

# INDEX CAVSARVM

## Hoc Titulo de Societate officii, ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

### C

CAmerinen. Societatis officii, d. 8. fol. 13.

### P

PErusina Societatis officii, dis. 1. fol. 1.

### R

ROmana sive &c. dis. 10. fol. 15.

Lucri Societatis officii, discur. 3. fol. 5.
Nominationis, d. 7. fol. 12.
Nullitatis Societatis officii, dis. 4. fol. 7.
Renovationis, d. 5. fol. 8.
Societatis officii, d. 2. fol. 2.
Societatis officii, d. 9. fol. 15.
Societatis officii renovatæ, d. 11. fol. 16.
Solidationis computorum, d. 6. fol. 9.
Compendium materiæ Societatis officiorum, d. 12. fol. 18.

# DE SOCIETATE OFFICII

## DISCURSUS PRIMUS.

### PERVSINA SOCIETATIS OFFICII

PRO

### JACOBO ARGENTEO

*CUM*

### ALMERIGIS.

*Responsum pro veritate.*

An societatis officii lucro sit locus per mortem ejus, sub cujus vitæ periculo posita est, si de tempore, quo inita fuit, ignaris contrahentibus, talis persona erat graviter infirma, & in subsequutæ mortis periculo constitura.

*SUMMARIUM.*

1 *Casus controversiæ.*
2 *Actus gestus cum falso præsupposito corruit.*
3 *De casibus exceptis, in quibus cesset lucrum sortis.*
4 *De ratione, ob quam mors violenta excipitur.*
5 *Habens facultatem eligendi seu nominandi, si nominat mortuum vel moribundum, eam non consumit.*
6 *Solvens adjecto, quem scit mutasse statum, malè solvit.*
7 *Acceptans litteras cambii an teneatur si scribens decoxit.*
8 *Venditor mercium quando etiam sine reservatione dominii præferatur creditoribus anterioribus.*
9 *De aliis similibus, in quibus actus habetur pro infecto ob deficientem consensum.*
10 *Quod creditori adversus lucrum pecuniæ datæ ad societatem succurratur beneficio restitutionis in integrum, vel læsionis.*
11 *In dubio pro exclusione lucri.*

DISC. I.

1 SUb die 2. Septembris Argenteus in Urbe iniit societatem officii sub periculo vitæ Caroli filii in Civitate Perusii existentis, qui tunc graviter infirmus post quatuor dies obiit, quarè interrogatus per quemdam insignem Cardinalem, quid in isto casu sentirem, an scilicet per talem mortem factus esset lorus lucro dictæ societatis, Respondi ut sequitur.

Individuorum notitiam magnæ eruditionis & laboris effectum, sæpè quotidiana experientia docet, partum esse casus & fortunæ; Quantum ergo videre licuit, casum controversum in individuo tactum non inveni. Quarè procedendo cum regulis & principiis generalibus cum quibus deficiente particulari decisione majorum nostrorum exemplo procedere docemur, pro certo respondendum censeo pro lucri exclusione, vel ratione consensus deficientis, vel ratione casus ex partium verisimili intentione exceptuati; Cerrò enim certius est Io. Iacobum contraxisse societatem sub periculo vitæ Caroli ejus filii verisimiliter attento ordine naturæ, plus vixuri, cum præsuppositio, quod esset sanus, Si enim cogitasset illum tunc in periculosa infirmitate, ac morti proximum reperiri, utique eum non nominasset, Ideoq; dicēdus est contractus vel actus gestus cum falso præsupposito, cujus ratione ex deficiente consensu corruit ac habetur pro infecto, cū nunquam animus, seu voluntas trahatur ad ea ignorata, quæ cognita verisimiliter gesta non essent *l. cum putarem ff. famil. erciſc. cum concord. per Duran. dec. 373. num. 4. & 11. Rota in Bonon. nullitatis concordia 12. Junii 1645. coram Cerro & in aliis.* 3

Quod autem hoc fuerit præsuppositum Jo. Jacobi, quodque si casum sciviſſet, vel etiam cogitasset, id non egisset, probat nedùm ipse sensus naturalis, sed etiam contextus contractus, in quo exceptuanrur, non solùm casus mortis violentæ in communi formula apponi solitus, sed etiam alter febris quæ nuncupatur *petichialis*; Si enim sibi voluit præcavere nedum de casu mortis violentæ, sed etiam naturalis ex causa dictæ febris, multò fortius dicendum est ejus animum nullo modo dirigi potuisse ad nominationem constituti in articulo vel in proximo periculo mortis; Talemque animum aperte comprobat subita mutatio personæ post habitam notitiam infirmitatis, Animus enim & voluntas non magis verbis quàm factis probatur *ex deductis per Gregor. dec. 163. 239. & 247. ubi Adden.* atque ex præcedentibus ac subsequentibus optimè concluditur *Greg. dicta dec. 239. num. 5.*

Et quemadmodum in casu mortis violentæ cessat lucrum, non ratione tollendi occasionem insidiarum, ut malè censuit *Boccacc.* sed ratione deficientis consensus, *ut in voto Seraph. impreſſ. apud Zach. de ſociet. dec. 46. num. 8.* & est alias certum, ita & fortius cessare debet in præsenti, in quo clarius ac verisimilius abest consensus contrahendi; Atque sicut creditore nominante mortuum, nulli dubium est quod contractus esset imperfectus & invalidus, ita dicendum est, dum nominavit constitutum in mortis articulo, qui mortuo assimi- 4

latur *ad text. in l. quæsitum ff. de jud. ubi communiter DD. & in l. cum in statu §. si amboff. de donat. inter vir. & uxor. cum concordan. de quibus Fontius in tract. de momento temporis c. 6. Rip. de actibus in artic. mort. c. 1. n. 2. & 3. cum seqq.* cum aliis quæ in proposito moribundi, seu constituti in mortis articulo habentur in *Romana augmenti de Bolognettis sub tit. de dote disc. 27.*

Hinc propterea habemus, quod habens facultatem eligendi & nominandi, vel similem expirantem in primo actu, si eligit, vel nominat mortuum, vel moribundum, aut aliàs ex errore gerit actum, qui inutilis est, ac effectum non sortitur, non privatur tali facultate, sed actus præcedens habetur pro non facto, quoties abest dolus vel culpa facientis, ut ad limitationem *textus in l. boves §. hoc sermone ff. de verb. signif.* plura colligit *ibidem Tiraquell. limit. 1. & limit. 21. per totum.*

Et magis proximè, si quis mandet suo debitori, ut pecunias solvat Cajo absenti, qui reputatus ab adjiciente integræ fidei detegatur de coctus, utique debitor tali adjecto solvens malè solvit, si sciat mutationem status, quàm tamen inquirere non tenetur, non alia genuina ratione, nisi quia voluntas adjicientis trahi non potuit ad hujusmodi casum, quem si cogitasset, utique ita non mandasset *Stracc. de adject., par. 3. num. 59. & 110. Capyc. Latr. dec. 8. n. 3.*

Item mercator, cui diriguntur litteræ cambii alicui solvendæ, illas acceptans cum præsuppositio, quod scribens esset in valido statu, non tenetur ad solutionem, atque acceptatio illum non obligat, si de tempore acceptationis ille mutaverat statum, dictaque mutatio verisimiliter erat acceptanti ignota ex amplè deductis *dec. 345. par. 5. rec. in Romana litterarum Cambii 16. Martii 1640. coram Coccino, in Romana seu Neapolitana litterarum cambii 9. Junii 1653. Dunozetto* inter suas *decis. 940. Merlin. controv. 11. centur. 2. Rot in Romana seu Neapolitana litterarum cambii 13. Aprilis 1668. coram Albergato*, in quibus habentur concordantes, quod latius agitur *sub tit. de Cambiis, in Rom. litterarum cambii seu Bonon. disc. 20. & in dicta Romana, seu Neapolitana pro Salutio disc. 25.* & in aliis, idque non alia ratione nisi consensus deficientis in acceptatione.

Insuper certa juris conclusio est, quod venditis mercibus habita fide de pretio, illarum dominium transfertur in emptorem, adeout si postea iste deficiat, ejus creditores anteriores super illis præferantur eidem priori domino & venditori, sed si emptor de tempore emptionis erat decoctus vel decoctioni proximus inscio venditore, qui bona fide illum putabat idoneum ac fidelem, tunc propter deficientiam consensus vendendi, fidemque habendi, non transfertur dominium, atque venditor est aliis potior in suis mercibus, ut plenè discusso articulo, & omnibus opinionibus recensitis *probat Gizzarell. decis. 62.* & habetur *sub tit. de credito.*

Et conferunt ad probandam verisimilem deficientiam consensus, quæ notantur per *Franch. decis. 113.* de sponsione super casu, qui tunc jam evenerat, Atque benè congruit simile de assecuratione navis jam naufragatæ ob eamdem rationem deficientis consensus ex deductis *per Greg. decis. 126. n. 5. & per tot.* Ac faciunt etiam, quæ in jure notantur de actione redhibitoria circà emptionē rei, quæ reputata valida detegitur infecta & defectiva, pluraque similia dari possunt, in quibus de jure statutum est, actum gestum præter intentionem haberi pro infecto, quoniâ actus voluntarii non plus obligant vel operantur, quam voluntas est atq; actus agentium ultrà intentionem non operantur; Vndè propterea firmiter dicendum videtur, contractum societis ex defectu consensus circà nominationem periculi esse imperfectum & invalidum, proindèque cessare lucrum.

Et quatenus etiam contractus perfectio prætendi posset, adhuc tamen succurrendum omninò veniret creditori, Vel beneficio restitutionis in integrum competenti etiam majoribus ex clausula generali, *si qua mihi justa causa*, propter ignorantiam dictæ periculosæ infirmitatis, cum de jure non dubitetur probabilem & justam ignorantiam mereri restitutionem ex deductis *per Odd. de restit. in integr. quæst. 8.* Vel ex capite læsionis enormissimæ, quæ resultaret creditori ementi cum sua pecunia periculum vitæ nominati, maximè enim læsivum, atque ab omni æquitate alienum est, ut sub periculo vitæ moribundi, ac in lætali infirmitate constituti, creditor totius sortis jacturam, debitor autem adeò ingens lucrum sine probabili periculo facere debeat, cum absolutum sit apud legistas, canonistas & morales in hujusmodi contractibus sola periculi ratione licitis, lucrum esse debere proportionatum periculo, atque periculum lucro, ut in materia sponsionum communiter tractant.

Et tandem sufficere videtur per hæc animum judicis reddi dubium, ut in dubio pro exclusione lucri veniat judicandum favore creditoris tractantis de damno vitando, non autem debitoris contendentis de lucro captando *Zacch. de Societ. num. 429. Cavaler. dec. 220. & 239. utrobique in fine.*

---

# ROMANA

## SOCIETATIS OFFICII

PRO

SFORTIA CESCARINO

CUM

GASPARE CHRISOSTOMO.

*Casus decisus per Rotam pro Chrisostomo.*

De lucro societatis officii per mortem ejus, sub cujus vitæ periculo contracta est, An & quandò impediatur ob non præstitum fidejussorem, vel aliud non implementum, Et quandò istud remissum censeatur.

Tempus initæ societatis quomodò sit computandum, & quandò incipiat. Et an per diversam observantiam solvendi fructus censeatur novata prima conventio.

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*

2 *Lucrum impeditur per non implementum quia debitor ex contractu non adimplere nen debet facere lucrum.*

3 De-

3 *Declaratur ista conclusio, & quando ob receptionem fructuum censeatur remissum implementum.*

4 *Protestatio seù clausula* sine præjudicio, *an suffragetur, ut receptio fructuum non causet remissionem implementi.*

7 *Observantia partium circà solutiones fructuum, an & quandò innovet conventionem, vel potius sit declarativa eò magis attendenda.*

6 *Dies termini an computetur in termino, & de modo computandi semestrales, vel alios terminos.*

7 *Quando dicatur contrahi mora super non implemento.*

8 *An tempus currat statim inito contractu de momento ad momentum, vel à media nocte sequenti.*

9 *De ratione, ob quam in societate officii tempus est computandum de momento ad momentum.*

10 *Ubi non constat de hora contractus sit computatio in meridie.*

## DISC. II.

1 ACcepit Chrysostomus sub die *8. Februarii* 1647. à Cesarino scuta 5500 ad Societatem officii super ejus notariatu A.C. sub conventione solvendi fructus de mense in mensem, sub die verò quinta ejusdem mensis idem acceperat ad similem Societatem super eodem officio scuta 500. à Paulo Saffio, sub consueta formula, per sex menses scilicet, pro quibus anticipatè fructus soluti fuerunt, & deindè ad beneplacitum; Cumque per obitum dicti Pauli dissoluta fuisset dicta Societas, illa renovata fuit sub die 18. Maii 1648. cum Joanne Antonio ejus hærede, super istius vitæ periculo, & cum promissione faciendi accedere infrà quindecim dies proximos Francicum Cesarinum, tàm pro sortis, quàm pro fructuum cautela, atque post quatuor menses dictus Joannes Antonius præfatæ societatis commodum cessit dicto Cesarino dictam aliam majorem societatem habenti, remanente periculo super ejus vita; Cum autem sub die 19. *Novembris* 1650. ipsa die labente dictus Joannes Antonius obiisset, Hinc orta est controversia super dictorum scutorum 500. lucro, quod regulariter fit per debitorem per mortem ejus, sub cujus vitæ periculo societas contracta est.

Negabat Cesarinus lucrum prædictum ex capite
2 non implementi, stante quod statuta die, nec postea debitor fecerat accedere dictum alium Cesarinum creditoris Germanum fratrem, ex punctualiter firmatis *in Pisauren. Societatis officii coram Roias* inter suas *decis. 46.* quæ circumferuntur in materia magistralis, sæpius canonizata, præsertim *in Romana societatis officii coram Otthobono* inter suas *decis.* 131. quod scilicet ex regula, ut nemo reportare possit commodum ex contractu, quem non adimplevit, debitor ita deficiens non debeat tale lucrum facere.

Econversò Chrysostomus debitor non impugnabat regulam prædictam, sed fundabat ejus intentionem in limitatione pariter recepta, ut idem non pro-
3 cederet, quandò mors contingeret in eo semestri seù alio statuto tempore societatis, pro quo creditor fructus recepisset in toto vel in parte, ex ea ratione, quod dictum implementum censetur remissum, atq; implicitè declarata voluntas creditoris continuandi pro eo tempore, ac non habendi contractum pro resoluto, ut aliàs dicere posset ex non implemento habuisse, præterquam in ea anticipata solutione fructuum primi semestris, quia cum implementum promittatur à parte postea, non intrant dictæ rationes remissionis moræ, vel declarationis contrarii animi, ut cæteris allegatis benè firmatur *in Romana societatis officii 13. Martii 1648. coram Bichio*, quæ pariter circà istam limitationem circumfertur in materia magistralis, passim recepta, & in aliis canonizata.

In qua decisione firmatur, creditori recipienti fructus in toto, vel in parte illius semestris, seù alterius 4
termini, non suffragari cautelam protestationis solitæ fieri cum clausula *sine præjudicio*, nisi ad effectum, ut salvum remaneat ejus jus etiam isto semestri, vel alio termino durante cogendi debitorem ad implementum, non autem ad effectum lucri, quoniam aliàs esset captiosa & fraudolenta cautela percipiendi exorbitantes fructus duodecim vel decem pro centenario sinè periculo, quod omninò damnatum est in isto contractu, quem periculum amissionis sortis unicè salvat ab usura, undè propterea etiam ipsa regula, de qua *in dicta Pisauren. coram Roias* non est à fraude & captione immunis, quoniam callidi creditores ita curant negligere exactionem fructuum semestris vel termini currentis, in quo mortis periculum contingere possit, atque ad id ut plurimum non advertunt debitores, qui frequentius vel sunt suffocati & indigentes, vel rerum suarum mali administratores hujusmodi contractus speciem facientes, undè est percipere talem fructum sinè periculo, atque sanctius esset hujusmodi cautelas per legem generalem indefinitè damnari *ut infra disc. final.*

Stante ista theorica generaliter ac in abstracto vera & recepta, tota quæstio restringebatur ad factum, An scilicèt aliquid solutum esset in causam novi semestris, quod per diem antè mortem inceperat, dum societas contracta fuerat sub die 18. Maii, mors autem sequuta erat sub die 19. Novembris; Sivè sn potiùs dici posset mortem prædictam evenisse in ipso præterito labenti semestri, in quo non dubitabatur fructus esse solutos.

Ad evitandas igitur istas difficultates, scribentes pro Cesarino creditore, qui erant ex primariis ac senioribus Advocatis, in disputationibus habitis coram A.C. probare curarunt, calculandum non esse ad rationem semestris, sed ad rationem singulorum mensium juxtà formam alterius societatis magnæ, juxtà quam creditor, istam parvam postmodum quæsitam annectendo, solutiones fructuum regulaverat, illos unitim exigendo tanquam pro uno debito singulis mensibus, allegando super hujusmodi novatione eadem auctoritates & rationes canonizatas in infrascriptis hujus causæ decisionibus, ita inferendo, quod cum termini societatis consisterent in singulis mensibus discretivè, consequenter mensis Novembris remaneret absque solutione fructuũ, atq; cum ista lectura à judice primæ instantiæ victoria reportata fuit cum relaxatione mandati, canonizati etiam per Signaturam Justitiæ bis rescribendo de appellatione in Rota cum clausula, *sinè præjudicio*; Verum recurrente debitore ad Sanctissimum, atque ex istius speciali rescripto in camera, demandata clausula *si quid exequendũ*, datoque dubio *in Rota coram Celso*, cui commissa erat, *An mandatum prædictum exequendum esset*, me tunc ex junioribus per creditorem ad causæ defensionem senioribus adjuncto; In congressu juxtà laudabilem stylum habito pro causæ directione, benè consideratis calculis solutionum quæ in causam fructuum minutatim ac diversis vicibus factæ fuerant, cum ea modestia & reverentia quam servare de-

bere decebat juniorem damnare volentem modum defensionis à senioribus ac primariis tentum, insinuavi pro meo judicio malè actum esse deducere ad campum dictam novationem, calculando terminos menstruales potiùs quàm semestruales, quoniam ita calculando ad rationem singulorum mensium, clarè constabat in causam fructuum illius mensis novembris aliquas partitas remanere solutas; Econversò autem calculando de semestre in semestre, absolutum remanebat nihil in causam novi semestris hujus parvæ societatis esse solutum, cum partitæ solutionum absorberentur à menstrualibus fructibus alterius societatis magnæ; Atque cognita ista veritate per omnes deventum est in meam sententiam, ut in disputatione Rotali causa defendenda esset per viam oppositam, negando scilicèt dictam menstrualem novationem, ac substinendo calculari debere de semestri in semestre ad formam instrumenti, cum aliàs prosequendo primam viam, succumbentia esset certa.

Verùm consilium parùm profuit, dum jacta erat alea, siquidem videntes debitoris defensores, ex informationum consueta communicatione, mutatum esse modum defendendi, devenerunt quoque ipsi ad notitiam illius erroris, quem totis viribus coram judice primæ instantiæ & in Signatura nostri Advocati tueri conati fuerant, undè curarunt in disputatione differri resolutionem, atque in secunda disputatione habita sub *die 26. Junii* 1652. exhibuerunt easdem informationes Advocatorum creditoris datas in præcedenti instantia ad probandam dictam novationem deductam ex observantia solutionis fructuum de mense in mensem, reassumendo easdem auctoritates ac rationes, ex quibus prodiit resolutio ipsi debitori favorabilis, ut liquet ex decisione desuper edita, quæ habetur *impressa post controversias Contrii decis.* 160. *& inter illas ejusdem Celsi decis.* 156. *confirmata* 22. *Junii* 1654. *coram eodem* inter suas *decis.* 190.

Et quamvis Ego & cæteri scribentes insisteremus, quod cum conventio instrumenti esset clara super semestri, idcircò ad illam destruendam requirebatur observantia omninò univoca & incompatibilis, prout de jure requiritur ad inducendum statum omninò novum ac prioris destructivum, ex regula textus *in l. finali Cod. de novat.* prohibente novationes, nisi ubi expresè dicatur, vel ubi ita exigat ratio incompatibilitatis, ut sæpius in sua materia *sub tit. de credito*, Attamen hæc non valuerunt, Tum quia satis est difficile, Advocatos posse persuadere judices, in iis quorum contrarium ipsimet in alia instantia substi nuerant; Tùm etiam (& benè) quia non agebat
5 tur de observantia omninò novativa & destructiva prioris conventionis; Siquidem in ea non dicebatur societatis terminos pro tempore futuro esse debere de semestri in semestre, sed solùm juxtà consuetam formulam, conventio erat super societatis duratione pro primo semestri, pro quo receptis anticipatè fructibus erat indissolubilis, deindè verò dicitur ad beneplacitum quod ita remanet æquivocum; Et licèt ex communi usu continuatio habere soleat eamdem regulam de semestre in semestre, nihilominùs id non concludit per necessè, atque non impedit, quin partes dictum arbitrium diversimodè declarare potuerint cum observantia, quæ proindè non remanet destructiva seù innovativa prioris conventionis, sed potius declarativa seù interprætativa, atque stante secunda resolutione prioris confirmativa *sub dicta die* 22. *Junii* 1654. creditor acquievit.

Resolutiones mihi quamvis scribenti in contrarium visæ fuerunt probabiles, Tum ex præmissis, Tum etiam ex alia duplici circumstantia per Rotam quoq; ponderata, Una scilicet verisimilitudinis quod cum altera major societas esset menstrualis, ad illius normam, ista minor tanquam illi adjuncta redacta fuerit, Et altera, quod fidejussor præstandus, quoad cedentem extraneus, quoad ipsum tamen creditorem cessionarium erat germanus frater, undè verisimile est ipsum tale implementum neglexisse ac remisisse, stante præsertim longæva acquiescentia annorum quatuor, ita ut implementum prædictum potiùs ita solùm serviret pro captiosa & fraudulenta cautela exigendi fructus ad rationem 12. pro centenario sinè periculo.

Et licèt dicta prima decisio ex abundanti subjungeret, quod calculando etiam terminos hujus societatis de semestri in semestre, adesset solutio alicujus partis fructuum deducta ex partitis solutis post jam sequutam mortem prædictam, hoc tamen fundamentum melius fuisset omitti utpotè periculosum, cum non possit exindè desumi voluntas continuandi in ea societate, quæ jam dissoluta erat, ac etiam quia factum non assistebat.

In prima verò hujus causæ disputatione Rotali, 6
quæ fuit super puncto, An mors prædicta contigisset intrà primum semestre expiratum, vel in novo tunc incœpto, prætendebant scribentes pro debitore, casum evenisse juxtà primam partem, ex regula quod dies termini non computatur in termino, ideoque dicebant, quod cum societas contracta esset sub die 18. Maii, detracta ista die non computanda, contractus incipiebat sub die 19. in qua mors sequuta erat, undè propterea ea durante debitor dici non poterat in mora *ad text. in §. omnis instit. de verborum oblig.* Verùm hoc fundamentum verè nullam subsistentiam habebat ex triplici responsione; Primo quia, ut non adimplens excludatur à lucro, non requiritur mora, ita ut iste sit effectus ex illa resultans tanquam pœna delicti, sed sufficit debitorem ex parte sua non adimpleviss e, dum conclusio fundata non est in mora, sed in regula, ut volens reportare lucrum ex contractu, docere debeat de illius implemento tanquam suæ intentionis fundamento, ut in allegatis decisionibus *coram Roias & Otthobono.*

Secundò, quia statim elapsis quindecim diebus ab 7
initio præfixis ad præstandum fidejussorem, illicò fuit contracta mora juxta regulam *text. in l. magnam Cod. de contrahenda & committenda stipulatione*, ideoque ad ejusdem moræ incursum non requirebatur lapsus integri semestris, & consequenter omnino extranea erat dispositio *text. in dicto §. omnis*, cum illa procedat, quoties agitur de implemento ipsa statuta die præstando; Superveniens autem receptio fructuum pro semestri vel alio termino non impedit moræ incursum jam consumatum, sed solùm operatur quamdam ejusdem moræ suspensionem, seu verius probat voluntatem creditoris continuandi in societate ad tempus, quo cessante, tanquam, per remotionem obstaculi, ac cessationem suspensionis, remanet contractus in suo primævo statu resolubilitatis & non implementi, eo modo quo bellum suspensum per treguam ad tempus, dicitur continuare per expirationem treguæ, unde statim elapso ultimo momento illius semestris vel termini in quo fructus recepti fuerunt, debitor dicitur esse in primævo statu moræ jam contractæ, *ut in dicta dec. coram Roias*, & explicant *Adden. ad dec.* 542. *par.* 4. *rec. tom.* 3. *numer.* 39. & 40.

Tertio

Tertiò demum, quoniam quidquid sit in aliis contractibus, an scilicèt tempus currat de momento ad momentum, *ut tenet gl. in l. gallus* verbo *proximis, ff. de liber. & posth.* quam plures sequuntur relati *per Trentacing.* qui dicit communem *lib. 2. var. tit. de dilat. resolut. 1. numer. 3.* vel potius incipiat à media nocte sequenti, à qua nova dies incipere dicitur, in quibus etiam una vel altera opinione retenta adhuc mors sequuta erat expirato primo semestri, & novo jam cœpto, nam etiamsi juxta secundam opinionem deductam ex parte debitoris, tempus computandum esset, adhuc sex menses terminaverant in media nocte diei 18. Novembris, undè semper dies decima nona cadebat in novo semestri.

In hac vero specie contractus, cum sensu etiam veritatis, dicebam omnino tenendam esse primam opinionem, quia cum societas officii habeat annexum periculum vitæ creditoris, vel illius, sub cujus vita societas inita est, ita ut si eadem die initi contractus casus mortis sequatur, quoties non est de exceptuatis, vel non intrat ratio deficientis voluntatis, prout *in Perusina dis. præcedenti*, fiat locus lucro; Consequenter de necessitate oportet computare tempus de momento ad momentum, quoniam in illa parte diei, in qua initus est contractus usque ad mediam noctem, quæ est initium diei sequentis, contractus se haberet ad esse & non esse, quod implicat.; Atque ubi in contractu non exprimitur hora, quæ in casu expressionis attendenda est, tunc computatio facienda est à meridie *Magon. dec. Florent. 8. numer.* 32. Verùm hæc ulteriorem disputationem non habuerunt, cum ex præmissis causa mutaverit faciem, seu modum defensionis.

---

# ROMANA LUCRI SOCIETATIS OFFICII PRO N. ZECCADORO CUM N.

N. &c. Et de aliis consimilibus causis.

*Casus disputati coram A. C. cum incerto exitu.*

De eadem materia lucri sortis per mortem, quandò illi obstet nec ne defectus implementi.

## SVMMARIVM

1 *Facti series.*

2 *De conclusione ut debitor non lucretur societatem ob non implementum.*

3 *Quando istud non implementum sit in proposito excusabile.*

4 *An scientia præsumpta mortis fidejussoris, in cujus locum alter est subrogandus, sufficiat.*

5 *Quando dicatur remissum implementum, & quæ species probationis sufficiat ad hanc voluntatem probandam.*

6 *De pluribus adminiculis ad dictam voluntatem probandam.*

7 *Ubi debitor est notoriè idoneus, tunc non videtur attendenda cautela præstandi fidejussorem.*

8 *De promissione vaga renovandi fidejussorem omnem casum quomodo intelligenda sit.*

9 *De aliis casibus, in quibus non implementum non obstet, præsertim ubi præstatio fidejussoris non est promissa ab ipso officiali, sed à fidejussore.*

## DISC. III.

Suscepit Zeccadorus quamdam pecuniarum summam ad societatem officii cum accessione ejus patris, sub consueto pacto, ut in casu mortis naturalis vel civilis fidejussoris, teneretur alterum subrogare; Sequuta verò patris morte creditori benè cognita, hic pro dictæ subrogationis implemento nunquam instetit, sed in exactione fructuum continuavit usque ad obitum ipsius vel ejus, super cujus vitæ periculo societas contracta erat, Atque prætendente debitore per hujusmodi obitum factum esse locum lucro juxtà naturam hujusmodi contractus, qui ex ista ratione periculi unicè substinetur, Replicabat creditor, vel ejus defuncti hæres de consueto refugio creditorum volentium absque periculo obtinere fructus ad rationem 12. pro centenario, quod scilicèt reportari non possit lucrum ex contractu non impleto ex deductis *per Merlin. decis. 290. in Pisauren. Societatis coram Roias* inter suas *decis. 64.* ubi in terminis individualibus non præstiti fidejussoris loco mortui vel absentis, & sæpius in aliis, potissimè quia per debitorem allegari non poterat ignorantia mortis proprii patris, ut ponderatur *in d. decis. coram Roias* in terminis fortioribus fratris vel alterius conjuncti.

Scribens pro debitore coram A. C. non negabam regulam in Curia incontrovertibilem; Dicebam tamen juxta satis rationabilem sensum quem habuit *Rota in Romana Societatis off. 13. Martii 1648. coram Bichio* tunc edita, omnem possibilem intellectum esse capiendum pro ejus limitatione, cum in effectu videatur proposito perniciosissima, latum aperiens aditum fraudibus, atque ut sub ista captiosa cautela creditores reddantur immunes ac tuti à periculo, cujus ratione & non aliàs fructus adeò excessivus ex pecunia exigitur, ideoque regulæ prædictæ applicatio cessabat in hac facti specie, quia non agebatur de obligatione pura ab initio contractus intrà certam diem adimplenda, sed de obligatione conditionali, de præstando scilicèt novum fidejussorem in casu mortis alterius, quo casu ut promittens dicatur fidem violasse, atque à promissorum implemento defecisse, probanda est scientia mortis, per quam conditio purificata dicatur, ut ita distinguendo unum casum ab altero habetur *apud Gratian. discept. 944. num. 36. & seqq. Rot. dec. 92. n. 17. & seqq. par. 5. rec. Adden. ad Burat. decis. 674. n. 15.*

Istud fundamentum videbatur parùm tutum, quoniam agebatur de morte proprii parentis, quæ in filio est præsumenda, ut in terminis hujusmodi scientiæ præsumptæ ad propositum sufficientis habetur in allegata *Pisauren. coram Roias*; Et licèt illa decisio, super ista propositione ita simpliciter sumpta non placuerit Signaturæ & Curiæ, & meritò, quoniam

agitur

agitur de gravi præjudicio debitoris, ad cujus effectum requiritur scientia certa, dum regulariter non admittitur præsumpta, quoties alia exttinseca adminicula non concurrunt, *ex plenè collectis per Add. ad decis. 542. p. 4. rec. tom. 3. num. 98.* nihilominùs in hac facti specie de illa non videbatur dubitandum, dum idem debitor quamvis absens, à patria paternam hæreditatem agnoverat, alioisque actus hæreditarios gesserat, quod perneceſſe supponit scientiam certam mortis.

Solidius fundamentum videbatur alterum præsumptæ remissionis dicti implementi & contrariæ voluntatis continuandi in contractu, non obstante dicta renovatione fidejussoris non facta, stante continuatione per tempus notabile in exigendo fru-
5 ctus singulis semestribus; Licèt enim hoc solùm non sufficiat, quoniam fructuum receptio est solùm operativa durante illo termino, pro quo in toto vel in parte recepti sunt, non autem influit in tempus sequens, ut in allegata *Pisauren. coram Rotas*, & *in Romana Societ. officii coram Otthob.* inter suas *decis. 131.* & admittitur *in eadem altera Romana Societatis coram Bichio, de qua supra*; Attamen in eisdem, ac in aliis de materia agentibus, admittitur sufficere hujusmodi voluntatis probationem præsumptivam & adminiculativam, ut præsertim *decis. 192. par. 5. rec. Addit. ad Buratt. decis. 674. nu. 13. & 14. In Romana Societatis officii 15. Maii 1645. coram Dunozetto* inter suas *decis 742. n. 9.*

Exactio autem fructuum est adminiculum, quod solum & de per se non sufficit nisi pro termino, in quo illa facta non sit, sed junctum cum aliis ex regula, *ut singula quæ non prosunt, &c.* est satis operativum, atque in præsenti plura in facto ponderabantur adminicula denotantia creditorem mortis fidejussoris rectè conscium, sola fide debitoris fuisse contentum; Quod habebat ver similitudinem, quoniam de tempore initæ societatis, debitor quamvis esset emancipatus, nihilominùs patre vivente parùm idoneus absque fidejussore erat, sequuta verò morte patris, statum notabiliter immutaverat in melius, atque ex paterna successione idoneus effectus alio fidejussore non indigebat, dum idoneitas patris in ipso consolidata erat.

Et quidem de facili hujusmodi tacita seu præsumpta remissio admittenda est. Tum quia spectanda potius videtur verisimilis voluntas creditoris quàm formula verborum instrumenti, quod hujusmodi obligationes sæpius ex formulariis notariorum præter intentionem contrahentium continere solent, Tum etiam ex dicta ratione fraudis, quæ sub hujusmodi captiosis cautelis continetur.

Idem disputavi in eodem Tribunali A. C. pro Barbatiis Bononien. adversus quos creditor objiciebat
6 de non lucro societatis per mortem, ob eumdem defectum non subrogati novi fidejussoris in locum Calderini defuncti, ponderabantur enim plura adminicula, Primò nempe illud resultans ex continuata exactione fructuum per tempus considerabile, Secundò notoria idoneitas principalium debitorum aliquo fidejussore non indigentium, quod reflectendo ad veritatem, dicebam satis à judice spectandum esse, vel ad
7 credendum dictam obligationem præter intentionem partium adjectam esse ex Notariorum formularis; Vel, & probabilius, esse cautelam captiosam & fraudulentam nullatenùs attendendam, sed habendã pro non scripta, quoties debitoris qualitas est talis, quod verisimiliter etiam sine fidejussore ei creditum fuisset, ita ut illius cõventio verè referri non possit ad cautelam securitatis, quæ aliàs de debitore non haberetur, Et tertiò quia exhibebantur plures litteræ missivæ creditoris, ex quibus iste ostendens se conscium mortis fidejussoris, agebat de rebus concernentibus continuationem contractus, nullo insinuato motivo renovationis fidejussoris; Ideò enim in casu talis non implementi non est locus lucro, quia sic potest creditor, cui non impletum est habere societatem pro dissoluta, quæ possibilis seù præsumpta voluntas, cessat ex contraria voluntate à fortioribus etiam præsumptionibus elicita.

Et in alia consimili controversia habita in eodem Tribunali pro Quadratiis, cum quæstio esset super intellectu quorumdam verborum, quod scilicet promissum erat præstari novum fidejussorem, non solùm in casu mortis illius, qui præstitus erat, sed etiam in omnibus aliis casibus, &c. undè propterea creditor prætendebat impedire lucrum ob casum cujusdam in-
8 quisitionis & fugæ dicti fidejussoris comprehensum sub dicta generalitate, Dicebam etiam cum sensu veritatis, hujusmodi conventionem ita generalem ac vagam omninò rejiciendam esse, ac habendam pro non scripta, tanquam evidenter captiosam & fraudulentam, cum ita quicumque levis casus sub hujusmodi generalitate comprehensus prætendi posset, atq; semper lucrum impediri, undè dicta verba referenda potius erant ad intellectum, qui per cautæ Patronum tribuebatur, ut intelligenda venirent de casibus omninò similibus, & quodammodò perneceſſe volitis, ut essent illi talis mortis civilis, quæ eosdem ac naturalis effectus operaretur, dictique intellectus possibilitatẽ sufficere dicebam, cum in dubio semper facienda sit illa interpretatio, per quam tollatur periculum peccati, & animæ saluti consulatur, *ut dec. 29. par. 2. divers. num. 9.*

Et in alia Romana pro Mauritio de Aste cum Hia-
9 cintho Parimbeno, in eodem Tribunali, objicente creditore de non lucro non obstante morte ejus, sub cujus vitæ periculo contractum fuerat, ex eodem defectu non implementi dupliciter oppositi, Primò ob non ratificationem cujusdam minoris à debitore promissam quamvis sequutam, utpotè carentem solemnitatibus statutariis, quasi quod paria essent, nullum & nihil; Et secundò ob non præstitum alium fidejussorem, quem promissum fuerat accessurum intra octo dies, Dicebam scribens pro debitore de lucro contendente, utramque exceptionem non subsistere, Non quidem primam, quia in conditionalibus spectatur nudum factum, ut propterea non diceretur promittentem contravenisse; Minusque secundam, quoniam alterius fidejussoris accessio promissa non fuerat per ipsum officialem, & in ipso instrumento societatis, sed per ipsius officialis fidejussorem in alio instrumento recognitionis bonæ fidei, quod obstare non debet lucro impediendo ex non implemento conventorum in ipso contractu societatis, qui fieri dicitur cum ipso officiali, non autem cum eo, qui bonam fidem recognovit, ut punctualiter firmavit *Rota in dicta Romana societatis officii 15. Martii 1645. coram Dunozetto* inter suas *decis. 742.* Et quamvis contrarium in istis etiam terminis dicatur *apud Otthob. dicta dec. 131. nu. pen. & fin.* nihilominùs ibi id potius incidenter & perfunctoriè dicitur, ac potius attendenda videntur firmata in alia decisione præcedenti, quoniam contractus substantiatur cum officiali, Et licèt fidejussor sit ille, qui lucri commodum sentit, non autem officialis, attamen illud deducitur ex instrumento, quod cum ipso Officiali fit, ideò ibi contenta debent solùm attendi, cum in eo & non in altero recognitionis bonæ fidei esse diceretur contractus societatis.

Quid

Quid autem in præmissis casibus sequutum esset, est incertum, cum ferè omnes fuerint circà susceptæ Advocationis initia, atque juxtà Curiæ stylum Advocati causarum curam non habeant, neque de facili de earum exitu, ubi non agitur de gravioribus, memoriam retineant; Probabilius autem videtur, vel ita pro debitoribus judicatum esse, vel respectivè concordiam controversias terminasse, dum scriptum non fuit in Signatura, ad quam debitores succumbentes semper recurrere solent, sperantes commissionem cum clausula translativa executionis, qua denegata, ubi præsertim agitur de parvis summis acquiescunt; Et quidem sufficit casum reddi probabiliter dubium, ut in eo contrà creditorem sit respondendum ob manifestam fraudem & captionem, quæ sub hujusmodi cautelis inest.

---

# ROMANA

## NULLITATIS

## SOCIETATIS OFFICII

*PRO*

## FRANCISCO SERANTONIO

*CVM N.*

*Casus disputatus coram A.C. & Resolutus contra Serantonium postea concordatus.*

An dissoluta societate per mortem creditoris absque eo quod factus esset locus lucro, illa renovari possit cum uno ex duobus hæredibus; Et quatenus id fieri non posset pro rata spectante ad cohæredem absentem An substineatur pro rata spectante ad eum qui contraxit.

## *SVMMARIVM*

1 *Casus controversia.*
2 *Fructus non debentur post dissolutam societatem.*
3 *Contracta societate nomine absentis ad ejus perfectionem requiritur illius ratificatio expressa.*
4 *Unus ex pluribus hæredibus non potest exigere totum nomen debitoris, sumque liberare & numer. 6.*
5 *Nullitas societatis in parte influit in totum, ac utile per inutile vitiatur.*
6 *De conclusione, de qua numer. 4. & quando unus ex cohæredibus contrahat, vel distrahat super toto.*
7 *De consideratione, ob quam exactio per unum hæredem subsistat.*
8 *Ubi cohæredes vivunt in communione, tunc societas hæreditaria benè renovatur per unum hæredem.*

***

## DISC. IV.

DEfuncto eo, qui Serantonio Notario A.C. pecunias dederat ad societatem officii sub periculo vitæ ejusdem Notarii debitoris (ut consuetudo est cum istis ita contrahendi,) ex duobus hæredibus institutis, quorum uterque hæreditatem adierat, unus qui erat in Curia præsens, cohærede absente, dictam societatem sub ejusdem Notarii debitoris vitæ periculo renovavit, atq; per plures annos fructus exegit. Cum autem debitor ad sortis restitutionem pulsatus opponeret de illius satisfactione cum solutionibus post mortem creditoris factis sub nomine fructuum, qui absque dubio post dissolutam societatem non debentur, cum in isto contractu non possint exigi fructus post cessatam societatem, quandò cessat periculum, quod unicè salvat hujusmodi fructus ab usura *Mantic. de tacit. lib. 6. tit. 2. nu* 17. *Zacch. hoc tract. num.* 377. *Duard. eodem lib. 2. cap. 6. §. 4. quæst. 1. numer. 2. & sequen. dec. 367. num. 14. par. 4. rec. tom. 2. Romana societatis officii 2. Maii* 1659. *Meltio & passim.* 1 2

Periculum verò saltèm pro medietate non aderat, quoniam cum creditum, pro quo nova societas contracta erat pro medietate spectaret ad contrahentem, pro altera verò ad alterum absentem, Hinc dicebam scribens pro debitore, quod intrabat dilemma, aut cohæres contraxit nomine utriusque, aut nomine proprio tantùm; Primo casu requirebatur ratificatio expressa absentis ex firmatis per *Boccacc. hoc tract. num. 212. Cyriac. controv. 252. num. 4. & 5. dec. 660. num. 3. par. 1. divers. & habetur in Romana societatis officii pro Columna hoc titul. disc. 9.* ubi quod actus taciti vel præsumpti non sufficiunt. Atque hoc nomine communi dictam renovationem factam esse suadebant verba instrumenti. 3

In secundo autem casu, quod scilicet cohæres pro toto credito ejus solo nomine contraxisset, pariter pro medietate debitor periculi commodum poterat non sentire, quoniam creditum hæreditarium per cohæredem non nisi pro sua virili exigi potest, quoties agitur de rebus dividuis, quidquid sit in individuis *ad text. in l. 1. § si pecunia ff. depositi, & l. si stipulatus sum §. silancem ff. de solut. & firmant Abb. cons.* 39. *lib. 5. in fine Carocc. de deposito par. 1. rubr. si uni ex hæredibus fol.* 17. *Grass. de except. cap.* 25. *num.* 119. Et sic ubi casus periculi evenisset, potuisset cohæres absens pro ejus virili petere sortem tanquam debitum in eo statu, in quo de tempore mortis creditoris constitutum erat, Atque hinc inferebam ad nullitatem totius societatis, quoniam cum hæc sit individua, utile per inutile vitiatur, ideoque nullitas in parte influit in totum ex deductis *per Duard. de societate lib. 2. cap. 6. §. 3. qu. 1. n. 12. & 13.* 4 5

Scribentes pro creditoribus insistebant in deductis *per Surd. cons.* 359. *num.* 15. *& sequen. & per Rotam apud Duran. dec.* 448. *n.* 10. quod scilicet unus ex hæredibus posset super toto contrahere, Sed hoc erat æquivocum clarum, quoniam quidquid sit de veritate propositionis firmatæ per *Surd. loc. cit.* cujus contrarium tenent idem *Surd. cons.* 415. *num.* 16. *& sequen. Thesaur. dec.* 4. *nu.* 8 *Argel. de acquir. possess. qu.* 8. *art.* 9. *num.* 208 *cum sequen. Salgad. in labyrint. par. 2. cap.* 4. *num.* 147. *Cavaler. dec.* 346. *numer.* 7. Id procedit in casu quo aliis cohæredibus non comparentibus, ac hæreditatem non agnoscentibus, unus velit agnoscere totum, præstita cautione de restituendo virtles aliis 6

postea

postea venientibus, & quæ apud forenses vulgò dicitur *cautela Surdi*; Sed hoc nil commune habebat cum casu quæstionis, dum uterque hæres jam hæreditatem agnoverat, ideoque in utrumque transierat universum jus hæreditarium activum & passivum, sed in quemlibet pro sua virili *ad text. in l. pro hæreditariis, & l. si adulta Cod. de hæreditar. action. cum concord. latè congestis decis. 413. par. 9. recent.* & sic semper firmum remanere dicebam, quod pro virili absentis, debitor in casu periculi non remanebat liberatus, & successivè cessabat lucrum, quo sublato non possunt deberi fructus.

7 Judex, qui contra debitorem decrevit, non amplectendo motivum à scribentibus pro victore ut supra deductum tanquam verè extrà casum, se fundavit in eo, quod cum hæreditas esset opulenta, atque cohæredi absenti, quatenus hujusmodi actum approbare noluisset, remaneret consultum in aliis bonis, potuerat cohæres præsens totum istud creditum exigere, ac successivè dictam novam societatem facere, in qua per actum occultum fingitur solutionem præcessisse, juxta naturam novationis, Ac etiam considerabat, quod ubi id non procederet, adhuc debitori in casu lucri remanebat consultum super aliis bonis pro virili contrahentis, quæ cohæres absens possidebat.

Istud motivum in humano sensu aliquam probabilitatem habere videbatur, sed non videbatur legale, neque omninò tutum etiam de facto, quoniam dari poterat casus, quod intermedio tempore durantis hujus novæ societatis, reliqua alia bona dissiparentur, Ac etiam dicebam punctum non esse in relevatione cohæredis absentis, sed in potestate alterius contrahentis, an scilicet ille potuerit novare pro toto, & ita per actum occultum solutionis sibi factæ debitorem in totum liberare à priori debito; Si enim non poterat, sequebatur novam societatem initam esse absque sorte pro dicta virili, ac debitorem subjacere certo damno absque certitudine lucri, Eoque minùs motivum intrare videbatur ob cessantem assistentiam facti, dum constabat utriusque hæredis nomine renovationem factam esse.

Credidi tamen, reflectendo ad veritatem, justam esse determinationem, quam ab initio prædixi, consulendo debitori, ut eo meliori quo posset modo concordiam procuraret, ut sequutum fuit, non
8 quidem ex præmissis, sed ex altero motivo per scribentes in contrarium non deducto, quod scilicet isti cohæredes hæreditatem possidebant pro communi, promiscuè illam administrantes insolidum respectu bonorum existentiũ in locis, in quibus quilibet eorum respectivè reperiebatur; Quo posito resultabat unum utriusque nomine potuisse integrum debitum exigere vel novare, ex recepta juris propositione, quod inter socios vel pro communi possidentes, unus dicitur habere mandatum ab altero etiam ad obligandum in solidum, multo magis indubitanter ad liberandum, ideoque debitor socialis solvens consocio totum debitum, liberationem consequitur, potissimè ubi agitur de socio administratore, ex deductis *apud Cels. decis. 2. num. 1. cum seqq.* ac habetur pluries in sua materia *sub tit. de credito*; Et fortius in præsenti, dum cohæres præsens fecerat actum, quem alter absens impugnare non potuisset, sequendo scilicet judicium defuncti, & continuando observantiam contractus ab ipso initi; Nunquam enim etiam tutori vel administratori imputari potest id, quod idem defunctus faciebat, ac utile reputabat, Ideoque multo minus cohæres cohæredi, vel socius consocio, cum in effectu ista renovatio ex prudenti consilio inita esset, ne pecunia remaneat otiosa, Accedente præsertim observantia præseferente cohæredis approbationem, ideoque licèt succumbens, laudavi determinationem.

---

# ROMANA

## RENOVATIONIS

*PRO*

## JOANNE BAPTISTA THOMATO

*CVM*

## JULIO MAZZOLENO ET CONSORTIBUS.

*Casus disputatus coram A. C. & resolutus contra Thomatum postea concordatus.*

Fidejussor debitoris in societate officii, An possit in præjudicium principalis absentis vel ignari renovare societatem, sivè alteram ex integro contrahere, ut priorem dissolveret; Et quid ubi ipsemet fidejussor est etiam creditor, An id agere possit ad proprium commodum.

### *SVMMARIVM*

1 *Facti series.*
2 *Fidejussor potest renovare societatem vel novam pro prima dissoluenda contrahere in damnum principalis debitoris.*
3 *Quando id sit prohibitum, declaratur.*
4 *Contractus dicitur spectare ad eum, ad quem ille qui gessit, declaravit pertinere.*
5 *An idem possit esse creditor seu utiliarius societatis & fidejussor debitoris.*

### DISC. V

AD favorem Dominici Lencii de anno 1639. inita fuit societas officii scutorum 250. super quodam officio Cursoratus, & bonam fidem recognovit Joannes Baptista Thomatus, eique tanquam fidejussor accessit Ludovicus Mazzolenus, quem Thomatus juxta consuetam formulam indemnem relevare promisit; Cumque de anno 1645. per mortẽ Cursoris dissoluta fuisset societas prædicta, atq; Lencius egisset pro restitutione sortis contra Mazzolenum fidejussorem, hic societatem prædictam renovavit cum dicto Lencio, qui illinc ad aliquot menses declaravit præfatam societatem, tam primo loco contractam, quam deindè renovatam, ab initio ad ipsum Mazzolenum spectasse, utpotè de ejus pecunia contractam, ipsumq; Lencium non habuisse nec habere nisi nudum nomen; Quibus peractis Thomatus per plures annos continuavit eamdem solutionem fructuum, quam usque ab initio contractæ societatis statutis temporibus facere solebat, usq; quo dicti Mazzoleni interim defuncti hæres sub ejusdem Lencii nomine dictum debitorem pulsavit coram A.C. dissdicta societate ad sortem prædictam restituendam, unde debitor pulsatus habita notitia mortis Cursoris sequutæ de anno 1645. per

quam

quam prima societas dissoluta erat, proindeque ejus vigore absque dubio fructus exigi non potuerant, opponebat de imputatione in sortem fructuum à dicto tempore circa solutorum, & respondente actore de ejusdem societatis renovatione facta, replicabat reus id ipso ignaro, & non consentiente fieri non potuisse, unde restricta ad hunc punctum disputatione.

Pro actore scribentes, quibus judex adhæsit, se fundabant in auctoritate *Rotæ dec.231.par.2.diversf. & dec.60.post Zacch. de societ.* ubi firmatur fidejussorem posse in damnum principalis pro ejus indemnitate, ac pro se liberando à molestiis creditoris eum urgentis ad restitutionem sortis, (ubi præsertim ad eam est obligatus tanquam principalis principaliter & in solidum) renovare societatem officii, seu pro æquivalenti summa prioris dissolvendæ alteram contrahere. Atque supponebatur istam opinionem in Curia, præsertim verò in dicto Tribunali A. C. esse usu receptam, qualem præsupposui *in Hortana pro Capitulo Cathedralis, de qua sub tit. de usuris & interesse ubi generaliter de articulo*, An & quando fidejussor possit capere pecuniam ad interesse in damnum principalis debitoris *disc.* 34.

Scribens pro debitore, credebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, non esse in casu dictæ conclusionis, alioquin in suo casu veræ, illam enim procedere dicebam, ubi fidejussor per creditorem urgetur, ita & taliter, quod cogatur dictum novum actum facere ad impediendas molestias reales vel personales, quas ipse aliàs passurus esset, cum tunc lex ei succurrere videatur de mandato præsumpto, quod ita in actu fidejubendi pro ejus relevatione à principali debitore habuisse videtur, Secùs autem ubi ipse fidejussor solvit debitum principali creditori, ita ut ipse effectus sit principalis debitoris creditor, Tunc enim quia non agitur de impediendis molestiis ne inferantur, sed agitur de se reintegrando de proprio credito, talis facultas cessat, atque receptum est non posse fidejussorem acoipere pecunias sub usuris in damnum principalis absque istius speciali interpellatione ex deductis per *Rotam decis.324. num.2. post. Cenc. de Cens. & post Duard. eodem tract. & decis.20. numer.12. cum sequen. post Zacch. de obligat. Camer. ac in aliis frequenter*, cum cesset ratio, ob quam dictum mandatum præsumptum intrat, & sic distinguendo habetur latius, & ex professo deductum *in dicta Hortana disc. 34.*

Et hunc dicebam casum nostræ controversiæ, quoniam cum Lencius declarasset ab initio ejus nomen simulatè appositum esse, atque dictæ societatis commodum & incommodum ad dictum Mazzolenum spectasse, Hinc proindè à principio dicebatur proprius ac directus creditor, perindè ac si directè & immediatè contraxisset, ille verò, qui nomen præstitit nunquam intervenisset, ex deductis *per Buratt.decis.733. Cavaler. decis.221. & 243.decis. 153.par.7.rec. & aliàs quotidiè.*

Est benè verum, quod ob illam pluralitatem personarum, quæ in eodem subjecto diversis respectibus in jure frequenter habetur, præsertim *sub tit. de cambits, disc.1. & sequen.* considerabam ex iis quæ habentur *disc. sequen. & in Camerinen. societatis off. hoc eodem tit. disc.8.* cessante incompatibilitate, nil prohibere, quin idem posset esse societatis utilitarius, & socii debitoris fidejussor, cum rectè societas ad effectum periculi, & similes possit esse substantiata cum uno, quodque ejus utilitas vel commodum spectet ad alterum, ita ut quemadmodum emptor ad effectum habendi actionem evictionis potest ex supervenienti dominio vel credito evincere à seipso tanquam rei possessore & diversa persona, ita possit tanquam utilitarius societatis molestare seipsum tanquam fidejussorem, atque ita impediendo molestias, ne sequantur, facere idem, quod aliàs ut supra facere posset, si ageretur de tertio creditore, cum cessante fraude usurarum vel alterius legalis prohitionis, in jure prohibita non sit simulatio personarum, quæ in jure non reputatur damnata, ut est altera simulationis veritatis actus, quia nil debitoris interest se esse unius vel alterius debitorem, ex iis, quæ pariter habentur pluries *sub dicto tit. de cambiis*, undè in casus occurrentia esset cogitandum.

---

# ROMANA SOLIDATIONIS COMPUTORUM PRO RUFFINO PLEBANO CUM ASCENSIANA BRUNORA

*Discursus pro veritate.*

An unus & idem possit esse debitor & creditor societatis officii, & quando id sit compatibile.

Inita societate inter officialem & duos creditores in solidum pecuniæ datores, An per mortem unius ex istis societas dissolvatur.

Quando dicatur valida societas inita cum absente, de cujus ratificatione tacitè appareat per exactionem fructuum.

## *SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*

2 *Societatis substantia potest esse penes unum, quamvis utilitas esset penes alterum.*

3 *Societas officii vacat per mortem cedentis non cessionarii*

4 *An unius & idem possit esse in societate debitor & creditor, & de pluribus similibus.*

5 *Quando clarius admittatur concursus pluriorum personarum incompatibilium in uno subjecto.*

6 *Societas licèt per mortem unius dissolvatur quoad omnes, cessat ex contraria voluntate etiam præsumptiva.*

7 *De alio casu, in quo societas per mortem unius ex sociis non dissolvitur.*

8 *De societate vectigalium non dissolvenda per mortem unius, & de ratione.*

9 *De materia text. in l. scriptiras, super scripturis privatis trino teste non notatis.*

10 *Solutio fructuum est probatio sufficiens ratificationis.*

11 *Quando ratificatio præsumpta non sufficiat, sed requiratur expressa.*

## DISC. VI.

1 LIta societate super duobus officiis Notariatus inter Felicem, Ruffinum, & Bartholomæum, inter alia conventum fuit, quod ille, in cujus persona officium residere contingat, ejusque exercitium & administrationem haberet, posset pecunias pro illius pretio necessarias ad societatem officii sumere, cum obligatione aliorum accedendi, tam primis societatibus, quàm aliis, quas pro istis extinguendis contrahere contingeret, quodque ex officii utilibus, priùs detrahenda essent intersuria d.d. societatum, etiamsi ageretur de pecunia ab uno ex ipsis sociis implicata, residuum verò dividi deberet; Quarè Bartholomæus de mense Decembris 1633. pro summa scutorum 7450. societatem iniit cum Romualdo, qui de mense Augusti 1636. illam de consensu Bartholomæi cessit Andreæ acquirenti pro persona nominanda, & eadem die per apocam nominavit Prantillam Bartholomæi matrem, sed hac nominatione non obstante, de mense Septembris 1640. ab eodem Andrea dicta societas renovata fuit, dictæque renovationi accesserunt Felix & Ruffinus; Obiit Prantilla de mense Martii 1643. superstite Bartholomæo filio & hæredebeneficiato, sed solutio fructuum ab initio usque ad mensem Augusti 1645. in quo societas dissdicta fuit, continuavit sub nomine Andreæ, sub quo renovata fuit de mense Octobris sequentis usque ad mensem Septembris 1648. quando demùm dissdicta fuit absque ulteriori renovatione, Ruffinus verò alter us officii possessor unam iniit societatem cum Ascanio, & Prospero fratribus de Costagutis insolidum & duas alias cum Valente & Scotto, declarantibus eas spectare ad Fabium ipsius Ruffini fratrem.

Cum autem inter prædictos Ruffinum & Bartholomæum plures essent habitæ controversiæ, tam judiciales, quàm extrajudiciales super redditione rationum hinc indè, ac demum inter Ruffinum & Ascensianam Bartholomæi defuncti hæredem conventum esset de illis coram Arbitro benevolè terminandis; Quamvis ex parte Ruffini Ego tanquam Advocatus ad ejus jura tuenda essem assumptus, attamen ad dictas controversias facilius terminandas, ipso etiam laudante, volui tanquam tertius inquirere veritatem, quod summoperè profuit ad quietem exindè cum concordia sequutam.

Plures igitur erant controversiarum puncti, quorum major pars consistebat in nudo facto, de quo ad Advocatos inquirere non pertinet; Quo verò ad ea quæ juris sunt, de tribus erat quæstio; Primò scilicet, an societas contracta per Bartholomæum cum Andrea ad commodum Prantillæ ut suprà, durasse diceretur post obitum dictæ Prantillæ sequutum de anno 1643. ita ut à dicto tempore citra Bartholomæo bonificari non deberent dictæ societatis fructus, ut Ruffinus prætendebat.

Secundò econvrsò, An Ruffino essent bonificandi fructus soluti post mortem unius ex dictis fratribus de Costagutis sequutam de anno 1638. prætendente hærede Bartholomæi, ex tunc dictam societatem fuisse dissolutam; Et tertiò an pariter eidem Ruffino bonificandi essent fructus societatum initarum cum Valente & Scotto absentibus, de quorum ratificatione solùm constabat per quamdam apocam privatam de antidata suspectam.

Circa primum punctum, tres intrabant inspectiones, Una scilicet, an societas dissoluta esset per mortem Prantillæ, stante superviventia Andreæ; Altera, posito quod non esset dissoluta, num cessasse diceretur ratione incompatibilitatis, stante quod idem Bartholomæus, qui erat officialis & socius passivus, ob superventum titulum hæreditarium Prantillæ creditricis effectus erat creditor & socius activus, Et tertia, num substineretur ultima renovatio sub ejusdem Andreæ nomine facta de mense Octobris 1645. stante quod pecunia spectabat ad ipsum Bartholomæum tanquam Prantillæ hæredem.

Super prima dicebam sentire difficultatem contra Ruffinum proprium clientem, quoniam so- 2
cietas substantiata erat inter Andream & Bartholomæum, ideoque unius istorum mors ad effectum dissolutionis attendenda erat non obstante, quod Andreas socius activus declarasset societatis commodum spectare ad Prantillam, quoniam ita non dicitur immutata seu translata substantia societatis, quæ rectè potest esse penes unum, ejus verò commodum ac utilitas penes alterum, eo modo, quo *sub tit. de Regalibus ad materiam officiorum*, sæpius habetur circa officia vacabilia, *& sub tit. de feudis* habetur de istis, ut officii vel feudi substantia ad effectum vacationis ac alios residere possit in una persona, ejus verò commoda & utilitates penes alteram; Quod etiam in jure habemus in materia usus fructus, cujus jus penes unum resideat, ejus verò commoditas tanquam nudum factum sit penes alterum; Ac frequentius in materia pensionum Ecclesiasticarum.

Ideoque receptum est, societatem officii vacare vel dissolvi per mortem cedentis, seu ejus, sub cujus nomine inita est, non autem per illam ces- 3
sionarii seu utilitarii, ut fuisse declaratum *per Rotam* habetur *post conf. 15. Farin. numer 90 & 91. Seraph. dec. 1210. num. 1. dec. 367. par. 4. rec. tom. 2. Zarch. de societ. numer. 270.* atque hoc jure passim vivitur, accedente præsertim subsequuta observantia,

Ex hoc autem principio, resultabat etiàm decisio contra Ruffinum super altera prætensione in- 4
compatibilitatis deductæ ex eo, quod Bartholomæus officialis tanquam debitor & socius passivus effectus esset creditor, ac dominus commodi societatis activæ, stante dicta distinctione substantiæ societatis penes unum, & commodi penes alterum; Ad quod probandum ponderabam terminos pensionis Ecclesiasticæ, quam titularis super proprio beneficio habere non potest, quia res sua nemini servit, & tamen substantia pensionis residente penes alterum, ipse non prohibetur tanquam tertius ac diversa persona ab illa titularis acquirere ejusdem pensionis commoditatem juxta casum, de quo præsertim *Rotain Albanen. pensionis 4. Decembris 1658. Priolo*, & de qua causa habetur actum in sua materia *sub tit. de pensionibus*, atque ita passim servatur; Prout nemo potest esse domi-

nus

& feudatarius seu emphyteuta, & nihilominus non prohibetur dominus feudi vel emphyteusis commoditatem acquirere utpotè quid diversum, *ut per Surd.dec.102.nu.14. Hodiocrn ad eundem dec.160. num.3.& alios*; Ac etiam nemo potest eodem tempore esse hæres gravatus & fideicommissarius, & tamen iste non prohibetur durante jure gravati ejus commoditatem acquirere, cujus nomine bona possidere dicatur, ex deductis *per Salgad.in labyrint.lib.2.cap.15.* ubi latè concordantes, & habetur *in Auximana dotium sub tit.de fideicommissis, vel sub altero de dote, cum similibus.*

Clarius verò præmissa procedunt, ubi admixtum est interesse tertii, tunc enim absolutum est in jure duas diversas personas in uno eodemque subjecto diversis respectibus dari posse, ita ut idem 5 dicatur debitor & creditor, mandans & mandatarius, emptor & venditor cum similibus, *ut dec.136. par.3.rec.273.nu.7.& 8.par.4.tom.2.174.post Zacch. de oblig.& Sapius præsertim sub tit.de credito & sub altero de cambiis.*

Dupliciter autem in præsenti personarum diversitas cum mixtura tertii de planò compatibilis erat, Primò quia tractabatur de negotio sociali inter plures, in quo non prohibetur unus ex sociis & propria persona ac proprio & privato nomine contrahere cum negotio sociali, ac esse creditor etiam sui ipsius tanquam unius ex sociis; Et secundò quia jus activum non concurrebat in Bartholomæo ex propria persona, sed tanquam ex illa hæredis, qui ob beneficium separationis resultans ex inventario juxta jus novissimum *in l.fin. C. deliber.* reputatur potius hæreditatis administrator, ac persona omnino diversa à propria non non prohibita habere jus activum vel passivum cum eadem hæreditate, igitur non aderat implicantia vel incompatibilitas.

Atque ex eisdem rationibus deciderdam credebam contra eumdem Ruffinum tertiam prætensionem super ultima renovatione facta de anno 1645. Tum quia pecuniæ dominium non spectabat ad Barthohomæum officialem nomine proprio, sed hæreditario ut suprà, Tum etiam quia ubi spectasset ad ipsum nomine proprio, adhuc non prohibebatur cum societate contrahere, non obstante simulatione personæ, cum hæc in jure non dicatur prohibita, quoties nulla intercedit fraus, atque alterius contrahentis nihil interest unam vel alteram personam exprimi, Ideoque totum controversiæ punctum quoad istâ præsertim ultimam renovationem consistere dicebam in facto, An scilicet de eo tempore Bartholomæus ex officii emolumentis haberet necne in manibus pecunias sociales, ita ut nulla subesset necessitas novam societatem contrahendi, cum tunc in mala fide versatus diceretur, atque ad istam convincendam satis considerabilis esset personæ simulatio.

E conversò super secundo puncto, pro Ruffino contra prætensiones Bartholomæi respondendum 6 credebam; Licèt enim regulariter per mortem unius ex sociis societas dissolvatur in totum, etiam quoad superstites, ex deductis *per Gratian.discept. 852.num.2. Mantic. de tacit.lib.6.tit.24.num.18. cum sequen.* Attamen hujusmodi tegula cessat, ubi in contrarium fuit partium voluntas, quæ etiam per præsumptiones & adminicula justificari potest ex deductis per eosdem *Gratian.& Mantic. ubi suprà*, & non semel in materia actuum inter vivos *sub tit.de contractibus in genere*, ac sub altero *de credito*; Talemque fuisse intentionem partium, ultra plures circumstantias facti, probari ponderabam ex subsequuta observantia, quæ voluntatem & conventionem probat, ut in his terminis societatis officii *in Romana societatis officii 26.Junii 1652. & 22.Junii 1654.coram Celso* inter suas *dec.156.& 190.* in causa de qua *supra disc.2.*

Præterea dicta regula de societate dissolvenda in totum per mortem unius ex sociis, etiam respectu superstitum, procedit in ea societate, quæ inter plu- 7
res inita, omnibus est æqualis & æquè principalis, ita ut omnes tanquam diversa membra pariformiter concurrant ad efformandum unum & idem corpus sociale, per unius membri deficientiam dissolvendum; Secus autnm ubi agitur de societate, quæ per duas tantùm personas, ut in præsenti constituatur, inter officialem scilicet, & pecuniæ datorem, quia si hæc secunda persona formalis constituatur per plures materiales, attamen omnes pro una habentur, ita ut deficientia unius personæ materialis non dissolvat societatem contractam per eos in solidum cum tertio; Ubi enim plures activè vel passivè aliquem actum in solidum agunt, quilibet ex eis personam integram debitoris vel respectivè creditoris repræsentat, Adinstar eorum, quæ habemus de societate contracta cum corpore collectivo, putà cum Capitulo, Collegio, Congregatione, Communitate &c. quia si moriantur unus vel plures ex Canonicis, vel civibus aut personis illud corpus constituentibus, non per hoc istud cessat, quod aliis defectis vel legitimè impeditis eriam in uno est repræsentabile *ut sub tit.de canonicis & Capitulo*; Et de societate contracta cum corpore collectivo *Paris.cons.82. num.32. lib.1. Felin. de societ.cap.32. numer.* 15.

Et habemus quotidianum in appaltibus vectigalium, in quibus Princeps, vel Respublica gerit 8
unam personam locatoris vel socii, plures verò appaltum, seu vectigalis administrationem suscipientes gerunt alteram conductoris vel consocii, quoniam licèt isti inter se dicantur socii illius negotii in appaltum vel administrationem seu societatem suscepti, nihilominus quoad Principem vel Rempublicam dicitur societas collegiativa, ex non semel deductis in sua materia gabellarum & vectigalium *sub tit.de Regalibus*, & consequenter unam personam tantùm formalem repræsentant, non cessantem ex cessatione alicujus personæ materialis; Ideoq; receptum est societatem appaltuum & vectigalium per mortem unius ex sociis non dissolvi, ex deductis in dicta sua materia, & per *Michalor. de fratribus par.2.cap.40.nu.26.& seqq.*

Et nihilominùs cum Ruffinus doceret se de facto solvisse alteri creditori superstiti fructus, Dicebam saltem dictas rationes sufficere ad inducendam in eo justam credulitatem durationis societatis, ita ut propterea deculpa in sua administratione convinci non valeat, atque solutiones factæ in causam fructuum sibi deberent bonificari.

Demum circa societates initas cum Scotto & Valente, de istorum ratificatione expressa constabat per apocam, undè propterea ex solo facto cessabat quæstio; Non obstante prætensa possibili antidata, quoniam cum ista contineat delictum falsitatis, in dubio non est præsumenda; Suspicio enim, quæ in hujusmodi scripturis privatis trino 9
teste non notatis inducitur per *text. in l. scripturas Cod. qui potior. in pign. habeantur*, procedit,

ubi talis scriptura deducitur in concursu creditoris vel alterius habentis publicum instrumentum, ac ad effectum anterioritatis ita ut tota vis sit in tempore, de quo principaliter disputetur, & ubi scriptura est ipsius debitoris, de quo probabiliter suspicari potest, quod indigens pecuniis, pro eis habendis ita curet fraudare creditores, quibus premitur; Secus autem in aliis materiis indifferentibus, ut non semel habetur *sub tit. de credito*, & clarè probat lectura ipsiusmet textus, qui duas in proposito constituit partes, ut latius advertitur *in Romana donationis de Cassis sub titul. de fend. disc.* 94. ubi de materia dicti *text. in l. scripturas.* Maximè quia scriptura non est debitoris vel alterius interessati, sed duorum tertiorum probatæ fidei, nullum proprium interesse habentium, nam licet societates sub eorum nominibus cantarent, nihilominus illarum commodum pertinebat ad Fabium, undè propterea ita cessabat omnis difficultas.

Accedente quoque continuata solutione fructuum, quæ ubi sola, & de per se non sufficeret, satis tamen attendenda venit pro adminiculo veritatis dictæ scripturæ, ex regula, quod *nemo præsumatur jactare suum*, ideoque solutiones regulariter præsumuntur factæ ex causa debita, ut *in Romana pecuniaria 18. Junii 1646. & 7. Junii 1647. coram Corrado*, quarum secunda est *decis. 74. par. 10. rec.* utrobique in fine, & pluries habetur præsertim *sub titul. de Cambiis* & sub altero *de Usuris.*

Præterea ubi etiam sola continuata exactio
10 fructuum adesset, illa ad effectum hujusmodi ratificationis sufficere videtur juxtà *decis. 300. Millini*, cum qua pertransit *Zacch. hoc tract. num. 397.* ac pertransire videtur Curia in praxi; Multò magis ubi concurrit etiam scriptura, ut quoque concurrebat *in tacta decis. Millini*; Neque huic tacitæ ratificationi ex fructuum exactione resultanti, adversantur ea, quæ de exclusione consensus taciti & præsumpti ratione subjectæ materiæ habentur
11 *in Romana pro Cæsare Columna infrà disc. 9.* quoniam difficultas hæc intrat, ubi agitur de mutatione periculi vitæ, seu de nominatione personæ, vel ad alios similes effectus, in quibus adesse possit fraus ex parte creditoris ita effugere volentis periculum, ut insinuatur *in eadem decis. Millini num. 6.* & deducitur *in dicto alio disc. 9.* quæ ratio in præsenti non intrabat.

---

# ROMANA

## NOMINATIONIS

## PRO

## PETRO FRANGIO

## CUM N.

*Casus disputatus coram A. C. incertus est exitus.*

An cessionarius societatis officii mutare possit personam, sub cujus vitæ periculo illa currere debeat, ac exercere talem nominandi seu mutandi facultatem socio cedenti attributam; Et de materia dissolutionis societatis, quando illa sequi dicatur per mortem cedentis, vel per mortem cessionarii.

### *SUMMARIUM.*

1 *Casus controversiæ.*
2 *Societas solvitur per mortem cedentis non cessionarii.*
3 *Cessionarius dicitur procurator cedentis in rem propriam, & facere potest omnia quæ per procuratorem geri possunt.*
4 *An ad mutationem periculi vitæ requiratur mandatum speciale.*
5 *An societas possit cedi socio invito.*
6 *Casus in quo attendatur persona cessionarii. sed rejicitur.*
7 *In feudis non attenditur simulatio.*

### DISC. VII.

INita societate inter Frangii auctorem & officialem, pro quo N. collitigans bonam fidem recognoverat, cum facultate creditori attributa nominandi seu immutãdi aliam personam, sub cujusvitæ periculo societas currere deberet, Cum creditor præ 1
dictus hanc societatem cessisset Frangio, hic adimpletaformula præscripta per reformationem *Pauli V.* personam mutavit; Sequuta verò deindè morte dicti primi ceditoris cedentis, prætendere cœpit debitor locum factum esse lucro, ex recepta propositione, quod societas dissolvi dicitur, & de consequenti etiam lucrum fieri per mortem cedentis, non autem cessionarii, cum in illo substantiata remaneat, ac duret societas, cujus solum commo- 2
dum transire dicitur in cessionarium, ut decisum fuit *per Rotam de annis 1563. & 1564. apud Farin. cons. 15. n. 90. & 91. Zacch. hoc tract. num. 270. Bocacc. eodem num. 181. decis. 367. par. 4. rec. tom. 2.* ac ita passim recipit usus.

Non impugnando scribens in contrarium propositionem prædictam, dicebam quod sicuti ipse cedens, in quo societas est substantiata dictam sibi attributam facultatem immutandi periculum vitæ poterat exercere per procuratorem, ita ejusdem cedentis nomine id facere potuit cessionarius tan- 3
quam illius procurator in rem & utilitatem propriam, qualis in omnibus dicitur cessionarius habilis ad exercendum omnia, quæ exerceri possunt per cedentem, exceptis iis, quæ sunt merè personalia, & alteri demandari non possunt *ad text. in l. emptor. Cod. de hared. vel action. vendit.* ubi omnes, de quibus *Surd. cons. 22. numer. 16. Capyc. latr. decis. 16. num. 4. Rota decis. 30. num. 4. & 106.* 4
*numer. 3. par. 5. rec. plenè Olea de cessione tit. 1. quæst. 2. num. 37. cum sequen.* Quicquid enim sit, an ad hujusmodi actum sufficiat mandatum generale cum libera &c. ut volunt *Felic. de societate cap. 35. numer. 22. & Zacch. eodem numer. 435.* Vel requiratur speciale, ut incidenter ac sine auctoritate dicit *Ridolph. in ejus praxi*, adhuc in cessionario dicitur adesse mandatum speciale ex deductis per *Oleam ubi supra.*

Hinc

Hinc propterea dicebam non intrare quæstionem per alios hinc indè scribentes excitatam, an societas posset alteri cedi invito socio, de qua latè *idem Olea tit.3.quæst.5.* quoniam hujusmodi quæ-
§ stio intrat ad effectum inspiciendi, an cessionarius per cessionem fiat socius, ita ut societas substantietur in ejus persona, quæ ad effectum dissolutionis vel lucri attendi debeat necne, ad quem effectum requiritur formalis novatio juxta terminos *text.in l.4.ff.de novationibus* ex deductis *per Oleam ubi supra*; In præsenti autem, firma remanente substantia societatis in cedente, punctus erat, An cessionarius exercere potuerit illam facultatem, quam dicti cedentis simplex maudatarius & procurator ad exercitium deducere potuisset, cum nulla urgere videretur ratio prohibitiva, ut id quod fieri potest per procuratorem voluntarium, fieri non possit per cessionarium, qui mandatum magis efficax habere dicitur, atque ita credo fuisse judicatum.

In eisdem terminis, dissolutionis societatis per mortem credentis vel cessionarii in eodem Tribunali A.C. disputavi *in una Romana pro Com. Marescotto*; Cum enim hic requisitus esset ad dandas pecunias ad societatem officii cuidam officiali ad aliud munus pesteà translato, congruum autem reputaret non contrahere per se ipsum, supposuit personam cujusdam ejus famuli, seu confidentiarii, ad cujus favorem societas inita fuit, qui immediatè recognoscendo bonam fidem, declaravit se nudum habere nomen, totumque commodum & incommodum esse dicti Comitis. Cum autem post sequutam dicti fiduciarii mortem, absque eo quod aliquid morivaretur, plures anni decurrissent, Hinc orta est controversia super fructibus à prædictæ mortis tempore citrà decursis, An scilicèt non solati deberentur, vel soluti tanquam indebiti essent in sortem imputandi; Et debitor, pro quo judex pronunciavit, fundabat ejus intentionem in regula, de qua suprà, quod societas dissolvi dicitur per mortem cedentis, non autem cessionarii, ex eisdem decisionibus & auctoritatibus allegatis.

Ego verò scribens pro creditore, dicebam non esse in casu cedentis & cessionarii, cum verè ab initio Comes prædictus fuerit creditor, atque contra-
6 ctus initus de ejus pecunia sub simulato nomine alterius ad *text.in l. quamvis, & l. multum interest, C.si quis alteri vel sibi cum concord. per Buratt. decis. 733* & in his terminis posita simulationis probatione, admitti videtur *decis.367.par.4.rec.tom.2.* Pontissimè quia dabantur multa adminicula, quod debitor esset dictæ simulationis conscius; Verùm reflectendo ad veritatem, credebam, ut parti ab initio insinuavi, hoc fundamentum esse parum tutum, undè propterea justa visa est determinatio, quoniam posito etiam, ut debitor sciret societatem contrahi de pecunia alterius & ad ejus commodum, hoc tamen non tollit ipsum factum, quod eo ita volente societatis substantia in altera persona resideret, ex ils, quæ habemus in simili ponderata etiam per *Rotam d.decis.367.* de officiis vel locis montium vacabilibus, quæ per aliquem de propria pecunia cum reservatione liberæ dispositionis emuntur in faciem & sub nomine alterius, quoniam Principi vel alteri venditori benè id innotescit, sed hoc non tollit, quin substantia officii, tam ad effectum vacationis quàm alios in altera persona resideret, quamvis commoditas ac omnimoda dispositio esset alterius, qui conqueri non potest, dum poterat actum agere directè cum se ipso, & tamen ita voluit.

Ideoque ad instar eorum, quæ habentur in feudis, cum quorum regulis hujusmodi jura rectè 7
metienda veniunt, intrare non videtur *Rubrica & titulus, plus valere quod agitur quàm quod simulatè concipitur* ex deductis per *Marin.resol.38.lib.2.* & *Rotam in Rossanen.decimarum coram Bichio impress. apud eumdem & repetit. decis.109.par.9.recent.* & sæpius in sua materia *sub tit.de feud.*

---

# CAMERINEN.

## SOCIETATIS OFFICII

## PRO

## JOANNE & ANTONIO MARIA DE BROILIS

## CUM

## ANSALDO CASTELLANO, & JOSEPHO CERESIA.

*Casus disputatus coram A.C. & puto resolutus pro Broilis.*

An societas officii contrahi possit per eum qui non est officii titularis, sed fructuum & emolumentorum reservatarius; Et quid è converso, an contrahi possit per Titularem, ubi alter est fructuum & emolumentorum reservatarius.

Et an idem reservatarius qui societatem contraxit præstando nudum nomen in gratiam alterius qui pecuniam recepit, ac bonam fidem recognovit, possit ex cessione creditoris effici creditor, ita ut ad ejus commodum continuet & duret societas.

### *SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*
2 *An societas officii contrahi possit per eum qui est officii reservatarius.*
3 *Et an per Titularem, ubi adest reservatarius.*
4 *An officialis possit effici creditor societatis in præjudicium recognoscentis bonam fidem.*

### DISC. VIII.

LAtinus Broilus emit officium Notariatus causarum civilium 1
Terræ Montechii sub nomine ac in faciem Joannis ejus filii, cum reservatione decreti super libera & omnimoda dispositione, tam fructuum quàm pretii ejusdem officii informa, undè propterea juxta consuetam observantiam, quamvis officium sub nomine dicti Joannis cantaret, Attamen ipse Latinus officialis personam & partes, tam in perceptione emolumentorum, quàm in omnibus gerebat, atque ipse quamdam societatem super dicto officio iniit cum Pompeo Virgilio sub accessione Ansaldi Castellani & Josephi Cæresiæ, qui verè dictas

pecunias recipientes bonam fidem recognoscendo se obligarunt in forma relevare indemnem dictum Latinum, in eorum gratiam nomen & officium præstantem ; Deindè verò idem Latinus persoluta æquivalenti summa, & prædictæ societatis cessionem à Pompeo reportavit, Cumque dicti debitores per plures annos fructus persolvissent pulsati per dicti Latini filios & hæredes ad restitutionem sortis, excipiebant de indebita solutione fructuum in sortem imputandorum, vel ab initio ob nullam existentem societatem, quam dicebant iniri non potuisse per Latinum, qui non erat officialis, dum officium residebat in persona Joannis , Vel ubi iniri potuisset, saltem ex tempore quo idem Latinus effectus est creditor, ob incompatibilitatem concursus actionis & passionis in eodem subjecto, ita ut unus & idem esset socius sui ipsius, dum receptissimum est societatem contrahi & substantiari inter creditorem dantem pecunias & officialem , quamvis hic, sciente etiam creditore, præstaret nudum nomen, quia pecuniæ aliis darentur bonam fidem recognoscentibus.

Requisitus proindè ad scribendum ex parte creditorum, quatenùs pertinet ad primum punctum, An scilicèt societas contrahi potuerit per eum, qui
2 esset officii reservatarius tantùm, non autem titularis, Ponderabam quod licèt antiquitus ista quæstio disputata fuisset, nihilominùs *Rota in Romana Societatis officii coram Penia* inter suas *decis. 421. juxta Lugdunen.* aliàs 326. *juxtà Venetam repetita etiam post Zacch. de Societ. dec.* 32. affirmativam credidit veriorem, ex ea ratione, quod societas contrahi non dicitur super ipsa substantia officii in sorte principali, sed super ejus fructibus & emolumentis, ideoque congruentius contrahitur per eum, qui est dictorum fructuum & emolumentorum dominus, & cum dicta decisione pertranseunt *Zacch. hoc tract. numer. 27. cum sequen.* & *Duard. eodem lib. 2. cap. 6. §. 1. quæst. 4.* ubi eamdem decisionem registrat.

Hinc difficultas potiùs esse videtur in casu converso, ubi scilicet societas contrahitur per titularem illius officii, cujus alter esset reservatarius,
3 quoniam licèt ejusdem officii substantia in eo resideat, Attamen cum non habeat dominium & dispositionem fructuum & emolumentorum ad alterum pertinentium, deficere videtur societatis subjectum ; Et propterea quamvis *Rota in Romana Societatis coram Gypsio relata per Duard. ubi suprà quæst. 5. & impress. post Zacch. hoc tract. decis. 31* pro validitate senserit , Attamen *Zacch. num. 46. & Duard. dicta quæst. 5.* contrarium sentiunt, dictæque decisioni respondere conantur, Sed quicquid sit de unius vel alterius opinionis veritate , quam adhuc occasio non præbuit examinandi, primus casus cadens sub controversia videbatur remanere planus,

Quoverò ad alterum punctum, neque mihi,
4 neque scribenti in contrarium concessum fuit invenire auctoritatem in terminis , undè illum discurrendo per rationes vel similia, ut faciendum est, quandò non habemus auctoritates speciales benè fundatas, cum in his verè & propriè consistat scientia , ac dignoscatur Doctor benè fundatus; Quando Latinus officii reservatarius esset verè debitor, quia ipse pecuniam habuisset , atque societatis fructus solvere debuisset , tunc incompatibilitas esset clara , dum absque mixtura juris tertii idem esset debitor & creditor , ac socius activus & passivus , seu socius sui ipsius ; Ubi verò adest mixtura juris tertii, quia contractus commodum & incommodum pertinet ad alios , qui pecuniam receperunt , ac bonam fidem recognoverunt , dum ut sæpius in præcedentibus habetur, in hujusmodi societatis cessionarium non transit illius substantia, sed solum commodum, quod debitoris nil interest esse unius vel alterius, dum non alteratur periculum ex quo debitor lucrum sperat , Et tunc nil videtur repugnare, ut idem officialis dictum commodum obtineat, maximè ubi provenit ex intervallo, nullaque adest fraus , ex iis quæ in terminis similibus commoditatis pensionis Ecclesiasticæ compatibilis in ipsomet beneficiato & titulali, seu commoditatis feudi & emphyteusis in ipsomet Domino directo ponderata sunt *in Romana solidationis computorum hoc eodem tit. disc. 6.* Et juxta præmissa credo fuisse resolutum, moderando scilicet inhibitionem per debitores obtentam à mandato executivo contrà eos relaxato per judicem primæ instantiæ de partibus: Neque occasio præbuit hucusque punctum prædictum aljàs disputare , ut ita maturius veritas indagari potuerit.

---

# ROMANA

## SOCIETATIS OFFICII

## PRO

## CÆSARE COLUMNA

## CUM

## CARDINALI MANCINO

tunc Prælato.

*Casus decisus per rotam pro Columna.*

De fructibus non debendis post dissolutam societatem per disdictam; Et de renovatione societatis facta per solum officialem absente creditore, An valeat, & an sufficiat ratificatio tacita & conjecturalis.

### *SUMMARIUM*

1 *Facti series.*

2 *Fructus non debentur post disdictam societatem non obstante pacto.*

3 *Ad perfectionem & validitatem societatis initæ, vel renovatæ cum absente requiritur ratificatio expressa, & non sufficit tacita.*

### DISCURSUS IX.

CÆsar Columna Notarius Tribunalis A. C. super dicto ejus officio, sub propriæ vitæ periculo, 1
de anno 1641. societatem iniit scut. 1000. ad favorem Octavii Spadæ, qui de anno 1643. illam cessit Jacobo Gambæ post sex menses illam disdicenti, sed de anno 1648, idem Cæsar eam renovavit ad favorem dicti Gambæ absentis in munere

Audi-

Auditoris Avenionensis, qui de anno 1652. societatem prædictam cessit Cardinali Mancino tunc Prælato, sub narrativa, quod illa inita esset de anno 1641. ad favorem Spadæ, dictæque cessionis instrumentum stipulatum fuit præsente ipsomet Cæsare; Cumque de anno 1654. sequuta fuerit mors dicti Spadæ, Cardinali prædicto pulsante Cæsarem ad solutionem fructuum, excipiebat iste ad illos non teneri stante societatis dissolutione per dissdictam usque ab anno 1643. non curata renovatione utpotè facta cum absente nunquam ratificante; Hinc proindè introducta causa coram A.C. sententia absolutoria debitoris prodiit, & commissa per appellationem causa *in Rota coram Meltio, sub die 2. Maii 1659.* pro eodem debitore quoque prodiit resolutio, non deberi scilicet fructus post finitam societatem, quamvis pactum expressum adesset, quod etiam societate disdicta currere deberent fructus, quoniam cessante periculo illi citrà usurariam labem deberi non possunt, neque in hoc partium conventio quicquam operari potest *juxtà votum Accoramboni relatum per Farrinacc. cons. 15. sub num. 84. Cyriac. controv. 252. num. 42. cum aliis in decisione desuper edita.*

2

Quoverò ad punctum rènovationis, ad quem tota disputatio restringebatur, Ego scribens pro debitore principale fundamentum tam coram A.C. quàm in Rota constituebam in eo, quod illa facta esset ad favorem absentis, de cujus certa & expressa ratificatione non constabat, ut requiri, non suffra-

3

gante tacita vel præsumpta deducta ab exactione fructuum vel aliis adminiculis, firmant *Zacch. hoc tract. num. 395. & seqq. Boccacc. eodem num. 212. Cyriac. controv. 252. num. 4.* & *Rota decis. 660. num. 3. par. 1. divers.* Ex ea clara ratione, quod cum agatur de materia differenti subjecta periculo vocationis, quod unicè salvat contractum, consensus debet esse expressus ad tollendam claudicationem ac fraudem, in qua creditor versari posset, ita sub hac incertitudine effugiendo periculum, ac sinè eo exigendo fructus ad rigorosam rationem 12. pro centenario; Potissimè quoniam actus exactionis fructuum remanebat æquivocus, utpotè referibilis etiam ad primam societatem quamvis disdictam stante pacto cursus fructuum usque ad restitutionem sortis.

Clarius verò pro excludenda ratificatione prædicta considerabam formam cessionis conceptæ de prima societate inita cum Spada, ex hoc enim deducebam inevitabile dilemma, quod aut Gamba absens illam scivit aut ignoravit; Si ignoravit, prætendi non potest ratificatio, cum consensus & voluntas non trahantur ad ignorata; Et si scivit, clara resultabat probatio, quod noluit approbare, dum non istam, sed aliam præcedentem cesserat.

Rota super puncto consensus expressi juxtà dictas auctoritates nihil firmare voluit, sed relato tantùm incidenter motivo, principale fundamentum constituit in eo, quod Ego etiam deducebam pro ratione exclusiva ratificationis ut suprà, quod scilicèt non secundam sed primam partem in contractum deducere voluerit; Verùm utcumque sit, sivè id capiatur pro fundamento principali, sivè pro probatione diversæ voluntatis ut suprà, justa & probabilis visa est resolutio, cui proindè altera pars acquievit, accipiendo sortem, cujus diminutioni ex aliquibus fructibus solutis prætensæ debitor ut credo per concordiam cessit.

Ad motivum verò præsentiæ adhibitæ per debitorem instrumento cessionis, respondebatur; quod cum ageretur de inducendo contractum omninò novum, requirebatur consensus expressus, per quem debitor novata societate agnosceret in novum socium cessionarium, in quo societas tanquam ex novo contractu principaliter substantiaretur, quod ex tenore contractus constabat partes facere noluisse, undè protereà dicta præsentia ad eam cessionarii cautelam referibilis remanebat, ut ita debitor cessus non posset solvere debitum cedenti ad *notat. in l. 3. Cod. de novat.* Et quamvis ex parte actoris diceretur ad hujusmodi novationem probandam debitorem deindè expressum consensum præstitisse reservationi decreti ad favorem Mancini novi cessionarii super officio, quod fuisset magnum motivum, nihilominùs deficiebat justificatio in facto.

---

# ROMANA

## SIVE, &c.

*Votum suppressis nominibus ad petitionem cujusdam Cardinalis Arbitri.*

An in societate officii fructus decursi converti possint in sortem principalem, novam societatem ex eis creando.

### *SVMMARIVM.*

1 *Quod fructus societatis officii non possint converti in sortem.*

2 *Quid in censu.*

3 *Notatur differentia inter societatem officii & censum.*

4 *Fructus societatis officii habent speciem sortis principalis.*

### DISC. X.

REmissa in satis qualificatum Cardinalem, verbotenus, ac extra judicialiter decisione controversiæ. An fructus decursi cujusdam societatis officii in alteram societatem tanquam sors converti potuerint, & an intraret necnè anathocismus, Atque à dicto Cardinali consultus de anno 1651. expertùs de recenti pluries sensum *Innocentii Decimi* tunc regnantis super denegatione sanatoriæ census creati ex fructibus decursis alterius census, ex isto fundamento, quod hæc esset species anathocismi damnati etiam de jure civili *in l. finali Cod. de usuris*, fortius verò de jure Canonico ex deductis *per Merlin. dec. 409.* aliàs 301 *par. 5. rec.* cum aliis in sua materia *sub tit. de usuris*, ac etiam sub altero *de censibus*, in cujus terminis, quod nullitas census constituti ex fructibus proveniret etiam à jure communi, & seclusa Bulla *Pii V.* sentiit *Rota decis. 379. post Cenc.* cum aliis præsertim *in Tranen. sub tit. de cens. disc. 2.* fui in voto negativo. 1

Verùm hujusmodi voto post plures annos re-
2 viso, contratium videbatur probabilius, Tum quia etiam in censibus, cessante necessitate solennitatis præscriptæ per Bullam Pii, *in* puncto juris communis anathocismus intrare non videtur, eo quia ob demortuam sortem principalem fructus stare videntur principaliter & de per se independenter à sorte, ita ut verè & propriè accessionum nomen ac naturam non habeant juxtà *decisionem 254. Franchi* cum aliis *in dicta Tranen.* ubi quod de jure ac secluſa Bulla Pii tales fructus converti possunt in sortem, undè propterea à sub Pontificatu *Alexandri VII. & Clem. IX. Successorum* sæpius ac passim sanatio etiam in hac specie concedi consuevit, eundemque sensum scio, quod *sub Innocentio* habebant pro majori parte Votantes Signaturæ, qui tamen experti contrarium sensum Pontificis, illum non proferebant.

Clarius verò in fructibus hujusmodi societatis,
3 quæ dici potest continere jus vitalitium cum continuo periculo totalis deperditionis sortis principalis, quod non est in censu, ubi licèt sors reputetur demortua ob irrepetibilitatem, Attamen ejus substantia semper & in perpetuum viget absque periculo totalis amissionis, nisi illo satis de rarò contingenti casuali peritionis fundi censiti, undè propterea lucrum quod ex hujusmodi societate obtinetur,
4 sortis principalis potius speciem ac naturam habet; Adinstar fructuum census vitalitii seu officiorum & locorum montium vacabilium, in quibus id quod singulis annis sub nuncupatione fructuum pro nostro communi usu loquendi exigitur, sit potius pars sortis, quæ ita diminuta cum alea lucri & damni hinc indè percipitur, ut habetur in proposito locorum Montium vacabilium *sub tit. de Regal. disc.* 35.

Hinc proinde nullatenus intrare videntur rationes anathocismi, cum verè non agatur de usuris, neque de accessionibus, Undè quemadmodum ex fructibus perceptis ab officiis vel locis montium vacabilibus, nulla adest prohibitio alium contractum celebrandi, sic à pari; In idem quoque conferentibus iis, quæ habemus de interfuriis cambiorum passim convertendis in recambium ac augmentum sortis principalis, ex eadem ratione, quod in effectu dici non possunt fructus vel accessiones, sed debitum stans de per se, nam aliàs fieri non possent recambia, in quibus complicantur cum sorte etiam cambia decursa, quia in effectu non sunt fructus vel usuræ sed pars sortis principalis, ut in sua materia *sub tit. de cambiis*; Occasio tamen adhuc non præbuit id formiter in foro disputare, ut ita maturius veritas, ex aliorum etiam judicio inquiri potuerit.

***
**
*

# ROMANA SOCIETATIS OFFICII RENOVATÆ PRO JOANNE MATTHÆO OLIGNANO CUM SEBASTIANO PASQUETTO.

*Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Olignano.*

An & quando post dissolutam societatem officii per mortem vel disdictam, adhuc debeantur fructus ei, qui dedit pecuniam ad societatem; Et an exceptio fructuum malè solutorum impediat processum executivum pro solutione sortis principalis.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Fructus usurarii extenuant sortem ipso jure.*
3 *Quando exceptio fructuum usurariorum & indebitorum retardet processum executivum.*
4 *Indebitum voluntarium non præsumitur ac exigit probationem concludentem & perfectam.*
5 *Datur distinctio specierum sub quibus societas diversimodè contrahi solet, ut une casu dissoluta societate per mortem, non debeantur fructus, & altero sic.*
6 *Quare societates quæ verè contrahuntur cum ipsis officialibus fieri soleant super ipsorum officialium vitæ periculo.*
7 *Renovatio societatis etiam præsumptivè & adminiculativè probari potest.*

## DISCURSUS XI.



Niit Sebastianus Pasquettus Notarius A.C. societatem super eius
1 officio cum Carolo de Vecchis in summa scutorum 1600. in sorte, conventis fructibus ad rationem 12 pro centenario, cumque Vecchius societatem cessisset Joan. Andreæ Olignano, hic de anno 1639. eam renovavit sub periculo vitæ ejusdem Sebastiani, ut frequentior est consuetudo, ex ratione de qua infra; Defuncto autem Joan. Andrea de anno 1646. scripto hærede Jo. Matthæo ex fratre nepote, hic in vim verbalis conventionis, continuavit in exactione fructuum usque ad annum 1656. ex quo tempore Sebastianus, nedum ulteriorem fructuum solutionem denegavit, sed præ-

prætendere cœpit se liberatum esse à debito sortis principalis extenuatæ cum fructibus per decennium indebitè exactis post dissolutam societatem per mortem Jo Matthæi, cum fructus non debeantur dissoluta societate, quandò cessavit periculum, quod unicè salvat ab usura hujusmodi fructuum perceptionem; Cumque per plures annos durasset quidem benevolus concordiæ tractatus absque effectu, Hinc Jo. Matthæus cum processu executivo competente in vim obligationis cameralis, suspensis fructibus postea decursis, Sebastianum pulsavit coram A.C. pro restitutione sortis.

Et assumpta desuper disputatione super dicta exceptione extenuationis cum dictis fructibus, qui per reum conventum prætendebantur indebiti & usurarii juxtà opinionem, quam sequitur Rota &
2 Curia Romana ipso jure in sortem imputandis eamque extenuantibus, rejecta opinione volentium illos esse via ordinaria repetendos cum actione repetitionis indebiti juxtà firmata *in Romana Cambii coram Bichio decis. 69. par. 9. rec.* sæpius canonizata, cum circumferatur in ista conclusione tanquam magistralis, ut pluries *sub tit. de cambiis*, & sub altero *de usuris*.

Cum sensu etiam veritatis, pro Jo. Matthæo actore scribens, dicebam irrelevantem esse hanc exceptionem ad dicti executivi processus retardationem non aptam, quoniam ut non semel in proximè allegatis materiis *de cambiis*, & *de usuris* deductum habetur, vera & recepta distinctio est tradita per *Rotam in Romana pecuniaria 18. Junii 1646.*
3 *& 7. Junii 1647. coram Corrado utrobique in fine*, quarum posterior impressa est *decis. 74. par. 10. rec.* & cum qua regulariter procedit Signatura; Quod aut agitur de processu executivo pro ipsis fructibus, super quibus cadat quæstio, an sint debiti & liciti, nec ne, & tunc quia turbiditas esse dicitur in ipso credito, quod petitur, quoties dubietas aliquam haber probabilitatem, processus executivus impeditur etiam per judicem primæ instantiæ, & quatenùs per istum relaxetur mandatum, solet Signatura adversùs illud rescribere de appellatione cum clausula translativa, quia turbiditas est in actione.

Aut agitur de petenda sorte principali, cujus debitum per publicum instrumentum vel aliam probantem scripturam cum obligatione cameral vel alio pacto executivo est certum & liquidum, debitor verò opponit de illius extinctione cum fructibus in ejus causam solutis, quos dicit indebitos & usurarios, & tunc si indebitum est certum & clarum, ita ut qualitas usuraria sit incontrovertibilis nullam admittens excusationem, & exceptio suffragatur, stante quod Curia sequitur dictam opinionem super imputatione ipso jure; Si verò est turbida aliquam altiorem exigens indaginem, & tunc non retardat debitum sortis.

Plures rationes id suadent. Primò quia si exceptio solutionis, quæ per debitorem allegetur, facta directè & in causam ipsius sortis, quoties non est benè & incontinenti probata, sed est turbida & altioris indaginis non retardat executionem obligationis cameralis, multò minus retardare debet solutio indirecta, & quæ in aliam causam ab ipsomet debitore asseritur facta; Et secundò quia cum nemo præsumatur jactare suum, solutiones voluntariè factæ in causam fructuum præsumuntur licitæ & debitæ, cum indebitum voluntarium non præsumatur, ut benè ratiocinatur *Rota* locis citatis; Et tertiò quia nunquam dicitur exceptio concludenter probata illa, quæ habet contrariam possibilitatem, quod potissimum procedit in materia indebiti voluntarii exigentis adeò concludentem ac perfectam probationem, quod excludat contrariam possibilitatem ex deductis 4
*per Buratt. & adden. decis. 592. decis. 38. numer. 2. & 130. numer. 17. par. 5. rec.* cum aliis in *Savonen. sub tit. de usur. disc. 12.* Undè cum in judicio ordinario per testes vel alias species probationis ex parte actoris justificabilis esset renovatio societatis non exigens perneceſse scripturam incontinenti exhibendam, hinc proindè id sufficit, ut non possit dici exceptio ad hujusmodi retardationem apta.

Clarius verò quia non solùm in actore concurrebat possibilitas dictæ probationis, cujus quoque pleraque dabantur adminicula, sed etiam quia absque alia probatione dicebam in promptu constare de hujusmodi prætensi indebiti insubsistentia, cum tamen sufficeret turbiditas, quoniam actio clara, exceptio turbida.

Ut enim distinctum habetur *apud Boccadecium de societ. numer. 178.* qui sic testatur decisum 5
*sub Gregor. XIIIo.* in plena Signatura gratiæ, dupliciter societates officiorum in Urbe contrahi solent, Uno scilicet modo inter duos privatos, quia nempè unus det alteri non officiali pecuniam ad societatem, ita ut officialis, cum quo societas contrahi dicitur, præstet nudum nomen, sed alter privatus pro eodem officiali fidejubens recognoscat bonam fidem atque sit in effectu debitor, ut est frequentior hujus contractus usus; Altero autem modo ubi contrahitur cum ipsomet officiali, qui ut officium emeret, seu aliàs debita pro eo acquirendo contracta dissolveret accipiat ab aliquo pecunias ad societatem super ipso officio.

Primo casu, eò ipso, quod per mortem vel disdictam dissolvitur societas, pecunia in societatem data remanet debenda tanquam nudum creditum pecuniarium de sui natura sterile non aptum ad producendos fructus, qui si solvantur, tanquam ex cessante periculo vel alio titulo eorum justificativo dicuntur usurarii & indebiti, rejecta opinione volentium deberi saltem moderatè pro interesse lucri cessantis vel damni emergentis, quia receptum est in Curia, cessantibus aliis requisitis, hoc interesse ex sola mora non deberi; Secùs autem in altero, quia dissoluta etiam societate, cum Officialis retineat eodem tempore pecuniam & officium, cujus emolumenta percipit, idcircò ex ratione *text. in l. curabit Cod. de action. empti.* ne scilicet habeat rem & pretium, tenetur participare pro rata dicti pretii de emolumentis officii, quorum loco cedunt fructus ita per partes ad tollendas continuas lites super dispunctione computorum licitè conventi, & cum hac doctrina processit judex mandatum executivum relaxando, cum aliqua tamen fructuum moderatione ad rationem quinque pro centenario Signatura etiam approbante, & de qua doctrina habetur etiam *in Romana de Valtrinis sub tit. de Regal. disc. 11.*

Ponderabam tamen, reflectendo ad veritatem, hanc doctrinam videri, vel duram, vel periculosam, quoniam fundamentum hujusmodi fructuum ad tam excessivam rationem, consistit in periculo, quod ita cessare dicitur, dum si officii vacatio contingeret per mortem vel delictum Officialis, creditor non amitteret suum creditum ab hæreditate vel aliis bonis Officialis assequendum, ideoque

durum

durum videtur, quod ſine periculo aſſequi velit tanquam fructus recompenſativos illos, quos officium vacabile producit, dum pretium eidem periculo non ſubjacet; Verùm conſiderabam dictam doctrinam in praxi receptam eſſe ex quadam æquitate creditori aſſiſtente, quia ſi periculum non adeſſet de jure, adeſſe tamen dicitur de facto, dum ut plurimum, & ferè ſemper (abſque ſatis rara limitatione) hujuſmodi Officiales aliud non habent niſi officium atque vitam, & hæc eſt ratio, ob quam præter aliarum ſocietatem ſtylum iſtæ contrahi ſolent ſuper periculo vitæ ipſiuſmet Officialis, quo-
6 niam ſi contraheretur ſuper vita creditoris vel alterius, Aut iſte prædecedit, & ſors amittitur de jure, Aut prædecedit Officialis, & illa amittitur de facto, & ſic ſemper adeſſe dicitur periculum; Ideoque in hac facti ſpecie, in qua ubi ſequuta eſſet mors Officialis id rectè verificatum eſſet, iniquum dicebam, ut interim Officialis retinuerit officium, & pecuniam ſubjectam periculo ſaltem de facto; Et conferunt quæ de dominio reſultante à reſervatione decreti habentur *in dicta Romana de Valtrinis ſub titul. de Regal. ad materiam officiorum diſc.* 11.

Dabantur etiam pleraque inditia & probationes (*licèt* imperfectæ) ſuper renovatione facta cum ipſomet Jo. Matthæo hærede, quæ probationis ſpecies rectè in hac etiam materia admittuntur,
7 ex iis, quæ in ſpecie ſuper renovatione ſocietatis in officio habentur *apud Capyc. Latr. dec.* 26. *nu.* 25. *& ſequen.* ubi concordantes, ſed de iſto puncto actum non fuit, cum ſolum iſta deducerentur ad jam dictum effectum reddendi in omnem eventum turbidam exceptionem.

---

# COMPENDIUM MATERIÆ SOCIETATIS OFFICIORUM

*Diſcurſus informativus.*

De origine, ſeu introductione contractus ſocietatis officiorum in Romana Curia adeò frequentis, & uſitati, An ille in utroque foro cenſeri debeat licitus nec ne; Quid verè, & propriè contineat, & quæ ratio illum ſubſtineat, Et de pluribus ejus requiſitis, & quæſtionibus in eo cadentibus.

*SVMMARIVM*

1 *Caſio ſcribendi.*
2 *Unde proveniat diverſitas opinionum in materia uſuraria inter Canoniſtas, & Theologos.*
3 *De ratione ob quam in foro deferendum eſt Canoniſtis.*
4 *De aliquibus in quibus diverſimodè judicatur in foro interno, ac externo.*
5 *An diligi poſſit offenſor, & tamen proſequi vindicta.*
6 *De differentia ſpeciali inter utrumque forum in hac materia ſocietatis officiorum.*
7 *De origine, & occaſione introductionis hujus contractus ſocietatis officiorum.*
8 *Cui contractui iſte aſſimiletur.*
9 *De ratione ob quam licita eſt taxa fructuum ab initio.*
10 *De Apoſtolicis conſtitutionibus editis ſuper iſto contractu.*
11 *De pluribus difficultatibus, ſeu rationibus dubitandi de iſto contractu, ſed refelluntur, & de ratione, & referuntur Theologi agentes de materia.*
12 *Quæ dicatur ſocietas obliqua ad differentiam directæ, & de qua magis dubitari poſſit.*
13 *Quod etiam iſta ſocietas obliqua cum tertio ſubſtineatur & de rationibus.*
14 *Quænam ſint eſſentialia requiſita ſocietatis officiorum.*
15 *Referuntur doctores forenſes agentes de materia.*
16 *De æquivoco moralium in iſto contractu.*
17 *Super qua perſona debet currere periculum.*
18 *Quomodo facienda ſit mutatio periculi vitæ.*
19 *De fraude, quæ committi ſolet per creditores volentes currere periculum vitæ*
20 *De materia quando impediatur lucrum, non obſtante morte, ex defectu non implementi.*
21 *De declarationibus, ſeu conſiderationibus dictæ concluſionis, ut etiam in caſu non implementi intret lucrum.*
22 *Quod taxa antiqua duodecim pro centenario hodie ſit exceſſiva, & reformatione digna.*
23 *Referuntur Doctores tractantes plures quæſtiones in materia.*
24 *an fiat locus lucro ſocietatis per mortem ejus, qui de tempore initæ ſocietatis, erat jam conſtitutus in periculo mortis.*
25 *De morte violenta excepta ab iſto contractu remiſſivè, & an mortuus per manus juſtitiæ dicatur mori morte violenta, vel naturali.*
26 *An ſocietas diſſolvatur per mortem cedentis, vel ceſſionarii.*
27 *Si officium cantat in perſonam unius, alter vero eſt reſervatarius fructuum, quis iſtorum contrahere poſſit ſocietatem.*
28 *De caſu in quo ſuper eodem officio contrahantur plures ſocietates ultra officii valorem.*
29 *Contracta ſocietate ſuper plaribus officiis, an per vacationem unius diſſolvatur ſocietas in totum.*
30 *Si reſtituatur pars pecuniæ, an ſocietas diſſolvatur in totum, vel duret pro rata non ſoluta.*
31 *An in iſto contractu requiratur pecunia numerata, vel fieri poſſi ex credito pro alia cauſa, ſive cum fructibus alterius ſocietatis.*
32 *De renovatione facta cum creditore abſente, an exigat ratificationem expreſſam, vel ſufficiat tacita.*
33 *Fidejuſſor, an poſſit renovare ſocietatem in damnum principalis iſto inſcio.*
34 *An creditor in bona fide exigens fructus poſt extinctam ſeu aliàs ceſſatam ſocietatem, teneatur eos reſtituere.*

35 *Societas*

35 *Societas inita cum defuncto, & per ipsius mortem dissoluta an renovetur cum uno ex hæredibus.*

36 *An currant fructus saltem tanquam damna, & interesse post dictam, vel dissolutam societatem.*

37 *De aliis quæstionibus remissivè.*

## DISC. XII.

CUm quidam insignis, ac primariæ religionis professor, doctissimus Theologus & eximius concionator, ob difficultates, quæ per plures antiquos, ac modernos Morales excitantur ad 1 versus contractum societatis officiorum, adeò in Romana Curia frequentem, & usitatum, aliquod concepisset scandalum, quod ille ita passim in foro admitteretur, & canonizaretur, ac propterea aliquam magis distinctam hujusmodi contractus notitiam, ac relationem in lege charæ amicitiæ à me petiisset.

Illud in primis, antequam ad dictam informationem devenirem, præmittendum censui, quod 2 habetur etiam quandoque insinuatum *sub tit. de usuris*, & sub altero *de cambiis*, magnum in hac usuraria materia opinionum discrimen adesse inter Theologos, & Canonistas, Non quidem, ut malè aliqui putant, ex opinionum diversitate, sed pro meo judicio verius, ex omnimoda diversitate fori, in quo ipsi respectivè dictam materiam pertractant; Theologi siquidem eam principaliter tractantes in foro interno, cujus judex est Deus cordium scrutator, sine processu, ac extrinsecis probationibus judicans cum sola sibi cognita naturali veritate, seu ex pura, & sincera, vel depravata & impura conscientia, & intentione contrahentis, procedunt cum quibusdam metaphisicis, ac idealibus operationibus intellectus, atque cum quibusdam instantaneis distinctionibus animi, seu intentionis apud solum Deum practicabilibus; Canonistæverò eandem materiam tractantes in foro externo, cujus judex est homo, habens judicandi arbitrium refrænatum intra cancellos legis præcipientis, illum judicare debere secundum acta, & probata, dum Ecclesia non judicat de internis, Ideoque impracticabilis est illa species probationis, quæ in foro interno habetur apud Deum corda videntem, nostrique intellectus, & voluntatis operationes benè cognoscentem ac distinguentem;

Atque ista est vera, satisque probabilis ratio, ob quam in foro judiciali receptam habemus propositionem pluries *sub dicto tit. de usur.* ac sub altero *de* 3 *cambiis* deductam, ut in materia usuraria, Canonistarum potius quàm Theologorum auctoritati deferendum sit, utpotè ambulantium cum principiis omnino diversis.

Si enim mutuator, in prima operatione intellectus, verè, ac sincero animo intendat facere mutuum gratuitum, juxta præceptum Evangelicum, mox 4 autem contemporaneè, sed per diversam ejusdem intellectus operationem alios faciat contractus, nempe societatis, & duplicis assecurationis, ex quibus resultat ille contractus trinus apud Theologos adeò receptus, tunc concurrentibus suis requisitis justitiæ, & æqualitatis, id subsistinetur in foro interno, & apud Deum, sed vix datur casus, ut subsistineri possit in foro externo ob nimium difficilem, ac penè impossibilem justificationem illius sinceri animi, ac bonæ fidei, quæ apud Deum ita sunt jam in probatis.

Ita pariter, si creditor ex causa census, vel cambii, seu etiam ex causa mutui credat contractum validum, sibique licitum fuisse exigere fructus, vel alias accessiones ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quod verè & defacto sit passus vel pati crediderit, atque cum hac bona fide tales accessiones perceperit, & consumpserit, illum in conscientia tutum reddunt Theologi; Et tamen in foro externo, juxta præsertim opiniones Rotæ & Curiæ Romanæ, si non concurrant requisita contractus census vel cambii, sivè non probetur, in specie aliàs quam per partium assertionem interesse lucri cessantis vel damni emergentis, judex condemnabit ad restitutionem vel ad imputationem in sortem, non curata simplicitate sexus, ætatis, vel rusticitatis, aut probitatæ aliisque causis bonam fidem, ac justam credulitatem inducentibus, cum in hac materia ignorantia juris non admittatur, nisi quando illa sit adeò dubia quod assimiletur justæ ignorantiæ facti, ob fraudes quæ aliàs sub his prætextibus usuris fieri possent, dum, ut dictum est, Ecclesia non judicat de internis.

Econversò autem, si creditor certò sciat debitorem non posse cambiare per nundinas, ipseque verè non habeat animum girandi æquivalentiam sub cambiis sub periculo, & incerta alea, sed voluerit facere illum contractum ut sub illius specie, vel colore accessiones ex pecunia recipiat; Sive certò sciat fundum censitum non esse proprium debitoris, vel non esse capacem; Aut officium, super quo contrahitur societas non esset capax; Sive non habeat in animo erogandi mutuatam pecuniam in ea investimenta vel negotia, quæ ad satisfaciendum requisitis *Castr. in l. 3. ff. de eo quod certo loco*, cum protestationibus, ac proxenetarum attestationibus figurantur pro justificatione interesse lucri cessantis, ita ut totum sit pallium, tunc utique Theologi in foro interno illum condemnant, & tamen in externo Canonistæ ac forenses, nisi talis scientia, vel respectivè animus justificetur per extrinsecas probationes, quæ potius urgeant in contrarium, illum excusant atque fructus vel accessiones deberi decernunt; Omnes tamen in sua respectivè sphera benè, & fundatè, ob diversitatem probationum cum quibus in uno, vel alio foro proceditur; Ideoque mea est dicendi consuetudo quod malè Canonistæ forenses se ingerunt in internis, & econversò malè Theologi apponunt manus in externis, & forensibus, cum sint messes omnino distinctæ, Non quidem circa theoricas, ac principia quæ concordant, imò sunt eadem, sed circa modum probationis, Atque ex hac mixtura tot æquivoca, & confusiones resultant.

Neque solum in hac usuraria materia id procedit, sed etiam in aliis, ut exempli gratia, præcipiente Christo Domino in Evangelio diligi inimicos, ac haberi tanquam amicos, Theologi procedentes cum 5 dictis metaphisicis ac idealibus distinctionibus operationum intellectus, dicunt posse offensori remitti injuriam, illumque ex corde diligi juxta præceptum Evangelicum tanquam amicum & proximum, Et tamen posse eidem denegari pacem seu remissionem judicialem de jure necessariam, ut offensor de crimine indulgentiam obtinere valeat, seu pœnæ minorationem; Quinimò ipsum offensum prosequi posse in judicio instigationem seu causam vindictæ, & accusationis pro condigna punitione ex zelo justitiæ, ac Reipublicæ bono, ut delicta non

rema-

remaneant impunita; & tamen (ultra quod etiam in foro interno ista theorica, seu idea vix ad praxim reducibilis videtur), quatenus ad externum pertinet, non reperietur sensatus vel insensatus qui credet amicum, & dilectorem eum qui curat aliquem furcis suspendi vel capite truncari, seu ad triremes transmitti, cum vitæ, honoris, & bonorum jactura; Apud forenses autem receptum est, inimicum reputari accusatorem criminis capitalis, seu quod aliàs gravem pœnam corporis afflictivam, vel bonorum notabilem jacturam importet, cum similibus, in quibus in uno, vel altero foro adeo diversum est judicium ob tam diversam probandi speciem, ideoque rationabiliter diversæ sunt propositiones.

Hæc citra evagationis notam prænotanda censui, utpotè necessaria, etiam ad ipsum præcisum ef-
6 fectum hujus contractus societatis officiorum, quoniam plerique dantur casus, in quibus dans pecuniam ad hanc societatem ob depravatum animum internum reportandi excessivum lucrum fructuum sine periculo amittendi sortem, malitiosè curat apponere aliqua pacta, vel cautelas, quibus mediantibus lucrum sortis in pecuniarum acceptore impedire curat, ideoque per Theologos meritò condemnatur in foro interno, quod etiam concorditer faciendum est per Canonistas ac etiam legistas Catholicos. sed nisi hic depravatus animus extrinsecus probetur, vel hujus contractus debita requisita illum justificantia concurrant, id nil operatur in foro externo, ac apud juristas forenses, juxta plures quæstiones in hujus discursus progressu enunciatas.

Quatenus igitur ad rem pertinet; Cum Romana Curia, occasione utriusque sacri & prophani
7 Pont ficii Principatus, nimis abundet officiis venalibus per obitum Officialis vacabilibus, ac subrogatis loco illarum militiarum, quæ adeò frequentes erant in antiqua Republica Romana, juxta magis distinctam, & accuratam hujusmodi officiorum enarrationem, quæ habetur in secundo meorum laborum libro *de Regalibus discurs.* 2. Aliqua verò ex eis exigant personalem industriam in earum exercitio, unde propterea emolumentum ex illis resultans longe ultrà illud quod ex aliis officiis percipitur, partim pecuniæ erogatæ in officii acquisitionem, partim verò officialis industriæ ac diligentiæ referendum veniat, ita ut ex majori, vel minori industria, & aptitudine possessoris emolumenta sint respectivè majora, & minora, ut sunt præsertim officia Cursorum Papæ, ac Notariorum Tribunalium Cameræ, & Auditoris Cameræ, multi vero adsint viri periti, & industrii ad hujusmodi officia exercenda nimium habiles, pecunia tamen ad eorum acquisitionem necessaria carentes; Hinc proindè introducta fuit hæc species societatis, per quam dator pecuniæ, proportionabiliter, & pro rata participet de officii emolumentis, atque cum eadem
8 proportione subjaceat periculo, tam in sorte, quàm in emolumentis, ad instar illius societatis iniri solitæ super aliqua negotiatione in qua unus ponat pecuniam, alter verò operam seu industriam, præsertim verò illius societatis, quæ fieri solet super navibus piscatoriis, seu mercantilibus, ac etiam belligeris, quæ vulgò nuncupari solet cambium maritimum seu nauticum fœnus sed erroneè.

Sed quoniam emolumentorum quantitas in istis officiis personalem industriam ut supra exigentibus est incerta, atque frequenter satis varia, Undè per officialem qui industriam adhibet, ac exercitium habet plures fraudes in alterius socii præjudicium committi possent, ideoque ex hac suspicione plures oriri solebant lites, & controversiæ, Hinc proindè inolevit usus taxandi hæc emo-
9 lumenta ad certam summam verisimilem, tanquam per concordiam super futura incerta alea, per quam uterque potest æqualiter se habere ad damnum & lucrum, atque ex antiquo usu taxa prædicta esse consuevit intrà, non autem ultrà summam duodecim pro centenario.

Antiquiori tempore controverti consuevit istius contractus usus, ac validitas, undè propterea emanavit Apostolica Constitutio *Leonis X.* prohibens hujusmodi contractum absque beneplaci-
10 to Apostolico præstando per supplicationem manu papæ signatam, cum aliis provisionibus circa indemnitatem mulierum, & alia ad rem non facientia; Deindeque alia supervenit Apostolica Constitutio *Pauli IV.* quæ idem disponit quadam forma præscripta, usurarias ac illicitas declarando illas societates, quæ aliàs quàm super officio vacabili, & absque periculo amittendi sortem fiant; Demum verò prodiit Constitutio *Pii IV.* immediati Successoris, dictarum Constitutionum, præsertim ultimæ moderatoria, per quam approbantur societates super officiis tantum, quorum tamen valorem excedere non possint, dummodo cum pactis licitis & honestis, prout ante dictam Paulinam Constitutionem fieri solebant, absque aliquo beneplacito Apostolico, atque hæc ultima Constitutio est hujusmodi contractus norma, & magistra, cum alia huc usque desuper non prodierit particularis super ipsius contractus genere, vel substantia, Aliquibus tantum provisionibus contentis in Constitutione *Pauli V.* edita super reformatione Tribunalium Urbis circa mutationem personæ super cujus vitæ periculo societas durare debet, ac super dissidia, & renovatione societatis respectivè.

Et quamvis aliqui Juristæ, vel morales plures adversùs istum contractum excitaverint difficultates; Vel quia contineret votum captandæ mortis; Vel quia participaret de illa simonia
11 quam aliqui, verè ignari, sine imaginabili fundamento somniarunt versari in concessione hujusmodi officiorum propter pecuniam, Vel quia contineret mutuum usurarium super vita hominis, aut speciem prohibitæ sponsionis; Attamen ubi agitur de societate sincera, & directa inita scilicet inter dantem pecuniam, & officialem illam accipientem pro officio obtinendo, ejusque pretio in toto, vel in parte, tunc hujusmodi difficultates inter somnia & fabulas omninò collocari merentur; Tum quia revera continet illam speciem omninò licitæ ac practicatæ societatis, quæ ut supra fiat in quibuscumque negotiationibus in quibus unus pecuniam, alter verò operam, & industriam personalem ponat; Tum etiam quia nimia temeritas est dicere illicitum, ac usurarium illum contractum per tot sæcula nedum publicè & palam in Curia Romana præsente Pontifice per ejus judices, & Tribunalia Canonizatum, ac exequutioni damandatum, sed etiam explicitè approbatum per omnes dictas Apostolicas Constitutiones *Leonis X.* & *Pii IV.* ac ipsiusmet in his materiis rigorosi *Pauli IV.* dum in duabus primis præscribitur certa forma ad evitandas fraudes in eo committi solitas, in genere autem canonizatur; Licèt enim in materia usuraria &

quan-

quando certum est adesse talem infectionem, illam utpotè à jute Divino manantem, Pontificia potestas tollere vel sanare non possit, Absolurum tamen est ac receptissimum apud Catholicos, quod cessante tali infectione clara, atque aliqua dubietate desuper cadente, omninò deferri debeat auctoritati Summi Pontificis tamquam unici, ac veri jutis divini interpretis, & sic in ratione interpretativa, seu declarativa, non autem abrogativa, vel dispensativa.

Aliqua non improbabilis dubitandi ratio magis cadere videtur in illa officiorum societate, quam ego appellare consuevi obliquam, ubi scilicèt officialis cum sua pecunia jam acquisivit officium cujus est perfectus dominus, nullaque ad hunc, imò alium effectum pecunia indiget, sed verè ac de facto contractus fiat inter duos privatos, directè, ac immediatè invicem paciscentes, quia nempè Titius non officialis indigens pecunia pro aliis ejus usibus, illam accipiat ad societatem officii à Sempronio pariter privato, adhibendo officium, ac respectivè officialem simulatè, ac ad pallium seu cohonestationem contractus, qui celebratur quidem directè inter dantem pecuniam & officialem super ejus officio, sed ille privatus, qui pecunia indiget, eam directè recipit, atque bonam fidem recognoscendo se obligat, tam erga pecuniæ datorem pro solutione sortis, & fructuum, quàm erga officialem pro ejus relevatione, adeò ut datori pecuniæ horum omnium conscio nulla detur actio contra officialem, ita accommodantem officium, ac nudum nomen, gerendo personam, ut vulgò dicitur *di testa di ferro*, seu *Vetturini*, undè videtur quod sit in effectu mutuum sub usuris & alteratis accessionibus ex sola ratione periculi vitæ, Atque istum casum seu speciem contractus verè, & propriè, licèt ad hanc distinctionem non ita explicitè descendentes percutere videntur *Navarr. Azorius*, *Filiuccius*, *Bonacina*, *de Lugo*, *Giballinus*. & cæteri Morales, cum quibus pertransire solent aliqui Juristæ in collectorum magis quàm Doctorum catalogo apponendi, de isto contractu aliquam habentes dubitationem. 22

Quidquid autem sit in foro interno de quo, ut præmissum est, non sunt viri forensis partes agendi, cum in eo totum pendeat ab animo, ac intentione quæ soli Deo innotescunt; Quatenus pertinet ad forum externum, ac ea de quibus judicat Ecclesia, quæ concurrentibus requisitis à lege præscriptis, non data contraria extrinseca probatione, supponit intentionem sinceram; Sicuti è contrà cessantibus dictis debitis requisitis, eam supponit malàm, ac depravatam, quamvis inspecta veritate soli Deo, & ipsi creditori nota, contrarium utroque respectivè casu potius verificaretur; Certum est contractum subsistineri atq; validum, etiam pro foro interno ab Ecclesia reputari, non solùm ex jam superius dicta ratione, quam Juristæ frequentius tanquam unicam deducere solent explicitæ, vel implicitæ approbationis Pontificiæ resultantis, vel à dictis Apostolicis Constitutionibus, vel à publico & satis frequenti usu publicè & palam in Curia ipso Papa vidente, sciente, & patiente, quinimò sæpè occasione disputationum quæ coram ipsomet in Tribunali Signaturæ gratiæ habentur approbante; Verum etiam quia simulatio est in jure damnata, ubi est circa actum, ejusque substantiam, quia nempè simuletur fieri unum contractum, in effectu autem ac in veritate alter fiat, secus autem quoad personas, quoties personarum diversitas non corrumpat substantiã contractus, neq; usurarum fraudem, seu tertii præiudicium contineat, ut frequens praxis docet in cambiis, quæ girant sub nomine alicujus mercatoris, cum in effectu sciente debitore pertineant ad privatum non mercatorem, cambiare tamen non prohibitum; Et magis proximè in censibus, quorum subjectum est fundus capax ac fructifer certis finibus designatus pro certificatione periculi cui creditor censuarius ex fundi chasmate subjacere debet, quoniam nil prohibet aliquem fundi possessionem in gratiam alterius accipere volentis pecuniam ad censum, istum constituere sciente creditore super ejus fundo, atque contractum conficere, & tamen illum tertium recognoscere bonam fidem. totumque contractus commodum, ac incommodum, in se suscipere, ita remanente substantiato contractu cum possessore fundi, & super isto tanquam subjecto necessario; Sic à pari nil impedire videtur istum contractum societatis substantiari cum officiali, & super officio tanquam ejus subjecto necessario ad formam Apostolicarum Constitutionum, & tamen commodum & incommodum esse tertii ita volentis hanc aleam emere sub spe lucri sortis principalis breviter reportandi, eodem modo quo in censibus vitalitiis, aliquam tamen diversitatem habentibus ob omninò prohibitam dissdictam, ac despetatam recuperationem sortis principalis ita totaliter demortuæ, undè magis abest mutuum interpretativum quod ad usuram supponere oportet. 13

Igitur tota vis est in istius contractus essentialibus requisitis, quæ duo esse videntur, officium scilicèt capax & periculum amissionis sortis per mortem illius, super cujus vitæ periculo contractus initus est, & sine quo periculo dari non potest iste contractus validus fructuum seu emolumentorum productivus, ut communiter concordant Juristæ de isto contractu agentes, præsertim *Scaccia de cambiis*, *Mantica de tacitis*, *Leonellus ad Bullam Pii IV*, *Felicius de societate*, *Boccaccius*, *Castracanus*, & *Zacchia in particularibus tractatibus de isto contractu initis*, ac etiam frequenter *Rota Romana*, quæ sine his duobus requisitis nunquam hunc contractum probavit; Magisque super dicto requisito periculi immorantur supetius recensiti Morales, ac alii, quorum tamen aliqui in hoc æquivocarunt, opinantes ipsum periculum vitæ tanquam speciem sponsionis esse subjectum contractus ita continentis mutuum sub gravibus accessionibus ratione periculi, sed in hoc æquivocant, quoniam periculum est quidem requisitum necessarium societatis, sed non est subjectum contractus. 14 15 16

Super qualitate verò personæ sub cujus vitæ periculo contractus currit, nihil determinatum habemus, Undè quandoque designatur persona ipsius socii dantis pecuniam, quem vulgò creditorem dicere solemus, Quandoque ipsiusmet officialis pecuniam recipientis Et quandoque tertii omninò extranei absque distinctione sexus, an sit masculus, vel fœmina, ac absque distinctione status, an sit secularis vel ecclesiasticus etiam Regularis; Quinimò circa personam frequentius socio danti pecuniam ex conventione reservari solet facultas illam variandi, seu etiam quod ab initio nullla designetur, sed præscribatur aliquis terminus ad illam designandam; Verùm ob fraudes quæ desuper committi solent, provisum est utroque casu; Siquidem per dictam Constitutionem *Pauli V.* super reformatione Tribunalium præscripta est forma talis mutationis, ut scilicèt illa adnotari debeat, non solum in manuali Notarii, sed etiam in margine instrumenti ipsius societatis, ac etiam notificari alteri socio, quod etiam in nova nominatione statutum est, atque interim quod fiat nominatio nova, receptum est societatem currere super periculo vitæ ipsius socii 17 18

dantis pecuniam? Eademque diligentia ad evitandas fraudes utriusque registrationis ut suprà, statuta est in disdicta societatis, ita ut aliàs actus remaneat infectus.

Est benè verum, quod super hoc periculo atque ad illud evitandum multæ committuntur fraudes per callidos pecuniæ datores, ita curantes excessivum emolumentum sine periculo amittendi sortem percipere, Atque in hoc concurro cum Theologis, & Mo- 19
ralibus, quod Rota, à cujus resolutionibus alia Tribunalia normam in hoc recipere videntur, forsan benignè se gessit, procedendo cum juris regulis ac propositionibus generalibus super effectibus ex non implemento resultantibus, ac non adimpleti præjudicialibus, Undè propterea pro meo judicio satis opportuna imò necessaria videtur lex hujusmodi calliditatum, & cavillationū eradicativa, prohibendo scilicèt simpliciter, ac indefinitè pacta renovationis vel suppletionis fidejussorum, aut alterius implementi, ex cujus prætextu prætendi valeat lucri impedimentum, quamvis periculi casus contingat, istique ita captiosè contrahentes quoad forum internum sunt absque dubio usurarii, ac inexcusabiles à peccato, & à restitutione fructuum, dum revera in animo non habuerunt verè inire societatem cum periculo illi connaturali; Sed in foro externo, ut dictum est, non data probatione extrinseca talis fraudis id non attenditur, quoniam forus externus non judicat nisi ex actis, & probatis.

Conveniri siquidem solet, quod officialis qui pecuniam recipit infrà certum tempus, præstare debeat fidejussorem, aut illum jam præstitum renovare, sive alium adjungere, Aut alium in locum præstiti mori- 20
entis, vel ab Urbe discedentis subrogare, Aut dare cedulam bancariam, aliaque adimplere; Ista verò ut plurimum negligi solent, cum hujusmodi contractus frequentius non nisi per imprudentes, vel parum providos fieri soleant, atque datore pecuniæ studiosè non sollicito de adimplemento, neque illius promissorem urgente, sed potius obdormitante, exindè sequitur quod contingente casu periculi per mortem ejus super cujus persona statutum est, non fiat locus lucro ex ea generali, & vaga ratione, quod istud reportari non potest nec debet ex contractu non adimpleto. (A)

Agnoscens Rota istud inconveniens, curavit quo magis fieri posset illi occurrere, declarando quod si creditor post debitoris moram seu obligationem adimplendi recipit ab eo fructus, tunc si casus periculi contingat in eo semestri vel alio termino pro quo fructus recepti sunt, locus fiat lucro, non obstante tali ob- 21
jecto non implementi, quod ita pro eo solum tempore remissum censetur, reprobata captiosa cautela, quam callidi creditores adhibere solebant recipiendi dictos fructus cum clausula præservativa *sive præjudicio*, cum esset protestatio contraria facto (B); Verùm id parum vel nihil prodest, quoniam iidem callidi creditores sub ovina pelle luporum partes agendo, cum benevolæ dilationis, ac indulgentiæ pallio suffocatos, vel inexpertos debitores decipiunt, ac obdormitant non recipiendo fructus semestris, vel alterius termini conventi, nisi post eum jam elapsum, ut ita semper à periculo tuti, ac exempti vivant, ideoque ista pernicio-sa, & pessima cautela indefinitè reprobari deberet; Undè propterea ab aliquo moderno tempore in Tribunali A.C. aliquis judex, justè, ac rationabiliter introduxit, ut ex tempore non implementi non currerent fructus, dum non aderat periculum, & quidem satis rationabiliter.

Prout eadem Rota, eamdem cautelam restringendo declaravit illam suffragari, quatenus implementum promissum esset in ipso principali contractu societatis inito cum officiali, secus autem si in alio instrumento recognitionis bonæ fidei factæ per tertium pecuniæ receptorem, (C) licèt quandoque eadem Rota obiter contrarium dixerit, (D) sed parum tutè, cum prima declaratio omnino probabilior videatur, ac recipienda sit, ex ea clara ratione, quod substantia contractus est in primo instrumento societatis initæ cum officiali, cujus vigore lucrum sit, secundum autem est solum ad probationem, quod societatis commodum & incommodum est ipsius recognitoris.

Reformatione quoque dignus videtur iste contractus circa dictam taxam fructuum seu emolumentorum officii usque ad 12. pro centenario; Antiquo si- 22
quidem tempore illa congrua erat, quoniam juxta retroacti sæculi conditionem, tam officiorum vacabilium, quam ipsorummet bonorum stabilium, censuum perpetuorum & locorum Montium non vacabilium fructus, & emolumenta erant longè majora, & consequenter majora erant juxtà debitam proportionem emolumenta vacabilium, Undè propterea cum fructus tam non vacabilium, quam etiam officiorum vacabilium, quorum una species ab altera proportionabiliter normam recipit, hodiè dimidiati sint, quinimò dimidio minores redditi, hinc proindè prorsus incongruum est tolerare hanc taxam antiquam eodem modo, quo cum aliqua admiratione cernimus continuari in prorsus incongrua taxa antiqua statuaria fructuum dotalium ad rationem septem cum dimidio pro centenario; Licèt enim rari sint casus, in quibus in hac taxa duodecim, societates fiant ob affluentiam pecuniæ, ac penuriam investimentorum, & ex qua causa fructuū adeò notabilis diminutio prodiit, Attamen id provenit ex industria providi officialis vel debitoris, sed non tollit occasionem fœneratori extorquendi ab inexperto, vel suffocato debitore hāc excessivā summā, cujus proindè reformationi locus omninò esse deberet.

Plures autem quæstiones super istius contractus validitate, ac fructuum cursu, vel super lucro sortis contingere solent, quas nimium longum ac tædiosum esset recensere, cum suis distinctionibus, ac declarationibus, easque curiosus videre poterit apud *Leonellum*, 23
*Castracanum, Zacchiam, & Contilorum* in particularibus tractatibus de hac societate editis, ac etiam satis frequenter in Rotæ Romanæ decisionibus; Aliquas tamen quas memoria suggerit notabiliores, ut tuo desiderio, & curiositati satisfaciam, summatim insinuabo.

Primò enim peregrinam quæstionem disputandam mihi occasio præbuit, An fieret locus lucro sortis ad favorem debitoris per mortem ejus, sub cujus vitæ 24
periculo contractus initus est, si ille absens à loco conventionis tunc graviter infirmus esset, ac in periculo breviter sequutæ mortis constiturus, & quamvis decisio, vel auctoritas specialis non haberetur, ex principiis tamen generalibus, vel similibus pro non lucro pro veritate consultus respondendum censui. (E)

Secundò cum in istius contractus formula exciperetur mors violenta, Hinc præfati tractatistæ, præsertim *Castracanus & Zacchia* pluries disputant quæ- 25
stiones de muliere moriente in partu, de occidente se ipsum, de morte sequuta in bello, vel in duello, cum similibus; Occasione autem cujusdam quæstionis habitæ super evictione cessæ commoditatis pensionis vacatæ per mortem ex causa delicti pensionarii cedentis disputavi, An moriēs per manus justitiæ seu carnifi-

(A) *Rotæ dec. 64. Burat. & add. dec. 674. Otthob. dec. 131. & habetur sup. disc. 2. 3. 4.* (B) *in Roman. Societatis officii 13. Martii 1648. coram Bichio quæ reputatur in materia magistralis,* (C) *ut apud Dunoz. dec. 742.* (D) *apud Ottobon. dicta decis. 131. in fin.* (E) *Ut sup. hoc tit disc. 1.*

cis

cis mori dicatur morte naturali, vel violenta, & comperii decisum per Rotam censendum esse mortuum naturaliter, ita ut fieret locus lucro, quamvis verè & de facto occidatur à carnifice, quoniam ita dicitur voluntariè mori, ac occidi à seipso per quamdam speciem quasi contractus, quem delinquens in actu delinquendi facere dicitur cum justitia seu lege, ita ejus pœnis se subjiciendo; Ac etiam quia mortis violentæ exceptuatio introducta est ad tollendum omne votum captandæ mortis, atque ut ita tollatur occasio, ne debitor ex cupiditate lucri insidietur vitæ creditoris vel socii, quæ ratio in hac specie mortis cessat. (F)

26 Tertiò frequenter disputavi, seu ab aliis disputatum vidi, An facta per creditorem cessione societatis alteri, illa vacaret seu dissolveretur per mortem cedentis, vel cessionarii, & verius est, atque ita decisum attendi debere personam cedentis cum quo contractus est substantiatus, nisi accedat formalis novatio cum ipso officiali per quandam implicitam renovationem societatis, ac mutationem periculi vitæ, Ad instar eorum, quæ habemus in jure in materia usus fructus qui per usufructuarium alteri cedatur de consensu proprietarii, ita, & taliter quod mutata censeatur persona. (G)

Quarto, An societas contrahi possit per officialem
27 seu titularem super officio, cujus alter ex legitimo & valido decreto sit relevatarius, vel potius ad istum id pertineat, & juxta hanc secundam partem aliàs substinui, ac est probabilius, quia si hæc societas contrahitur super emolumentis, idcircò id pertinet ad eum qui ex legitimo decreto est illorum dominus. (H)

Quintò Cum certum sit juxta litteralem dispositionem dictarum Apostolicarum Constitutionum, non substineri societates ultrò officii valorem, si casus præbeat plures societates super eo contrahi, quarum singulæ talem valorem non excedunt, longè tamen illum
28 excedunt simul junctæ, dubitari contigit, an omnes substineantur, vel quæ, Et in hoc germana distinctio est, quod aut omnes societates contractæ sunt per eandem personam dantem pecuniam pluribus ac diversis bonam fidem recognoscentibus, & tunc omnes illæ quæ excedunt valorem remanent invalidæ, cum ipse creditor sciat officii incapacitatem, dum societates substantiantur, atq; iniri dicuntur cum officiali, atque ita determinavit Rota licet scribentes pro creditore non acquiescerent ex motivo usus contrarii, qui etiam probatus non est attendendus utpotè redolens potius abusum, & corruptelam, dum cessante officii subjecto necessario, ita remanet mutuum usurarium sub nomine societatis palliatum. (I)

Aut societates super eodem officio initæ sunt per diversas personas cum eodem officiali, ita ut singulæ distinctè, ac de per se consideratæ non excedant, & tunc intrat eadem distinctio, quam passim habemus in materia censuum impositorum super fundo alieno, vel incapaci, quod scilicèt, aut creditor de tempore impositionis id scivit aut ignoravit, Si scivit, actus remanet invalidus, & nulli fructus prætendi possunt, si verò ignoravit, atque bona fide sequutus est fidem officialis explicitè, vel implicitè supponentis officium capax, & tunc non potest substineri societas tamquam societas ex defectu subjecti, ut de censu dicitur, sed benè actus habetur pro valido in odium ita mala fide contrahentis, atque creditori bonæ fidei debentur fructus tamquam damna, & interesse, Remanente solùm aliqua difficultate, ex tempore quo id ad creditoris notitiam devenit, in quo Rota variavit in censibus.

Sextò, Si contrahitur societas super pluribus officiis cum pacto, ut illa super omnibus, & singulis con- 29
tracta censeatur, ita ut uno vacante remaneat super aliis quæ sint totius societatis capacia, scio disputatum in Rota, An ind substineatur, vel potius non obstante conventione societas dissolvatur per mortem unius officialis quoad omnes, ut est de regulari natura societatis, & quantum mihi supponitur, dubium pluries in Rota propositum ob ambiguitatem non fuit resolutum neq; ulteriorem progressum habuit, forsan causa per concordiam finè accepit, memoria tamen nonsuggerit partes, neq; desuper meû judiciû proferre possû cum mihi defuerit occasio talem punctum disputandi.

Septimò, Quandoque disputatum fuit, an officiali, vel recognitore bonæ fidei restituente socio creditori partem pecuniæ in societatem acceptæ, ista dissol- 30
vatur in totum, vel potius firma remaneat, ac perseveret pro rata non soluta; Et cessantibus adminiculis voluntatis recedendi in totum, decisum fuit per Rotam, societatem substineri pro rata quæ remanet debenda, ex ea ratione, quod agitur de materia dividua, in qua tantam affert utilitatem totum respectu totius, quantam pars respectu partis, multò verò magis, ubi talis perseverantis voluntatis indicia concurrerent, illud præsertim solutionis fructuum,

Octavò, Vidi dubitatum, an in hujusmodi societate contrahenda requiratur pecunia numerata, vel illa fieri possit cum mercibus, seu aliis bonis ita valutatis, vel cum alterius societatis fructibus decursis, & non solutis, atque de stricto jure probabilior visa est affirmativa, cum circa fructus, isti non dicantur accessi- 31
ones usurariæ; unde intraret superfœtatio, seu anathocismus, sed sint species fructuum censuum, vel cambiorum, in quibus cessante quoad censûs obstaculo Bullæ *Pii V*, id non prohibetur; (M)

Idemq; quoad creditum ex alia causa, dum solum in censibus per dictam Bullam ita cautum est, Satis tamen circumspectè in hoc procedendum est ex eadem ratione, ob quam in censibus ita cautum fuit, & præsertim ob fraudes, ne tales contractus ineantur cum stocchis, & civantiis, vel cum pecunia debita ex causa ludi, aut ex alia illicita, vel turpi causa.

Nono, Disputavi pluries in materia renovationis, an illa post jam dissictam societatem fieri possit per unum socium altero absente, cujus expressa ratificatio non accedat, sed ipsa desumatur tacitè ex conjecturis, 32
& adminiculis, atque decisum fuit per Rotam requiri acceptationem expressam, non autem sufficere tacitam, vel præsumptam. (N)

Decimò, Disputavi, an fidejussor ejus qui recognovit bonam fidem pulsatus à creditore ad restituendam acceptam pecuniam, possit inscio principali debitore 33
societatè renovare, seu aliâ in ejus damnû contrahere ut ita se eximat à molestiis, & fuit decisû affirmative. (O)

Undecimo, An societas contracta cum defuncto, ex quo plures fuerunt superstites hæredes, renovari possit cum uno, vel aliquibus, aliis ignaris, & ex facti 34
qualitate scio resolutum affirmativè. (P)

Duodecimò, An expresse per dictam, vel tacitè per mortem seu alium casum dissoluta societate, ac non restituta pecunia, debeantur fructus, vel damna 35
& interesse loco fructuum ad eandem rationem; Et tunc, aut agitur de illa societate quam supra dixi obliquam, quia nempè officialis fiducialiter accommodet officium, & societatem contrahat ad commodum vel incommodum tertii recipientis pecuniam,

(F) *Rot. apud Zacch. hoc tract. dec. 54. Castr. can. tr. ca. 29. & habetur in Massicten. pensionis sub tit. de pensionibus.*
(G) *Ut sup. hoc tit. disc. 6.* (H) *ut sup. disc. 8.* (I) *Rot. in Romana societatis off. 20. Iunii 1664. Nimot. & 9. Decembris 1665. Bourlemont. ubi concordantes.* (L) *Ut apud Merlinum decis. 60. repetit. dec. 454. par. 4. recent. tom. 2.* (M) *Sup. disc. 10.* (N) *Ut sup. disc. 9.* (O) *Ut sup. disc. 5.* (P) *Ut sup. disc. 4.*

ac recognoscentis bonam fidem, & certum videatur nihil deberi nisi concurrentibus mora, & aliis debitis requisitis lucri cessantis, vel damni emergentis; Aut verò de societate propria, & directa inita cum officiali cum pecunia sibi directè data ad emendum officium, & tunc tam ex quadam declaratione Papæ in plena Signatura Gratiæ, quàm ex quadam æquitate, aliisq; probabilibus rationibus, ego aliàs dixi, quod iidem fructus debeantur tanquam damna & interesse, licèt durum sit deberi ad eandem rigorosam rationem, dum cessat periculum. (Q)

Ista pro nunc ita currenti calamo suggerit memoria, quæ pro aliquali informatione viri non forensis ad curiositatem requirentis sufficere videntur; Re-
36 liqua verò ubi occasio exigeret exquiri possent à suprà insinuatis auctoribus de materia agentibus, ac etiam ex Rotæ decisionibus, in quibus materia frequenter tractata cernitur.

Illud etiam subjungendo, quod licèt creditor post dissolutam societatem fructus exigere non valeat; 37
Attamen datur etiam casus in quo illos exactos & consumptos restituere, vel imputare non tenetur, quando scilicèt debitor sciens finitam esse societatem sponte solvit fructus creditori ignaro bona fide credenti eam durare, & qui in eodem bonæ fidei statu illos consumpsit, atque ita decisum fuisse in signatura gratiæ. (R) Et meritò quidem ex rationibus in simili ponderatis circa excessivam solutionem cambiorum in sua materia, ac etiam circa solutionem fructuum recompensativorum in materia usuraria. (S)

(Q) *Ut sup. disc. præced.* (R) Testatur *Boccacc. de societ. num. 191. & refert Spad. cons. 248. num. 7. lib. 2.* (S) *Sub tit. de cambiis disc. 28. & sub tit. de usur. disc. 17. & 18.*

# INDEX
## RERVM NOTABILIVM,
### Quæ continentur sub titulo de Societate officii.


A

ABSENTIS.

Omine contracta seu renovata societas requirit illius expressam ratificationem, nec sufficit tacita seu præsumpta, disc. 4. n. 3. d. 9. nu. 3. d. 12. n. 32,

ACCEPTANS.

Litteras cambii non tenetur solvere, si tempore acceptationis, scribens mutaverat statum, inscio acceptante d. 1. n. 7.

ACTUS.

Pro infecto quando habeatur ob præsumptam defícientiam consensus, d. 1, n. 9.

Cum præsuppositio falso gestus corruit d. 1. n. 2.

ADIMPLERE.

Contractum &c. *vide* Implementum.

ANIMUS.

Probatur non minus verbis quàm factis & tam ex præcedentibus quàm ex subsequentibus, d. 1. n. 3.

ASSECURATIO.

Navis jam naufragatæ non tenet, d. 1. n. 9.

C

CASUS.

Promissioni appositus si jam tunc evenerat, facit corruere contractum disc. 1. nu. 9.

CEDENTIS.

Mors dissolvit societatem, d. 6 n. 3. d. 7. n. 2. d. 12. n. 26.

Procurator in rem propriam dicitur esse cessionarius, qui omnia facere potest, quæ per procuratorem geri possunt d. 7. nu. 3.

CENSUS.

Fructus converti possunt in sortem, d. 10. nu. 2.

A Societate officii in quibus differat, discursu 10. nu. 3.

CESSIO.

Societatis an fieri possit socio invito disc. 7. num. 5.

CESSIONARIUS.

Cedentis procurator in rem propriam esse dicitur & potest facere omnia quæ per procuratorem geri possunt, d. 7. n. 3.

Morte sua non dissolvit societatem d. 6. nu. 3. d. 7. n. 2. d. 12. n. 26.

*Lim.* stâte simulatione, & quâdo hoc procedat, d. 7. n. 6.

COMMODITAS.

Emphyteusis & Feudi acquiri potest per ipsum dominum, d. 6. sub n. 4.

Hæreditatis gravatæ acquiri ac possideri potest per fidei commissariũ durante jure gravati, d. 6. sub n. 4.

Pensionis acquiri ac esse potest penes titularem, residente substantia penes alterum, d. 6. sub n. 4.

Societatis esse potest penes unum quamvis substantia sit penes alterum, d. 6. nu. 2.

CONCURSUS.

Personarum plurium incompatibilium admittitur in uno subjecto diversis respectibus, & ubi adest interesse tertii, d. 6. num. 5.

CONSENSUS.

Deficientia præsumpta quando operetur ut actus habeatur pro non facto, d. 1. n. 9,

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ.

De societate officii disponentes recensentur d. 12. n. 10

CONTRACTUS.

In casum qui jam tunc evenerat, si fuerit conceptus, evanescit, d. 1. n. 9.

Cohæredis unius quando teneat etiam respectu alterius cohæredis, casus varii afferuntur, d. 4. n. 4. ad fin.

Implementum &c. *vide* implementum.

Novatio quando inducatur ex observantia solvendi fructus, d. 2. n. 5.

Cum præsuppositio-falso gestus, corruit, disc. 1. nu. 2

Societatis officii fieri dicitur cum ipso officiali, non cum recognoscente bonam fidem. discursu 3. n. 9.

Societatis officii qua occasione fuerit introductus in Curia Romana, d. 12. n. 7.

Assimilatur societati quæ Initur super aliqua negociatione, d. 12. n. 8.

Distinguitur in directum & obliquum, d. 12. n. 11. Obliquus etiam substinetur, & de rationibus, d. 12. n. 13. & seq.

Pecuniam numeratam an requirat vel possit contrahi cum alia re, d. 12. n. 31.


Substi-

Substinetur & aliquæ difficultates seu dubia refelluntur, d.12.n.11.& seq.
*Vide* Societas.
Stipulatum ab initio fuisse dicitur per eum, ad quem contrahens declaravit contractū pertinere, d.5.n.4.
Tempus quando currat de momento ad momentum, d.1.n.8.
Currit de momento ad momentum in societate officii, d.2.n.9.
Et ubi non constat de hora fit computatio in meridie, d.2.n.10.

CREDITOR.

Anterior non præfertur venditori in mercibus venditis etiam sine reservatione hypothecæ, si emens erat decoctioni proximus venditore inscio, d.1.n.8.
Effici an possit qui est officialis, & in præjudicium recognoscentis bonam fidem, d.8 n.4.
Implementum debitori an & quando remittere censeatur recipiendo fructus, d.2.n 3.4.
Remissivè quibus aliis modis probetur, d 3.n.5.6
Restituendus in integrum quando videatur adversus lucrum pecuniæ datæ ad societatem, d.1.n.10.
Societatis sive utilitarius an idem esse possit fidejussor debitoris. d.5.n.5.
An idemmet esse possit societatis debitor, d.6.n.4.
Sortem amittere nullo modo potest, si debitor implementum non præstitit, d.2.n.2.

D

DEBITOR.

Adjecto malè soluit statim ac scit eum mutasse statum, d.1.n.6.
Fidejussorem præstare si promiserit, non videtur hoc attendendū quod ipse est notoriè idoneus, d.3.n.7.
Præstare si promiserit in omnem casum, quomodo sit intelligenda hæc promissio, d.3.n.8.
Præstare non tenetur promissum non ab ipso officiali, sed à fidejussore d.3.nu.9.
Fidejussori non tenetur ad damna sive usuras, sub quibus fidejussor pecunias accepit absque interpellando ipsum debitorem, d.5.n.3.
Implementum contractus non præstans non potest facere lucrum sortis, seu societatis, d.2.n.2.
Ut si non præstitit fidejussorem loco mortui vel absentis, d.3.n.2.
Quando autem tale implementum fidejussoris non præstiti sit excusabile, d.3.n.3.4.
*Lim.* Non tenetur, si fuerit ei remissum, ut receptione fructuum, & quando id procedat, d.2.n.3.d. 3.nu.5.
Et an protestatio seu clausula *sine præjudicio* suffragetur creditori ut receptio fructuum non causet remissionem implementi, d.2.n.4.
Quod fuerit sibi remissum sufficit probare præsumptivè & adminiculativè voluntatem creditoris d.3.sub n 5.
Et quæ sint hujusmodi præsumptiones & adminicula, d.3.n.5.6.
Non præstans quibus casibus non impediatur lucrari sortem, d.3.n.9.
Liberari quidem possit in totum ab uno ex pluribus hæredibus, disc.4.num.4.ad fin.
Lucrari quando non debeat pecuniam datam sibi ad societatem ob restitutionem in integrum creditori competentem, d.1.n.10.
Moram contrahere quando dicatur super non implemento. d.2.n.7.& seqq.
Societatis officii, an idemmet esse possit ejusdem societatis creditor, d.4.n.4.
Voluntarius prætendens indebitum debet perfectè & concludenter probare d.11.num.4.

DEBITUM.

Præsumitur ex solutionibus factis, d.6.sub nu.9.

DECLARATIO.

Contrahentis se contraxisse pro alio facit ut iste à principio contraxisse censeatur d.5.n.4.

DIES.

Computari quomodo debeat in contractibus ac societate officii, & ubi currit de momento ad momentum, d.2.nu.8.& seqq.
Termini an computetur in termino & de modo computandi, d.2.n.6.& seqq.

DOCTORES.

Canonistæ ac Theologi quare sint inter se contrarii in materia usuraria & aliis, d.12.n.2.4.& seq.
Attenduntur potius quàm Theologi in dicta materia usuraria, d.12.n.3.
De societate officii tractantes recensentur, d.12.n. 12.15.23.

DOMINUS.

Emphyteusis ac feudi commoditatem acquirere potest, nec repugnat, d.6.sub nu.4.

IN DUBIO.

Interpretatio ea facienda est, per quam tollatur peccati periculū & animæ saluti consulatur d.3.sub n.8.
Ad lucri exclusionem judicandum est, d.1.num.11.

E

ELIGENDI.

Facultas non expirat nec consumatur per electionem moribundi seu mortui d.1.n.5.

EMPHYTEUSIS.

Commoditas non repugnat acquiri posse per dominum, d.6.sub nu.4.

EXACTIO.

A cohærede facta, quando liberet etiam respectu alterius cohæredis, d.4.num.4.ad fin.

EXCEPTIO.

Fructuum indebitorum, & usurariorum, quando retardet processum executivum, d.11.n.3.

EXECUTIO.

Retardari quando possit &c. *vid.* Process. executivus.

F

FACULTATEM.

Eligendi seu nominandi habens si nominet moribundum, seu mortuum, eam non consumit, sed electio habetur pro non facta d.1.nu.5.

FEUDI.

Commoditas acquiri potest per dominū, d.6.sub n.4.

IN FEUDIS.

Simulatio non attenditur, d.7.nu.7.

FIDEICOMMISSARIUS.

Commoditatem hæreditatis gravatæ acquirere ac possidere potest durante jure gravati, d.6.sub n.4.

FIDEJUSSOR.

Accipere pecunias sub usuris in damnum principalis non potest absque istius speciali interpellatione, d.5.n.3.
Debitoris an idem esse possit creditor sive utilitarius societatis, disc.5.n.5.
In locum mortui vel absentis, si non præstetur à debitore societatis. quando impediatur lucrum sortis. disc.2.num.2.& seqq. disc.3.num.2.3.4.d.12.n.20.
Præstari licèt promissus fuerit à debitore non videtur attendenda promissio, quando ipse debitor est notoriè idoneus, disc.3.num.7.
Si fuerit promissus in omnem casum, quomodo intelligenda sit hæc promissio, disc.3.num.8.
Promissus si fuerit non ab ipso officiali, sed à fidejussore, non obstat non implementum, d.3.n.9.
Societatem renovare vel novam pro prima dissolvenda contrahere in damnum principalis debitoris insciu, quando possit, dis.5.n.2.3.disc.12.n.33.

# INDEX RERUM NOTABIL.


in FORO

Externo Canonistis potius quàm Theologis deferendum est, disc. 12. nu. 3.

Externo ac interno, de quibus diversimodè judicetur, d. 12. nu. 4. 5.

Et quid de Societate officii, disc. 12. num. 6.

FRUCTUS.

Census converti possunt in sortem, disc. 10. num. 2.

Societate officii dissoluta seu dissdicta, amplius non debentur, disc. 4. num. 2.

*Ampl.* etiam stante pacto, ut deberentur, d. 9. n. 2.

Et quando debeantur, distinguitur, d. 11. n. 5. d. 12. n. 35.

Societatis officii habent speciem sortis principalis, d. 10. n. 4.

Decursi an converti possint in sortem, disc. 10. per tot. d. 12. n. 31.

Taxari ab initio permittitur ob incertitudinem, & evitandas lites ac fraudes, dis. 12. num. 9.

Et taxa ad rationem 12. pro centenario, videtur excessiva, ac reducenda, disc. 12. num. 22.

Solvendi observantia &c. *vid.* Observantia.

Usurarii ipso jure extenuant sortem, disc. 11. num. 2.

Usurarii sive indebiti, quando eorum exceptione retardent processum executivum, disc. 11. n. 3.

H

HÆRES.

VNus ex pluribus, quando possit contrahere, exigere seu novare super toto ac liberare, dis. 4. nu. 4. ad fin. disc. 12. num. 34.

I

IGNORANTIA.

MOrtis proprii conjuncti non potest allegari, disc. 3. sub n. 2.

IMPLEMENTUM CONTRACTUS.

Lucrum sortis in societ. off. quando impediat creditori vel non, dis. 12. nu 20. 21.

Moram quando constituat, disc. 2. num. 7. & seq.

Præstare desinens debitor non potest facere lucrum sortis datæ ad societ. disc. 2. num. 2. d. 12. n. 20.

Ut si non præstet fidejussorem loco mortui, vel absentis, disc. 3. num. 2.

Et quando dictum implementum non factum sit excusabile, disc. 3 num. 3.

*Lim.* si ob receptionem fructuum censeatur remissum implementum, & quando id procedat, d. 2. n 3. d. 3 n. 5.

An protestatio seu clausula *sine præjudicio* suffragetur creditori, ut recipiendo fructus non censeatur remittere implementum, d. 2. n. 4.

Præstari non oportet quod fuit promissum non ab officiali, sed à fidejussore, disc. 3. num. 9.

Remissum quando censeatur per creditorem, & quibus modis probetur hujusmodi voluntas creditoris, disc. 2. num. 3. d. 3. num. 5. 6.

INDEBITUM.

Voluntarium non præsumitur & exigit probationem concludentem & perfectam, d. 11. n. 4.

INIMICUS.

*Vid.* Offensor.

INTERPRETATIO.

Facienda in dubio ea est, per quam peccati periculum excludatur, & animæ saluti consulatur, d. 3. sub n. 8.

JUDICIUM.

In foro externo, ac interno, de quibus diversimodè procedat, discur. 12. num. 4. & seq.

Et quid de societate officii, d. 12. n. 6.

L

LITTERÆ CAMBII.

ACceptatæ non obligant ad solutionem si de tempore acceptationis scribens decoxerat inscio acceptante, disc. 1. num. 7.

LUCRUM SORTIS.

Cessare sive excipi, in quibus casibus soleat, d. 1. n. 3. 4.

Excludendum in dubio est, discur. 1. num. 11.

Implemento non præstito per debitorem quando fieri debeat, discur. 12. num. 20. 21.

*Vid.* Implementum contractus.

Per mortem ejus, qui de tempore initæ societatis super ejusdem absentis vita, erat jam constitutus in periculo mortis, an detur, d. 12. n. 24.

Violentam quando sequatur, & quæ mors dicatur violenta vel naturalis seu voluntaria, d. 12. n. 25.

Per restitutionem in integrum creditori competentem, quando impediatur, d. 1. num. 10.

M

MANDATUM.

AD mutationem periculi vitæ in societate off. an requiratur speciale, d. 7. n. 4.

MERCATOR.

Literas cambii acceptans non tenetur solvere, si de tempore acceptationis scribens mutaverat statum inscio acceptante, d. 1. n. 7.

IN MERCIBUS

Venditis emptori proximo decoctioni præfertur creditoribus anterioribus venditor inscius etiam sine reservatione hypothecæ, d. 1. n. 8.

MORA.

Contrahi quando dicatur super non implemento, d. 2. n. 7.

MORIBUNDUS.

Mortuo assimilatur, d. 1. sub n. 4.

MORS.

Cedentis non autem cessionarii facit vacare societatem. d. 6. n. 3. d. 7. n. 2. d. 12. num. 26.

Et quando cessionarii etiam mors idem operetur, disc. 7. num. 6. disc. 12. num. 26.

Conjuncti non præsumitur ignorari, nec hujusmodi ignorantia allegari potest per conjunctũ, d. 3. sub n. 2.

An talis scientia præsumpta præjudicet debitori d. 3. n. 3. 4.

Lucrum sortis an inducat, si sequuta fuerit in eo absente, qui de tempore initæ societatis super ejusdem vita erat jam constitutus in mortis periculo. disc. 12. num. 24.

Socii unius dissolvit societatem, quoad cæteros superstites, nisi appareat de contraria voluntate et iam præsumptiva, d. 6. n. 6.

Nec etiam dissolvit, quando plures socii materiales habentur pro uno formali, ut in societate collegiativa, disc. 6. num. 7.

Non dissolvit societatem vectigalium & de ratione, d. 6. n. 8.

Violenta qualis excepta dicatur in contractu societatis officii, d. 12. n. 25.

Et quare excipiatur, d. 1. n. 4.

MORTUUS.

Electus si fuerit, seu nominatus à facultatem habente, electio seu nominatio pro non facta habetur, & durat facultas, d. 1. num. 5.

Esse censetur, qui in mortis articulo est constitutus, d. 1. n. 4.

Per manus justitiæ dicitur potius naturaliter, ac voluntariè, quàm violenter mortuus, d. 12. sub n. 25.

MUTATIO.

Periculi vitæ fieri an possit per procuratorem generalem, vel requiratur mandatum speciale, disc. 7. n. 4.


NAVIS,

# INDEX RERUM NOTABIL.


N

NAVIS.

ASsecuratio non tenet, si jam tunc naufragaverat, d.1.n.9.

NOMINANDI

Facultas non expirat nec consumatur per nominationem moribundi seu mortui, d.1.n.5.

NULLITAS.

Societatis officii in parte influit in totum, d.4.n.5.

O

OBSERVANTIA.

SOlvendi fructus an & quando innovet contractum vel potius dicatur declarativa, d.12.num.5.

OFFENSOR.

Diligi an possit & simul prosequi juridica vindicta, juxtà diversas opiniones, disc.12.num.5.

OFFICIALIS.

Effici an possit creditor societatis in præjudicium recognoscentis bonam fidem, d.8.n.4.

Societatem si ipse contrahet, quare fieri soleat super ipsius officialis vitæ periculo, d.11.n.6.

super OFFICIIS.

Pluribus contracta societas per vacationem unius, an dissolvatur in totum, disc.12.num.29.

super OFFICIO.

Societates plures quando substineantur excedentes dicti officii valorem, distinguitur, d.12.n.28.

OPINIONES.

Canonistarum, ac Theologorum, quare sint inter se contrariæ in materia usuraria & aliis, d.12.n.2.4 & seq

Attenduntur potius, quàm Theologorum in dicta materia usuraria, disc.12.num.3.

P

PACTUM.

CUrsus fructuum non obstante dissidicta, seu dissolutione societatis non attenditur, d.9.n.2.

PENSIONIS.

Commoditas potest acquiri, ac esse penes titularem residente substantia penes alterum, d.6. sub n.4.

PERICULUM VITÆ.

Mutari an possit per procuratorem generalem, vel requiratur mandatum speciale, d.7.n.4.

Officialium ipsorum quare soleat apponi in contractu societate facto cum iisdem officialibus, d.11.n.6.

Super persona qualibet currere admittitur, d.12.n.17.

Dictaque persona mutari potest, & quomodo ad evitandas fraudes, d.12.n.18.19.

PERSONARUM.

Plurium incompatibilium concursus admittitur in eodem subjecto diversis respectibus, & ubi adest interesse tertii, disc.6.n.5.

PRÆSUPPOSITUM.

Falsum corruere facit actum, seu contractum, d.1.n.2.

PROCESSUS.

Executivus quando retardetur exceptione fructuum indebitorum & usurariorum, d.11.n.3.

PROMISSIO.

In casum facta qui jam tunc evenerat evanescit, d.1.n.9

Fidejussorem præstandi &c. *Vide* Fidejussor.

R

RATIFICATIO.

EXpressa requiritur ad perfectionem societatis officii contractæ, seu renovatæ nomine absentis, d.4.n.3.d.9.n.3.d.12.n.32.

Quibus aliis casibus requiratur, nec sufficiat præsumpta, d.6.n.11.

Societatis officii sufficienter probatur solutione fructuum, d.6.n.10.

RENOVATIO.

Per fidejussorem &c. *Vid.* Fidejussor.

Per hæredem unum ex pluribus, an fieri possit de societate dissoluta per mortem ejus cum quo fuerat inita, d.12.num.34.

Societatis etiam præsumptivè, & adminiculativè probari potest, d.11.n.7.

Nomine absentis requirit expressam ratificationem, non verò tacitam, d.4.n.3.d.9.n.3, d.12. n.32.

RESERVATARIUS OFFICII.

Societatem contrahere potest, disc.18.n.2.d.12.n.27.

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

Creditori quando competat adversus lucrum pecuniæ datæ ad societatem, disc.1.num.10.

S

SCIENTIA.

MOrtis &c. *Vid.* Mors.

Præsumpta non sufficit ubi agitur de gravi præjudicio, d.3. sub n.4.

SCRIPTURÆ.

Privatæ quando cadant sub dispositione *l. Scripturas*, declaratur, d.6.n.9.

SEMESTRUALES TERMINI.

Computari quomodo debeant, d.2.n.6.

SIMULATIO.

In Feudis non attenditur, d.7.n.7.

In societate officii, quando non videatur attendenda, d.7.n.6.7.

SOCIETAS OFFICII ET IN GENERE.

Cedi an possit socio invito, d.7.n.5.

A censu in quibus differat, d.10.n.3.

Contrahi dicitur cum ipso officiali, non autem cum eo, qui bona fide recognovit, d.3.nu 9.

Quomodo debeat per Apostolicas Constitutiones quæ recensentur, d.12.num.10.

Solet duobus modis, d.11.num.5.d.12.n.12.

An possit ita ut idem sit creditor sive utilitarius & fidejussor debitoris, d.5.n.5.

Vel ità, ut idemmet sit debitor, & creditor ejusdem societatis, d.6.n.4.

Dissolvitur pro rata pecuniæ restitutæ, non autem in totam, d.12.n.30.

Dissoluta postquam fuit, non amplius debentur fructus, d.4.n.2.

*Ampl.* non obstante pacto, d.9.num.2.

Sed distinguitur, disc.11.n.5.d.12.num.35.

Distinguitur in societatem officii directam & obliquam, d.12.n.12.

A Doctoribus quibus tractetur, sive agatur de ejus materia, d.12.n.12.15.23.

Esse potest penes unum quoad substantiam & penes alterum quoad utilitatem, d.6.num.2.

A Fidejussore renovari seu nova contrahi pro prima dissolvenda, quando possit in damnum principalis debitoris, & inscii, d.5.n.2.3.d.12.num.33.

In foro interno ac externo, qua differentia judicetur sive accipiatur, d.12.num.6.

Ex fructibus decursis, an possit altera in sorte constitui, d.10. per tot. d.12.n.31.

In fructibus taxari ab initio permittitur ob incertitudinem lucri, & evitandas fraudes ac lites, d.12.n.9.

Et soliti fructus in scut.12. pro centenario videntur excessivi ac reducibiles, disc.12.num.22.

Introducta quomodo fuerit in Curia Romana, d.12. num.7.

Morte unius dissolvitur quoad omnes superstites, nisi appareat de contraria voluntate etiam præsumptiva, disc.6.num.6.

Non dissolvitur, quando plures socii materiales habentur pro uno formali, ut in societate collegiativa, discur.6.num.7.


Nec

Nec dissolvitur inita super vectigalibus, & de ratione, discur. 6. num. 8.
Nomine absentis contracta, seu renovata requirit illius expressam ratificationem, dis. 4. n. 3. d. 9. num. 3. d. 12. n. 32.
Nulla si sit in parte vitiatur in totum, d. 4. n. 5.
Oblique etiam contracta substinetur, & de rationibus, discur. 12. num. 13. & seq.
Cum Officialibus ipsis quare soleat contrahi super ipsorum officialium vitæ periculo, d. 11. n. 6.
Originem quomodo habuerit super officiis Rom. Curiæ, d. 12. n. 8.
Pecuniam numeratam an requirat, ut validè contrahatur, vel suffic at creditū aut quid simile, d. 12. n. 31.
Sub periculo vitæ unius constituta an possit mutari super vita alterius per procuratorem generalem, vel requiratur speciale mandatum, d. 7. n. 4.
Personam quamlibet admittit super qua vitæ periculum currat, disc. 12. num. 17.
Et quomodo mutari possit persona, seu vitæ periculum, ita ut evitentur fraudes consuetæ, disc. 1. num. 18. 19.
Pluribus super officiis contracta, an per vacationem unius dissolvatur in totum, d. 12. n. 29.
Ratificari &c. *Vid.* Ratificatio.
Renovari an possit cum uno ex hæredibus ejus cum quo fuerat inita, & per ejusdem mortem dissoluta, d. 12. n. 34.
Renovata fuisse probatur etiam per præsumptiones, & adminicula, disc. 11. num. 7.
Per reservatarium officii contrahi potest, dis. 8. num. 2. d. 12. n. 27.
Similes sunt inter se, quæ super officiis, & quæ super negotiis contrahitur, d. 12. num. 7.
Simulationem quando videatur admittere non attendendam, d. 7. num. 6. 7.
Substineri ut non possit aliquæ sunt difficultates, quæ refelluntur, d. 12. n. 11. & seq.
Per titularem officii non contrahitur, ubi adest reservatarius, d. 8. n. 3. d. 12. num. 27.
Vacat per mortem cedentis, non autem cessionarii, d. 6. num. 3. d. 7. nu. 2. d. 12. num. 26.
Et quando per mortem etiam cessionarii, disc. 7. num. 6. disc. 12. num. 26.

SOCIETATES OFFICII.

Plures super eodem officio, quando substineantur licet excedentes officii valorem, distinguitur, disc. 12. num. 28.

SOCIO.

Invito an possit cedi societas, disc. 7. num. 5.
Mortuo &c. *Vid.* Mors.

SOLVENS.

Adjecto, quem scit mutasse statum, malè solvit, disc. 1. num. 6.
Cohæredi uni totum debitum, quando liberetur etiam respectu altetius cohæredis, disc. 4. n. 4. ad fin.

SOLUTIONES.

Ex causa debita præsumuntur factæ, disc. 6. num. 9.
Fructuum sufficienter probant ratificationem societatis officii, discur. 6. num. 10.

SOLUTIONUM.

Observantia an & quando innovet conventionem vel potius sit declarativa, dis. 2. n. 5.

SORS SOCIET. OFF.

Constitui an possit nova ex fructibus decursis, seu credito &c. dis. 10. per tot, dis. 12. num. 31.
Extenuatur ipso jure fructibus usurarii, d. 11. n. 2.
Fructus quos affert, habent speciem sortis principalis, disc. 10. num. 4.
Lucrari &c. *Vid.* Lucrum sortis.
Restituta in parte non facit dissolvi societatem in totum, sed pro rata, d. 12. num. 30.

T

TEMPUS.

DE momento ad momentum, quando currat statim post contractum, d. 2. n. 8.
Et ita computari debet in societate officii, d. 2. n. 9.
Ac ubi non constat de hora contractus, fit computatio in meridie, d. 2. n. 10.

TERMINI.

Dies an computetur in termino, & de modo computandi, d. 2. nu. 6.

TEXTUS in

*Leg. scripturas &c.* Declaratur, discur. 6. n. 9.

TITULARIS.

Officii non potest contrahere societatem, ubi adest reservatarius, d. 8. n. 3. d. 12. n. 27.
Pensionis commoditatem acquirere, ac habere potest, residente substantia penes alium, d. 6. sub n. 4.

V

VECTIGALIUM.

SOcietas non dissolvitur morte unius ex sociis, & de ratione, d. 6. n. 8.

VENDITOR.

Mercium etiam sine speciali hypotheca in iis præfertur creditori anteriori, si ignorabat emptorem esse proximum decoctioni, d. 1. n. 8.

VINDICTA.

Fieri juridica an possit, & simul diligi offensor, d. 12. n. 5.

VOLUNTAS.

Probatur non tantùm verbis quàm factis & ex præcedentibus æquè ac subsequentibus, d. 1. num. 3.

USURÆ.

A Canonistis ac Theologis quare diversimodè judicentur, ac tractetur earum materia, d. 13. n. 2.
Et circa eas, Canonistarum potius quàm Theologorum authoritati deferendum est, discur. 12. num. 3.



# DE CAMBIIS

## DISCURSUS I.

## ROMANA CAMBIORUM

PRO

HÆREDITATE PHILIPPI VALENTIS,

CUM

MARCHIONE MARCELLO RAIMVNDO

*Casus disputatus in Rota & decisus ut infrà.*

De cambijs platealibus an valeant, ubi circulata, seù continuata sint de plateis ad plateas absque mixtura nundinarum, & in quo differant à nundinalibus ; Qua occasione agitur de cambiorum origine, introductione, natura & continuatione.

Et quatenus cambia, præsertim platealia sint excessiva, redolentia magnum damnum debitoris, & respectivè lucrum creditoris, An ex hoc remaneant invalida & usuraria vel potius sit locus eorum reductioni, seu moderationi.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Decisiones causæ.*
3 *De punctis seù inspectionibus disputatis.*
4 *De impugnatione cambiorum platealium, eorumque differentia à nundinalibus.*
5 *Quod constitutio Pij V. pariformiter tractet platealia, & nundinalia.*
6 *Quod platealia sint magis licita, quàm nundinalia.*
7 *De origine & introductione cambiorum platealium.*
8 *Nundinæ cambiatoriæ in Italia quando introductæ sint.*
9 *De Doctoribus antiquis loquentibus de cambio locali, seù plateali.*
10 *Cambium plateale magis necessarium est, quàm nundinale.*
11 *De realitate concurrente tam in platealibus, quam in nundinalibus, & de scutis marcarum.*
12 *De causa introductionis cambij per nundinas.*
13 *Continuatio, seù circulatio ita prohibita est in platealibus, ac nundinalibus.*
14 *Quomodo intelligatur hæc prohibitio, & quæ dicatur continuatio prohibita.*
15 *De recursa an sit prohibita & quando.*
16 *De ratione discrepantiæ inter juristas & forenses, ac Theologos seù Morales.*
17 *Quando cambium plateale sit suspectum de usura, & de cambijs regularibus & irregularibus.*
18 *In bilancijs nundinarum non adnotantur cambia cum se ipso.*
19 *An possibilis, seù facilis suppositio spacciorum cum antidatis reddat illicita cambia platealia.*
20 *Ubi interfuria, seù usuræ sunt nimium excessiva, actus redditur in totum usurarius & nullus.*
21 *De Decisione Sac. Consilii Neapolitani super invaliditate cambiorum platealium.*



22 *Quando dicatur adesse magnus excessus importans læsionem enormissimam.*
23 *Quod in cambijs regularibus non intrent termini læsionis & excessus, & respondetur ad dictam decisionem Sac. Consilij Neapolitani.*
24 *Quando contractus tractu temporis, vel ex alio accidenti efficitur nimium injustus & iniquus reducendus est ad justitiam & æquitatem.*
25 *Mandatarius adhibere debet bonam fidem pro mandante, & quam culpam præstet.*
26 *Declaratur ut non procedat in mandatario in rem propriam.*
27 *In actibus spectatur initium, non quod casus deindè præbuerit.*

### DISCURSUS I.

SEQUESTRATIS ad instantiam creditorum 1
Pauli & Nicolai de Monaldensibus per Congregationem Baronum in vim *constit. 41. Clementis VIII.*, ac expositis venalibus castris, Montis Calvelli, Alviani, Attigliani & Podij juxtà seriem, de qua *sub titulo de feudis ad materiam Bullæ Baronum discursu 77. cum pluribus seq.*, eisque licitatis per Marchionem Marcellum Raimundum pro pretio æstimando ad rationem fructuum; Cum ad ejusdem Bullæ præscriptum, licitator exhibere deberet cedulam bancariam alicujus probati in Urbe mercatoris; Hinc illam obtinuit à Philippo Valente in summa scutorum 230.m sub conventione mercedis taxatæ in annuis scutis 500., Verùm opponentibus creditoribus de præfatæ cedulæ insufficientia ob prætensum castrorum valorem in longe majori summa, aliam Philippus concepit cedulam indefinitam pro toto pretio, quod à perito declaratum fuit scutorum 353. m., nulla in hac secunda facta conventione, vel taxa mercedis, & cum consueto pacto in utraque adjecto, ut in eventum in quem campsor cogeretur aliquam summam solvere, posset eam absq; aliqua interpellatione à quibuscumque,

etiam à seipso accipere ad cambium & recambium per quascumque nundinas, plateas, & mundi partes, atque ita continuare usque ad effectivam solutionem. Cum autem illinc ad breve tempus emptor prædictus ob quoddam prætensum delictum bannum capitale passus esset, unde campsor quasdam pecuniarum summas in vim cedulæ solvere coactus fuit, Hinc in vim dicti pacti eas posuit sub cambijs cum seipso ejusque ratione bancatia, prius inter Urbem & Civitatem Neapolis, deindè verò ob superventa impedimenta revolutionum popularium, inter Urbem & Civitatem Venetiarum, cum qua multorum annorum spatio continuatum fuit; Cumque ad plures annos ad instantiam creditorum ejusdem emptoris per eamdem Congregationem Baronum castra prædicta ad formam dictæ Bullæ vendita fuissent, atque in pretio depositato efformatus esset creditorum concursus, inter quos fuit hæreditas præfati Philippi interim defuncti pro dictis summis solutis unà cum cambiis & recambijs magnam summam constituentibus; Opponentibus alijs creditoribus de dictorum cambiorum invaliditate, vel excessu, Congregatio Baronum, juxta ejus summarium modum procedendi provisionaliter, & absque partium præjudicio decrevit deliberari Valenti summas debitas ad rationem cambiorum nundinalium; Verùm huic provisionali decreto non acquiescentibus alijs creditoribus, eisque, ac etiam ipso Marchione Raimundo interim in gratiam restituto, Signaturam gratiæ adeuntibus, commissa fuit causa appellationis *in Rota coram Verospio* cum clausula translativa, *si quid exequendum*, undè assumpta disputatione dubij ex eodem relatori pro resultantis, 2 *An mandatum esset exequendum*, illoque proposito sub die 14. *Junij* 1660., resolutum fuit affirmativè, dictaque resolutio confirmata 10. *Martij*, & 14. *Decembris* 1661. & 28. *Januarij* 1664., in quibus posterioribus decisionibus, habita acerrima disputatione, an cambia platealia valeant & debeantur, pro validitate judicatum fuit, cum eorum moderatione, seù reductione ad limites nundinalium, ita tamen, quod debitor solvere deberet pecuniam liberam, sin minus supplere id, quod importaret vinculi æstimatio, unde propterea valutatis locis montium habitis, in quæ pretium castrorum investitum erat, ob consuetum vinculum eis adjectum, ad rationem scut 60 pro quolibet relaxatum fuit mandatum pro summis debitis; Verùm neque dicto Raimundo acquiescente, denuoque adeunte eamdem Signaturam gratiæ, per istam iterum rescriptum fuit de appellatione *in Rota coram Priolo* cum eadem clausula, *si quid exequendum*; Atque proposito dubio sub die 11. *Januarij* 1669., ob difficultates habitas super validitate prioris mandati relaxati *per Verospium*, ex eo quod in actis producta non essent aliqua spaccia, ex integro responsum fuit mandatum esse relaxandum pro ea residuali summa, quam cambia importarent, approbando in omnibus præcedentes resolutiones, tam circà validitatem cambiorum platealium, quàm circa eorum moderationes ad limites nundinalium, dilata resolutione circà aliam crediti partitam resultantem à diminutione pretij locorum montium habitorum ratione vinculi, ob difficultates desuper habitas, dictaque resolutio confirmata fuit *sub die* 17. *Junij* 1669. *coram Bourlemon. subrogato*, & in hoc statu causa reperitur.

In hujusmodi igitur multiplicibus disputationibus habitis in Congregatione Baronum, in signatura gratiæ, & in Rota, plures fuerunt puncti, seù articuli tractari; Primò nempè & principaliter, 3 super validâ, & invalidâ continuatione, seù circulatione cambiorum per solas plateas absque mixtura nundinarum. Secundò, quatenus generaliter & in abstracto valida essent, stante quod detegerentur valdè excessiva, itaut in aliquibus annis, juxta debitoris prætensionem, importarent scuta circiter 40. pro centenario, juxta assertionem autem creditoris, facta annorum peræquatione, importarent pro toto tempore ad rationem 19. pro centenario, vel parùm plus, An ob dictum magnum excessum remanerent invalida & usuraria, vel potius locus esset dictæ moderationi; Tertiò, an potuisset campsor pro pecuniis solutis in vim cedulæ ad formam pacti ponere debitorem sub cambijs absque interpellatione; Quartò, an dictum mandatum, seu facultas cambiandi expirasset, per mortem naturalem creditoris, vel per mortem civilem debitoris ex banno capitali resultantem; Quintò circa eorumdem cambiorum defectum, ex eo quod corresponsalis non esset publicus bancherius, neque tractarum implementum sequutum esset per bancum publicum; Sextò, circa libertatem pecuniæ, & an à summa debita & respectivè soluta in locis montium vinculatis, deducendum esset id quod vinculum minuit de valore, & de alijs; De primo autem, & secundo puncto utpotè principalioribus agitur in hoc discursu, de reliquis verò *d. se.*

Quatenus igitur pertinet ad primum, super validitate cambiorum platealium, eorumque continuatione, seù circulatione per solas plateas absque mixtura nundinarum; Scribentes pro Raimundo debitore, inter quos ex juristis erat idem *Turre*, adhuc vivens auctor tractatus *de cambijs*, pro majori autem parte erant Theologi, seù invaliditate magnum fundamentum constituebant in auctoritate ejusdem *Turre in adnotationibus ad decisionem* 4 *trigesimam tertiam Rotæ insertam post dictum ejus tractatum*, ubi advertitur, continuationem cambiorum rectè pari posse, vel de nundinis ad nundinas, vel de nundinis ad plateas, & econtrà, non autem per solas plateas absque mixtura nundinarum, atque in hac auctoritate insistebant juristæ; Theologi autem ulterius progrediendo, ponderabant plura inconvenientia, quæ in hujusmodi cambijs platealibus dari possunt. Primò scilicet, quod ita pro libito callidi fœneratoris vicies, ac tricies in anno & ultra cambiari posset cum ingenti lucro creditoris, & respectivè damno debitoris, quod in nundinis non procedit, cum sit præfinitus numerus quatuor nundinarum pro quolibet anno; Secundò circa fraudes, quæ fieri possunt in pretio, seù valore cambiorum, ac etiam in confixione & falsitate spacciorum, quorum neutrum sequi potest in nundinis, ubi pretia uniformia à publico foro taxantur, ac etiam per publicos Consules, seù officiales adnotantur omnes tractæ, omniaque spaccia in eo singularum nundinarum calculo, qui inter negotiatores dicitur *bilancio di fiera*. Et tertiò quod in sensu ferè omnium moralium, ac etiam ex juristis *Merendæ & Leotardi*, cambia per plateas substineri debent pro prima vice, reliquæ autem successivè continuationes seù circulationes continent merũ figmentum, ac pallium usurarum, dum creditores sunt certi de inani litterarum redditu, ac tractarum non implemento, ideoque totum est figmentum, & nudum pallium absque realitate pro essentiali requisito desiderata per *Const.* 118. *Pij V.* quæ est materiæ cambiatoriæ norma & magistra, atque super his longissimas informationes, ac penè volumina retexebant, in ultimis præsertim

binis

binis disputationibus habitis in Signatura gratiæ, nimium pungendo Rotæ decisiones super hujusmodi cambiorum validitate ut supra editas *coràm Verospio.*

Scribens pro creditore, reflectendo etiam solam veritatem, atque istius sensu retento, dicebam figmentum potius consistere in hujusmodi prætensa invaliditate cambiorum platealium, dum ijdem scribentes, præsuppositæ existentia litterarum, seù spacciorum, quæ ad formam dictæ Pianæ constitutionis in utraque cambiorum specie omninò necessaria est, admittebant validam continuationem, seù circulationem nundinalium, cum posita istorum validitate, nulla penitùs subesse videretur ratio, cur una species valida, & altera invalida censenda esset.

Ad quod probandum, ultrà auctoritates à me ac alijs pro hac parte scribentibus deductas, & relatas in eisdem decisionibus Rotalibus, ponderabam eamdem Pianam constitutionem pariformiter & absque aliqua differentia disponere de nundinis, ac plateis, Quinimò expresè supponere adesse regiones, seù provincias & loca, in quibus nullæ celebrentur nundinæ, undè cambia per solas plateas, seù loca exerceri contingat, ut in §. 2. ibii, *neque realia cambia aliàs quàm pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, ubi verò non celebrantur, pro primis terminis &c. abusu illo rejecto cambia pro secundis & deinceps nundinis sivè terminis exercendi,* & sic alternativè loquitur de nundinis & plateis eodem themate retento absque aliqua prorsus differentia, undè cum habeamus legem hujusmodi cambiorum species indefinitè exæquantem, non videtur cuinam fundamento hujusmodi excogitata differentia innixa sit,

Præterea magis ab alto materiam reassumendo, dicebam quod in concursu hujusmodi specierum, magis valida & canonica reputanda sunt platealia, quàm nundinalia, itaùt de istis potius quàm de illis dubitandi occasio supersit, cum tam inspecta antiquitate, seù origine, quam etiam Reipublicæ & commercij necessitate, vel commoditate, ac etiam actus realitate, minorique alienatione à fictionibus & mendacijs, absque dubio potior sit conditio platealium, quàm nundinalium.

Attenta siquidem antiquitate, seù origine & introductione, adhuc sub judice lis est, an hujusmodi cambia localia per litteras de Civitate ad Civitatem, vel de provincia ad provinciam, cognita & usitata essent temporibus Romanorum, eorumque imperio in his præsertim occidentalibus partibus durante, Aliquibus affirmantibus, Aliis verò magis comuniter negantibus, istumq; cambiorum usum referentibus commercij necessitati post scissum in Italia, alijsque partibus occidentalibus dictum Romanum Imperium, quando ob tot barbarorum incursiones, pluriumque dominiorum diversitates practicabilis non erat transmissio pecuniarum de loco ad locum, minusq; communicatio mercium & victualium, Tum ob nimiam monetarum diversitatem, tum etiam ob pericula evidentia in itinere ut advertit idem *Turre d. ejus tract de cambijs disput. 1. q. 4. n. 20 cum seq*; Et sic ista introductio fuit antiqua per plura sæcula priusquam, præsertim in Italia, haberetur usus hujusmodi nundinarum cambiatoriarum, quas hodie in Italia habemus introductus per Januenses de anno 1517. ex testimonio ejusdem *Turre ubi supra nu.* 40, dum de dicto cambio litterario & locali, cum certo præsuppositio validitatis loquuntur *Bald. in l. 2. Co. de usuris rei judicata nu. 2. & in l. 3. Cod. de exercit. action. & in rubr. Cod. de constituta pecunia num. 1.*, ubi de cambio à Civitate Perusii ad illam Neapolis de quo etiam *Petrus de Ubaldis in tract. de duobus fratribus p. 5. nu. 34*, *Calderin. cons. 11 de usuris*, ubi de cambio à Civitate Januæ ad illam Alexandriæ *Laurent. de Rodulphis in cap. consuluit par. 2. q. 26. nu. 8. & par. 3. nu. 1. inter tract. magnos to. 7 fol. 22. à ter. & 37.* ubi de cambio inter Venetias & Florentiam, *Antonius de Rosellis de usuris nu.* 60. ubi de cambio à Venetijs ad Flandriam & Angliam *d. to. 7. fol. 68. à ter. Hieronym. Lucen. de cambijs vers. sequitur alius terminus* il secondo *nu. 7. & seq. inter dictos tractat tom. 6. fol. 409. at.*, ubi *n.* 20. exemplificat à Civitate Luccæ ad illam Venetiarum, & *nu.* 24. exemplificat à Mediolano ad Lugdunum, & generaliter de hujusmodi cambijs localibus, priusquam in Italia dictus usus platealium introduceretur *Roman. cons. 94. nu 1. & cons. 114. nu. 4. &* melius *cons. 238. nu 6. & 9. Alex. cons 61 nu. 13. lib 2. Decius cons. 562. in princ Salicet in auth. ad hæc nu. 10. in princ. q 11. C. de usuris Jas. in l. cunctos populos Cod de summa Trinitate in prima lectur. num. 64. & in 2. lectura nu. 39 Joannes de Anania in cap. fin. de usuris nu. 46.*, & cæteri, qui scripserunt ante dictam introductionem nundinaliu m per plura sæcula, ac etiam ante editionem Constitutionis Pianæ, & post eam omnes pariformiter loquuntur indefinitè de utraque specie præsertim *Scacc. hoc tract § 1. q. 7. par. 1. num. 41. cum seq. Gait. de credito cap. 2. tit. 7. num. 1305. cum seq. Rota d dec. 53. post Turr. & cæteri.*

Igitur ex præmissis patet, inspecta origine & antiquitate, usum platealium magis habitum fuisse; Idemque inspecta necessitate commercij, quod necessarium est inter Civitates & provincias ob communicationem mercium & victualium, nulla verò necessitas ita præcisa urget, ut habeantur hujusmodi nundinæ pro cambiorum usu principaliter introductæ, & sine quibus Italia vixit per tot antecedentia sæcula, in quibus solum habitus fuit usus illarum nundinarum, quas vulgò *mercatos* dicimus, & de quibus habetur actum *sub tit de Regalibus*, non autem hujusmodi nundinarum cambiatoriarum, cùm apud antiquiores, aliqua solùm rara mentio habeatur illorum cambiorum, quæ fieri solebant per nundinas Lugduni & Bisunti.

Accedit etiam major realitas, quoniam cambia platealia exercentur mediantibus scutis auri veris, cum quibus tanquam moneta ubique expendibili, atque habente ubique pretium ferè uniforme, tanquam per æquivalentiam commutantur diversæ monetæ unius provinciæ, seù principatus cum illis alterius; & sic cum realitate, ac absque aliqua fictione; Secus autem in nundinalibus, quæ exercentur mediante quadam moneta immaginaria nuncupata *scutorum marcarum* forsan usitata in dictis nundinis antiquioribus Lugduni & Bisunti, dum hunc terminum scutorum marcarum inter antiquiores invenio solùm apud *Hieronymum Lucensem loco suprà citato inter tract. magnos modernos tom. 6. fol 409. à tergo*, undè intrat fictio continens mendacium, quamvis non peccaminosum, quod scilicet monetam regionis convertere prius oportet in scutos auri nuncupatos *stamparum*, qui currunt in cambijs platealibus, ac deindè isti convertuntur in scutos marcarum, non existentes in rerum natura, igitur prorsus vanum est dicere, quod magis licitus censeri debeat actus continens figmentum, ac majorem circuitum, quàm actus qui sine aliqua fictione exercetur per veritatem.

Scribentes in contrarium, tam Juristæ, quàm Theologi, agnoscentes præmissa nimium ad evidentiam convincere, replicabant infectionem cambiorum platealium non esse generaliter & indefinitè intelligendam, cum primum cambium, quod ita realiter per litteras fiat ad effectum transportandi in monetam de loco ad locum, sit absque dubio licitum & necessarium, sed dicebant infectionem consistere in continuatione, seù circulatione continente nudum figmentum; Verùm hæc videbatur replicatio omni fundamento destituta, quoniam eadem ratio adamussim absque immaginabili differentia urget in altero cambio nundinali, dum juxta ejus originem, seù introductionem cambium litterarium per nundinas, tàm ratione diversitatis monetarum, quàm ratione periculi, 12 verè & realiter introductum fuit pro prima vice ad effectum habendi pecuniam numeratam in nundinis pro emendis ibi mercibus, vel animalibus, ista verò continuatio, seù circulatio introducta 13 ex causa negociationis, ita continet figmentum in una specie, ac in altera, absque aliqua differentia; Hinc proindè pariformiter per dictam Pianam Constitutionem in una, vel altera specie continuatio prohibita fuit, & cum eodem præsuppositio indefinitæ prohibitionis continuationis in utraque specie procedunt omnes juristæ & Morales, ideoque hæc differentia nullum habet fundamentum, quoniam, vel utrumque cambium debet esse infectum, vel utrumque validum.

Æquivocum autem, in quod inciderunt aliqui scribentes; qui subjectæ materiæ peritiam non habentes, solùmque transcribendo antiquiores, 14 damnant hujusmodi continuationes, seù circulationes, illas vocantes mera figmenta ad fraudandas usuras, consistit in eo, quod terminum continuationis accipiunt de facto, non autem de jure, quod scilicet de una platea ad alteram, vel de una feria ad alteram eadem pecunia per plures annos sub cambijs giret; Verùm hoc est æquivocum clarum benè tamen dilucidatum per *Rot. dec. 304. n 3. p. 4. rec. & in Romana pecuniaria, seu cambiorum 10. Junij 1616. coram Sacrato impreß. post Spadam conf. 267. l. 2 n. 28. & se.* & demum moderniori tempore *in Romana, seu Januen. cambij 26. Junij 1652. coram Bichio dec. 290. n. 7. & 8. par. 11. rec.* cum quibus proceditur in hujus causæ decisionibus, præsertim in illa 10. *Martij 1662. coram Verospio*, & *in altera 11. Januarij 1669. Priolo*, quod scilicet continuatio, quæ in verbis prohibita est per dictam Pianam constitutionem, est illa, quæ sequatur ex necessitate conventionis, quia nempè debitor volens, admitti non possit ad solvendum debitum, seù ad implendam tractam in primis nundinis, sivè primis terminis, sed cogatur invitus continuare per nundinas, vel terminos sequentes; Secus autem ista libertate accedente, quoniam tunc impletur illud primum cambium, illaque tracta habet suum effectum à corresponsali, cum illo termino qui dicitur *recursæ*; Deindè verò pro reimbursatione formatur recambium, quod dicitur cambium omninò novum, & ex integro, itaut quidquid sit in foro interno, & quoad intentionem, de qua ad solum Deum inspicere pertinet; Quatenus concernit forum externum!, tot censeantur novi contractus, novaque cambia ex integro, quot sunt nundinæ, seù termini.

Atque si attendere volumus in verbis DD. hujusmodi circulationes damnantes tanquam mera figmenta, ut sunt præsertim *Justinianus de cambijs quæst.* 4. latè *Merenda in ejus tractatu de cambio nundinali, & Leotar* cum eo procedens *q. 26. & in appendice ad quæst.* 89. *in fine operis post quæst.* 100., pariformiter loquuntur de plateali, ac nundinali, quinimò istud magis percutiunt, sed reverà est æquivocum, in quod de facili incurrunt scholastici ac alij, qui cum sola lectura librorum absque peritia fori & negotiorum in magnis Civitatibus & emporiis de his materiis tractant.

Occasione autem hujus replicationis, ijdem scribentes in contrarium, præsertim Morales divagabantur circà prohibitam recursam, cum qua creatur recambium juxta sensum *Soti de justitia & jure lib. 6. q. 10. art. 1. Comitul lib. 3. moral. q. 15 Duard. de cambijs* §. 1 *q. 42 num. 35. Leotar. d. q. 26. num. 1. cum seq.*, Sed de ista opinione *Soti* dubitavit *Navarra conf. 31. lib. 5. de usuris*, cujus opinio magis recepta est, ubi præsertim agitur de cambijs cum seipso, ut per *Scacc. de cambijs q. 6. glos 1. n. 4. & seq. Gait. de credito ca. 2 sit. 7. num. 1393. cum seq.*, & his adhærere videtur *Rota apud Merlin. dec. 636. num.* 1.; Sivè recipienda est distinctio tradita per *Lugo de just. & jur. tom. 2. disput. 28. section. 7. à nu.* 87., cum quo pertransit *Giballin de usuris lib. 5. cap. 1. art. 9. §. 2. ad finem*; Quod scilicet aut corresponsalis habet proprias, vel alienas pecunias etiam ejusdem campsoris promptas, ex quibus litterarum implementum, saltem virtualiter sequi possit, & tunc cambia subsistineantur, Aut nullas habet, itaut certum sit litteras impleri non posse, easque omninò vacuas reddituras esse, & tunc secus, quam distinctionem admittere etiam videtur *Duard. d. §. 1. q. 40. à nu. 21. ad 38.*; Et de licita recursa, ubi præsertim agitur de cambio cum seipso, benè etiam habetur *in d. Romana, seu Januen. cambij 27. Novembris 1651. & 18. Martij 1652. coram Bichio* cum alijs in dictis hujus causæ decisionibus, præsertim illa 10. *Martij 1662. Verospio.*

Tota verò dubitatio in hoc consistit circà forum internum regulandum ex intentione creditoris, & an sciret ab initio impossibilitatem implementi, de quo in foro externo videndum non est, 16 quoniam Ecclesia non judicat de internis; Atque ex hoc resultant discrepantiæ, quæ habentur inter Morales & Juristas; utpote procedentes cum principijs omninò diversis. Et nihilominùs si quæ difficultas desuper cadit, illa pariformiter percutit utramque speciem platealium & nundinalium, & sic dicta inspectio extranea erat à puncto controversiæ, in qua præsupposita validitate continuationis, seù circulationis nundinalium, cadebat solùm dubitatio circa platealia, an scilicet eodem jure censenda essent.

Unica igitur probabilis ratio dubitandi de validitate platealium magis quàm nundinalium, consistit in superius insinuato periculo usurarum resultante à multiplicatione cambiorum & recambiorum ejusdem pecuniæ in eodem anno, ac etiam 17 ab usura, quæ inesse potest circa majus, vel minus cambij pretium ratione temporis, seù majoris, vel minoris termini ad implendam tractam, quasi quod tunc ita fieret majus creditoris lucrum ob usum pecuniæ ratione dilationis, in quo propriè consistit usura, ita occultando mutuum interpretativum.

Istam difficultatem benè excitavit doctus jurista *Lupus* in ejus mercantili patria Florentina benè in his materijs versatus *in cap. naviganti de usuris commentar 3. §. 2. nu. 72. in illis ultimæ impressionis anni* 1611. aliàs *num. 30. in illis primæ impressionis particularis, ac etiam inter tractatus magnos*, Unde propterea idem *num. 75.* monet & laudat, ut

etiam

etiam in plateis ad hujusmodi suspicionem; vel periculum tollendum taxarentur pretia uniformia, eodem modo, quo in mundinalibus; Verùm hæc difficultas hodie militare potest in illis cambijs, quæ creantur per Civitates & loca parva, quæ inter negotiatores non veniunt sub nomine platearum quia nempè non sint emporia & loca mercantilia habentia formalem forum mercatorum, à quo singulis hebdomadis taxentur pretia auri, seù aggij, atque uniformis cambiorum, seù negotiorum regula statuatur cum uniformi usu terminorum, ità ut, tam pretium cambij, seù aggij, quàm tempus ad implendam tractam pendeant à partium conventionibus, in quibus dari potest circumventio resultans à calliditate fœneratoris & à suffocatione indigentis debitoris, & successivè intrare potest usura, & quam speciem cambiorum meritò idem *Turre* appellat irregularium, dum ita nullam habent uniformem & determinatam regulam; Dicta verò difficultas non intrabat in hac facti specie, in qua agebatur de cambijs exercitis inter magnas Civitates mercantiles, ac primaria emporia, sub platearum nomine venientia, in quibus singulis hebdomadis taxatur pretium auri, seu aggij à foro mercatorum cum listis etiam impressis, ac etiam terminus, accessus, recessus, & usus post acceptationem, est uniformis & generalis, unde propterea conventio partium nihil operatur, nullamque alterationem inducit, ita ut idem sit lucrum & respectivè damnum verisimi negotiatoris, ac inexpertæ mulierculæ, aut rustici, vel infantis; Et sic ad praxim redacta est illa cautela, quam tradit *Lupus ubi supra*, & consequenter dicta ratio dubitandi est vera, sed manifestum erat æquivocum in applicatione ad casum, quia prorsus vanum est dubitare de validitate in genere, ideoque adnotatio *Turre ad decis. 33. post ejus tractat.* remanet sine fundamento.

Ad diversitates autem inter unam, & alteram cambiorum speciem consideratas per scribentes in contrarium ut supra, benè *Rota in dec. 11. Jan.* 18 1669. *Priolo* reassumit responsiones quas dabamus Ego & cæteri pro hac parte scribentes, quod scilicet in ordine ad facilem suppositionem spacciorum, quæ sequi potest per plateas, & non per nundinas, id non procedat in cambiis, quæ girantur cum se ipso in quibus neque in nundinis illa adnotantur in bilanciis in quibus solùm adnotantur tractæ effectivæ, quæ ibi impleri debent, juxta attestationes mercatorum & negotiantium ferè omnium platearum Italiæ; Et ulterius antidatæ, & suppositiones in dubio non sunt præsupponendæ, potissimè in notoriæ, & probatæ fidei ne- 19 gotiatoribus, & campsoribus tenentibus libros fideles, & benè regulatos juxta temporum distinctiones, ut de his omnibus, tam per ocularem inspectionem, quàm ex peritorum relationibus Rota certificari voluit, Nullibi enim cautum est in jure, ut sola delicti possibilitas, seù major facilitas reddere debeat actum illicitum, & intrinsecè malum, quoniam etiam in testamentis, instrumentis, cedulis, & apocis, alijsque scripturis eadem possibilitas adest, unde major, vel minor facilitas præbet quidem causam sufficientem Superioribus ad congruas provisiones desuper capiendas, sed hæc sola potentia, donec provideatur, non irritat actum.

Et quoad circumventiones, atque indigentis debitoris suffocationes, aliaque inconvenientia in una, & non in altera specie ponderata, jam suprà responsum est, ac advertitur in decisionibus, præsertim in illa *coram Priolo*, quod scilicet omnes hujusmodi difficultates hodie sublatæ sunt ob pretiorum, ac terminorum uniformem, & generalem determinationem in plateis mercantilibus introductam, undè propterea factum partium nihil operatur, Et consequenter pro meo judicio tot tantaque Jurisconsultorum responsa, & Theologorum vota super hoc puncto edita, plura volumina constituentia, prorsus inanem laborem, magnamque æquivocorum congeriem continere videbantur.

Alicujus majoris probabilitatis erat altera oppositio, seù inspectio excessivitatis, quam pro meliori methodo subdistinguebam in tres alias inspectiones, Unam scilicet in genere, an dato cambiorum magno excessu, exindè resultet actus vitiatio in totum, itaut nulla cambia debeantur; Secundò pariter in genere, an posito excessu sit locus reductioni, seù moderationi de justitia vel potius ex quadam non scripta æquitate, quod satis refert ad effectum libertatis pecuniarum, de quo *discursu sequenti*; Et tertiò quid in hac specie; in qua creditor constitutus erat debitoris mandatarius ad cambiandum, tàm per nundinas, quam per plateas, àn saltem ratione mandati malè administrati diceretur in dolo, cujus exceptione repelli posset.

Quoad primum, scribentes in contrarium mordicus insistebant in assumpto, quod ubi excessus usurarum est magnus ac intolerabilis, reddit contractum illicitum & usurarium, & sic illum vitiat in totum, deducendo in terminis specialibus cam- 20 biorum superius allegatam auctoritatem *Lupi in cap Naviganti de usuris commentar 3. §. 2. num. 72 & Turre dissue. 3. quæst. 1 num. 20.*, & generaliter ea, quæ tam in censibus, quàm in alijs conventionibus habentur deducta per *Mastrill. decis. 245 num 47. cum sequen Staiban junior. resol. 64. num. 20. & sequen. Cenc. de cens. quæst. 47. num. 2.*; Cumulando etiam ea, quæ cæteris allegatis, habentur apud *Fontanell. dec 64. cum sequen*, & *per Rotam in Romana transactionis 19. Aprilis, & 28. Junij 1660. coram Verospio* in proposito emptionis, & venditionis, ut in casu magni excessus intret nullitas actus ab initio cum restitutione fructuum aliisque effectibus resultantibus à nullitate, qui non resultarent à rescissione ratione ordinariæ læsionis enormis, *ut in sua materia sub tit. de empt. & vend.*

Atque ad hæc in specie comprobanda adducebant decisionem Sac. Consilij Neapolitani relatam 21 per *Molphes. in summa tract 12. cap. 7. num.* 100 *cum sequen. & Duard. de cambijs* §. 2. 9. 9., per quam ratione magni excessus declarata fuerunt invalida cambia girata inter Civitates Neapolis, Barij & Litij, solumque creditori adjudicatum fuit quoddam moderatum lucrum, potius tanquam interesse lucri cessantis, quod ibi etiam sine requisitis *Castrensis in leg. 3. ff. de eo quod certo loco*, utpote notorijs decerni solet, quàm ratione cambiorum, atque super hoc objecto magnus rumor fiebat.

Verùm cum sensu etiam veritatis, dicebam illud esse levissimum, nulliusque momenti; Tum quia etiam si versaremur in casu, in quo intrarent dicti termini læsionis cum distinctione enormis vel ænormissimæ, adhuc cessabat applicatio, dum ad effectum, ut læsio dicatur ænormissima, producens dictos effectus ratione doli præsumpti, illa requiritur in magno excessu, super quo, an & quando 22 adesse dicatur, nimis variant DD. ex ijs, quæ habentur plenè deducta per *Castill. lib. 7. controv.*

*c.83.& sequen.* Atque opinio alleganti læsionem favorabilior, ac benignior est illa, quæ firmatur apud *Fontanell. ubi supra*, & quam sequuta est *Rota in dicta Romana transactionis coràm Verospio*, ut scilicèt læsio sit ultrà bessem; Qua etiam opinione admissa, cessabat applicatio, dum constabat cambia nundinalia, facta peræquatione, importare dimidium eius, quod importarent hæc platealia, & consequenter intrabat læsio ordinaria, quam ænormem dicimus juxtà terminos *textus in leg. 2. Cod. de rescind. vendit. cap. 2. & 3 de emptione & venditione*, ex qua non resultat dictus effectus nullitatis, sed solum alter rescissionis seù reductionis ad justitiam & æqualitatem, & hic difficultas cessabat ex facto.

Et ulterius, ubi etiam talis differentia accederet inter unam & alteram cambiorum speciem, quod inæqualitas esset ultrà bessem, Adhùc tamen cessa-
23 bat applicatio ex jure, omniaque præmissa remanebant à casu controversiæ extranea, cum solùm adaptari possent dictis cambiis irregularibus, in quibus, pretij ac temporis taxatio proveniat à partium privata conventione, in qua cadunt dicti termini læsionis, & circumventionis, seù doli præsumpti. Secus autem in cambijs regularibus, qualia dicuntur hæc per plateas, in quibus introducta est taxatio generalis pretij ac temporis, cum tunc totum proveniat à casu, ac à temporum contingentijs, nihil autem à facto partium, Et consequenter omnes dicti termini remanent prorsùs extranei & inapplicabiles; Atque ita respondebam ad dictam decisionem Sac. Consilii relatam per *Molphes. & Duard. ubi supra*, quoniam tunc in dictis plateis Barij, Litij, & similibus intra idem Regnum, non habebatur eadem pretiorum taxatio, quæ in plateis primarijs ac magnis Civitatibus introducta erat, in istis quoque plateis inferioris ordinis hodie usitata.

Hinc proindè cessantibus terminis doli præsumpti, omninò corruebat prætensa infectio actus, quæ ratione dicti doli resultat, minusque licebam intrare dictos terminos *textus in l. 2. Cod. de rescin. vendit. & cap 2. & 3. extra de emptione & vendit.* super reductione contractus ad justitiam & æqualitatem, itaut, juxtà secundam inspectionem suprà subdistinctam, de justitia locus esset reductioni, seù moderationi, quoniam cum nulla adesset partium conventio, consequenter adesse non poterat earumdem circumventio, cum cujus præsuppositio dicta jura procedunt; Et successivè debitoris læsio magis provenire dicebatur à casu, in cujus contingentia non intrant dicti termini læsionis, sed potius alij æquitatis deducti per DD. ex dispositione *textus in cap. Suggestum de decimis*, ut scilicet, quandò contractus etiam in sui origine
24 justus & licitus, ex temporis, vel aliorum accidentium contingentia efficitur injustus & iniquus, debeat ex judicis officio reduci ad justitiam & æqualitatem, ex iis quæ super ista conclusione habentur cæteris collectis apud *Thesaur. decis. 226 Capyc. Latr. dec. 18. Theodor. allegat. 23.*, atque ad intelligentiam *dict. c Suggestum* habetur *in Calagurit. decimarum sub titulo de decimis*; Sed neque id in hac facti specie intrabat, cum ad hunc effectum requiratur maximus, & intolerabilis excessus, qui sapiat speciem iniquitatis, ut apud allegatos advertitur, quod in præsenti dici non poterat, dum ut dictum est, neque aderat læsio ordinaria ultrà dimidiam.

Difficultas igitur pro meo iudicio restringebatur ad dictam tertiam inspectionem indebiti exercitii mandati, quod debitor creditori dederat, quoniam cum mandatarius tanquam mandantis 25
administrator, & fiduciarius sequi debeat bonam fidem, adeò ut nè dum latam & levem, sed etiam iuxta unam opinionem, etiam levissimam culpam præstare teneatur, ut advertitur *in Romana locationis venæ ferri sub tit. de regal. disc. 117. ex deduct. Harprect. in §. is qui Instit. de mandato num. 21. & seq.*, utique ab ista deviasse videbatur eligendo viam magis rigorosam cambiandi per plateas, dum habebat alteram viam minus damnosam & moderatam.

Super hoc obiecto Ego & cæteri pro creditore scribentes respondebamus, & *Rota in prima decisione 14. Junij 1660. coràm Verospio* admisit respon-26
onem, quod scilicet dicta conclusio de bona fide præstanda per mandatarium in eligendo viam minùs damnosam more probi, & diligentis administratoris, procedat in eo puro, & simplici mandatario, qui in rem & gratiam mandantis tanquam purus minister, & fiduciarius negotium explicare debet, secùs autem, ubi est in rem & utilitatem propriam, & pro ejus relevatione ab interesse lucri, quod aliàs reportare potuisset ex pecunia pro mandante soluta, quoniam tunc, proprium non autem mandantis negotium facere dicitur, & consequenter pro seipso tenetur esse diligens paterfamilias, Potissimè verò stante gravi onere, cui per cedulam indeterminatam se subjecerat, ob quod ex improviso, stantibus præsertim subsequutis infortunijs emptoris, decoctionem, ac omnimodam supplantationem pati potuisset, ideoque sibi imputet mandans, cur talem effrœnatam facultatem tribuat gerenti negotium proprium, ac negotiatori studenti majori utilitati.

Ista responsio de stricto jure rectè procedebat, sed ex quadam non scripta æquitate malam faciem hab ere videbatur, stante contrario communi usu negotiatorum, quod scilicèt moderno tempore girus cambiorum per solas plateas non sit usitatus, sed solum per nundinas, ideoque faciendo rem omninò insolitam, resultare videbatur quædam species malæ fidei; Melior tamen erat responsio admissa in decisionibus, præsertim illa 11. *Januarij 1669. coram Priolo*, quod de tempore, quo iste girus cambiorum initium habuit, ferè nulla differentia aderat inter unam & alteram cambiorum speciem, quinimò in facto docebatur, quod aliquibus temporibus casus præbuerat intersuria cambiorum per plateas esse magis moderata quàm per nundinas accidentaliter deindè sequuta tractu temporis ista alteratione, adeout quandò mandata-
rius unam de duabus viis elegit, convinci non po- 27
terat de dolo seù mala fide positiva, quoniam attenditur initium actus, non quid posteà produxerit casus, qui ità potuit se habere ad lucrum ac damnũ juxta regulam *text. in l. de fideicommisso C. de transf.*

Et quamvis in campsoribus aliqua major certa utilitas adsit per viam platealium quamnundinaliũ ratione provisionum, quæ in nundinalibus sunt 4. in anno, in platealibus autẽ sunt octo circiter, non videtur tamen hæc circumstantia talis, quod redoleat dolum, seu malam fidẽ positivã, potissimè quia aliquod extraordinarium lucrum, etiam de justitia tolerabile videbatur in compensationem dicti gravis periculi, unde quamvis ex quadã epicheia, & nõ scripta æquitate damnabilis dici non posset dicta moderatio ad limites nundinalium, facta prius per congregationẽ Baron., deinde per Rotã, & cui idẽ creditor acquievit, Attamẽ id referendũ erat magis æquitati quàm rigori justitię, quod nimiũ inspicere refert ad aliũ effectũ libertatis pecunię, de quo *d se.*

EADEM

# EADEM

Data campsori facultate accipiendi & girandi super cambiis pecunias in vim cedulæ bancariæ per ipsum solvendas, An cambiare possit cum se ipso, & sine interpellatione. Et àn talis facultas expiret per mortem naturalem vel civilem unius vel alterius ex contrahentibus.

De justificatione spacciorum; An præcisè requiratur per exhibitionem litterarum in actis; Et an corresponsalis debeat esse Bancherius, ac literæ seu tractæ debeant impleri per Bancum.

Et de libertate pecuniæ solvendæ cedulistæ pro ejus reintegratione ac de provisione cedulæ quanta sit.

## SUMMARIUM.

1 *DE articulis seù punctis disputatis.*
2 *An possit quis cambiare cum se ipso, & quando.*
3 *Potest hæc facultas cambiandi cum se ipso extrinsecus probari.*
4 *Distinguuntur plures casus, àn & quando ad effectum ponendi debitorem sub cambijs requiratur necnè illius interpellatio.*
5 *An mandatum datum creditori ad cambiandum expiret per mortem naturalem vel civilem mandantis, vel mandatarij.*
6 *Mandatum necessarium datum in rem & gratiam mandatarij est irrevocabile, ideoque per mortem non expirat.*
7 *Mors civilis ex delicto & banno habetur pro morte in odium delinquentis, non autem in favorem.*
8 *Idem de filio ingrato, professo, ejecto vel apostata, hærede indigno, & similibus.*
9 *An cambia præcisè sint justificanda cum litteris, & quomodò remissivè.*
10 *De virtute clausulæ si quid exequendum, ut data etiam nullitate mandati judicis à quo, possit illud ex integro decerni.*
11 *An corresponsalis debeat esse bancherius, & an litteræ cambij seù tractæ debeant impleri per bancum.*
12 *Quid requiratur ut possit aperiri bancus.*
13 *De intelligentia provisionum ut litteræ cambij solvantur per bancum.*
14 *De salario, seù mercede augenda ad proportionem periculi vel incommodi.*
15 *Merx seù provisio cedulæ est ad duo prò centenario.*
16 *Quomodò regulanda sit provisio cedulæ, seù præmium fidejussionis, & quid si sint duæ cedulæ.*
17 *Provisio cedulæ campsoris est privilegiata, & deducitur antè omnia.*
18 *Examinatur ratio diversitatis provisionis præstandæ prò cedula.*
19 *An detur compensatio crediti ex una causa cum debito ex alia causa diversa*
20 *Si campsor habeat pecuniam depositam in banco sui debitoris debet istam accipere, & non ponere debitorem sub cambijs.*
21 *An compensatio fiat ipso jure, vel ope exceptionis.*
22 *Vincula minuunt valorem locorum montium.*
23 *Creditor, cui dantur loca montium, vel pecunia vinculata, àn petat à debitore id quod vinculum minuit.*
24 *An dicatur sequuta solutio per cedulistam eo ipso, quod creditores faciunt quietantias, licet pecunia in ejus banco relinquatur in depositum pro investimento; Et àn sufficiat formam chirographi impleri per æquipollens.*

## DISCURSUS II.

RE tenta eadem facti serie, de qua in præcedenti de pluribus alijs in hujus causæ disputationibus respectivè super istorum cambiorum validitate, debito, & liquidatione, actum fuit pro tollendis objectis debitoris, Primò scilicet, an facultas concessa campsori ponendi sub cambiis summas in vim cedulæ bancariæ solvendas, exerceri potuisset cum seipso propriaque ratione bancaria. Secundò quatenùs possit, àn pro singulis partitis solutis, pro quibus debitor positus est sub cambijs, debuerit iste interpellari. Tertiò an eadem facultas expirasset, per mortem naturalem Philippi creditoris, vel per civilem Marcelli debitoris stante ejus banno capitali. Quartò circà justificationem realitatis cambiorum, quomodò fieri deberet; Quintò an eidem realitati obstaret, quod corresponsalis, in quo cambiorum girus habitus fuit, non esset publicus bancherius, neque litteræ per bancum impletæ essent. Sextò circa quantitatem provisionis, seù mercedis debitæ campsori pro cedula. Septimo cum idem campsor haberet in banco in computo currenti depositam quamdam pecuniarum quantitatem ejusdem Marcelli debitoris, àn pro summis in vim cedulæ solutis debuerit facere compensationem cum seipso, atque pro hac rata eumdem debitorem non subjicere cambijs. Et octavò stante, quod pecunia retracta ex pretio castrorum per Congregationem Baronum non solvitur, nisi cum cautione de restituendo primario emptori in casu evictionis, & secundariò creditoribus anterioribus, vel potioribus, sivè loco cautionis eadem pecunia investitur in loca montium, ita vinculata, àn iste creditor prætendere possit pecuniam liberam, sivè suppletionem ejus, quod vinculi valor importat. 1

Primus punctus de plano sublatus fuit ex solo facto, stante expressa facultate cambiandi cum seipso, qua concurrente, hodie receptum est, ac passim practicatum, id licitè fieri posse absque aliqua incompatibilitate, ob reduplicationem seu pluralitatem diversarum personarum formalium diversis respectibus concurrentem in eadem persona materiali, Una scilicet creditoris, Altera mandatarii debitoris, Et tertia bancherij seù campsoris dantis sibi ipsi tanquam mandatario debitoris pecunias ad cambium, *Turr. hoc tract. disp 1. quæst. 15. num. 10. Rota Genuen. decis. 1. num 27. & decis. 32. n. 4. Gait. de credito cap. 2 tit. 7. num 1393. cum sequen Rota apud Merlin. decis. 636. & decis. 274. par. 5 rec.* cum alijs in hujus causæ decisionibus, præsertim illa 10. *Martij 1662. coram Verospio*, Atque hoc jure passim vivitur absque difficultate, cum id non respiciat validitatem & intrinsecam naturam cambiorum, sed solùm voluntatem mandantis, quæ ubi specificata non est, in dubio non præsumitur; Verùm etiam in casu non specificationis adhuc extrinsecus imò præsumptivè, vel adminiculativè, sivè à poste- 2 3

riori per observantiam justificatur, ut habetur præsertim actum *in Ravennaten. seù Faventina cambij hoc tit. disc.* 12.

Super secundo puncto interpellationis faciendæ debitori singulis quibusque vicibus; De solutionibus pro eo factis, ac de initio cambiorum, pariter modica habita fuit disputatio in jure, dum illæ difficultates, quæ initio habebantur, ob diligentias melius adhibitas sublatæ fuerunt ex facto, docendo de hujusmodi interpellationibus; Occasione autem agendi de hoc puncto in dictis primis disputationibus, cum hincindè materia involvi videretur, cumulando auctoritates, quæ casus inter se omninò diversos percutiunt; Hinc proindè advertebam plures casus in proposito, pro tollendis æquivocis, congruaque doctrinarum, seù decisionum applicatione distinguendos esse; Primus enim est, ubi nulla præcedente pactione, seù facultatis concessione, cedulista, vel fidejussor, aut procurator, sive quicumque tertius pro moroso debitore solvens cum sua pecunia, pro istius reintegratione, & nè illam otiosam retineret, intendat eam ponere sub cambiis, seù aliàs investire in fructiferas occasiones, aut ab aliis tantumdem accipere ad interesse, & tunc non intrant termini peculiares cambiorum, sed potius alii generales interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, cum suorum respectivè requisitorum justificatione, ex ijs quæ pluries habentur *in sua materia sub tit. de usuris*, ideoque auctoritates, & decisiones percutientes hos termi-nos generales, extraneæ remanent ab ista particulari materia cambiorum.

Alter casus est, ubi per debitorem seù principalem data est creditori, seù fidejussori facultas capiendi pecuniam ad cambium, quatenus ipse statuto tempore illam non solveret, ita ut debitum ex una causa seu uno contractu in alteram converteretur, & tunc verius ac receptum est, ut non obstante mora, quæ per lapsum statuti temporis ipso jure contrahi dicitur, juxta terminos texus *in l. magnam C. de contrahen. & committen. stipulatione*, adhùc tamen requiratur interpellatio, ut ita debitor certificetur creditorem velle uti sibi concessa facultate quia potuisset illa non uti, idque per debitorem credi valeat juxta decisionem *in Romana cambiorum 3. Julij 16* 8. *coram Manzanedo, de qua in Romana prætensorum cambiorum 30. Aprilis 1655. coram Dunozetto* inter suas *dec. 962. & in alijs* Sed pariter id non percutit validitatem ac intrinsecam naturam contractus cambij, sed voluntatem ipsius mandantis, eodem modo quo superius dictum est in puncto præcedenti. Unde si mandans expresse hujusmodi interpellationem remittat, atque assensum præbeat, ut illicò facto casu, absque alia interpellatione æquivalentem summam accipere posset sub cambijs, tunc id rectè fieri potest, quoniam cum ipse sit directus & purus debitor, eo ipso quod statuto tempore non solvit, scire potuit & debuit casum evenisse, ut ita distinguendo habetur *apud Merlin. d. decis. 636. d. decis. 374. par. 5. rec. dec. 379 par. 2. & in alijs*, Atque ita docet praxis quotidiana depositariorum montium baronalium assumentium in se onus solvendi fructus locorum montium singulo quoque bimestre cum dicta facultate, quam illicò exercent, cum principales rectè sciant, vel scire debeant quod hujusmodi negotiatores, neque per momentum tenent pecunias otiosas, atque istud præsertim negotium cambiatorium exercent; & consequenter non intrat dicta excusatio, quod debitor credere potuerit creditorem hujusmodi facultate usurum non esse, cum ista credulitas rectè intret, quando qualitas personæ creditoris ita suaderet, ut est in casu, de quo agitur *in d. Romana cambiorum 3. Julij 1618. coràm Manzanedo*, ubi de afflictu casalis facto per Capitulum cujusdam Eccl esiæ, sub conventione, ut afflictuario pensionem statutis temporibus non solvente, licitum esset locatori debitam pecuniam ad cambium accipere.

Tertius est casus institoris seù alterius, puta fidejussoris, aut administratoris, cui pro negotiis explicandis, seù pecuniis statutis temporibus solvendis facta sunt aliqua assignamenta, ex quibus id explicandum sit, cum facultate, quod eis deficientibus, licitum esset accipere pecuniam ad cambium, & tunc Rota credidit, ut deficientibus assignamentis, mandans interpellari debeat, ex eo quod credere potuerit negotium fuisse explicatum cum assignamentis jam factis, de quorum defectu si fuisset certificatus, supplevisset aliundè, neque passus esset interfurijs cambiorum subjici. ut *in Anconitana cambiorum coram Carillo* inter suas *decis. 282.* alias *214. par. 9. rec. & in eadem 18. Junij 1646. 8. Martij, & 2. Augusti 1649. coràm Peutingero*, quarum ultima est impressa, *decis. 346. par. 10. rec.*, licèt istas decisiones veras non habuerit Camera *in Romana partitorum inter Falconerium & Farsettum*, Atque inspecta veritate videatur punctus decidendus pro judicis arbitrio regulando ex singulorum casuum particularibus circumstantijs denotantibus bonam vel respectivè malam fidem creditoris, vel administratoris, & mandatarij, dicta facultate utentis, spectato præsertim usu negotiatorum. Sed ubi cessat dicta credulitas mandantis, quod scilicet negotium aliunde & ex assignamentis impleri potuerit, atque cesset etiam dicta alia credulitas, quod creditor dicta facultate forsan non esset usurus, tunc nulla subest ratio, quæ hujusmodi interpellationem exigat.

Et hunc dicebam esse casum nostræ quæstionis, etiamsi non adesset dictæ interpellationis expressa remissio, per quam omnis difficultas cessabat, quoniam perfecta emptione, debitor seù mandans scire potuit ac debuit totum pretium promptè solvendum esse, atque dum ipse non solverat, credere potuit & debuit, quod illud solveretur per campsorem, illicò attenta ejus conditione usurum dicta facultate, cum adaptabilis non esset illa credulitas, quæ ratione personæ creditoris cadebat *in d. Romana cambiorum coràm Manzanedo.*

Quoad tertium punctum expirati mandati per mortem naturalem mandatarij, vel civilem mandantis, tam in Rota, quam in Congregatione Baronum, scribentes pro debitore magnum fundamentum constituebant in auctoritate *Caball. cons.* 145. *lib.* 2.; Verum in utroque Tibunali hæc auctoritas omnino neglecta fuit utpotè nulli probabili fundamento innixa; movetur enim ipse authoritate *Soccin. jun. cons.* 112. *num.* 12. *lib.* 1., sed clarum est æquivocum, *Soccinus* enim agit de revocatione mandati ad donandum resultante per mortem naturalem mandantis, & sic de mero & simplici mandato voluntario, quod in solam gratiam mandantis recipitur à mandatario tanquam purum officium seù ministerium gratuitum; Secus autem ubi agitur de mandato necessario in gratiam & rem propriam mandatarij pro implemento obligationis & contractus correspectivi, hoc enim non solvitur per mortem, sed tanquam stipulatio seu obligatio faciendi, activè & passivè transit in hæredes, ex ea clara ratione, quod revocatio resultans ex morte dicitur ficta & præsumpta, fictio autem seù

præ-

præsumptio non potest plus operari quàm veritas, Unde quemadmodum debitori danti hoc mandatum præclusa est facultas illud expresè revocandi, adeoùt expressa revocatio non intret, multominus intrare potest tacita seu ficta resultans ex morte; *Trentacinque variarum resol. lib. 2. tit. de*
6 *procurator. resol. 10. num. 7. & 9. Mantica de tacit. lib. 7. tit. 23. n. 40. & seq. Buratt. dec. 440. num. 2. & 3. Merlin. dec. 436. n. 15.* quia data correspectivitate mandatum corrumpitur ac transit in alium contractum, ex ijs quæ habentur *in Romana œconomiæ sub titulo de contractibus*, & alibi pluries.

Potissimè verò in ordine ad mortem civilem ratione banni capitalis resultantem ab ipsius debi-
7 toris delicto, quod ei commodum & utilitatem causare non debet in damnum & præjudicium creditoris innocentis, contra positivi & naturalis juris principia, cum ita culposè agentes pro mortuis habendi sint quoad favorabilia, non autem quoad odiosa, juxta ea, quæ in jure habemus de fi-
8 liofamilias ingrato amittente jura suitatis, & patriæ potestatis quoad favorabilia tantùm, in odiosis autem remanente sub dicto vinculo, Sive religiosi professi apostatantis vel ejecti, in odiosis & obligatorijs habendi pro professo & religioso, Ac hæredis indigni, habendi in odiosis pro tali, cum similibus, super quibus scribens tamquam Advocatus ad satisfaciendum ignaro vulgo superfluas evagatorias retexebam longas allegationes, præsertim in primis disputationibus circa initia professionis ac more juvenum, quibus id congruere videtur, Et sic nulla, vel satis modica disputatio super hoc motivo habita fuit.

Circà quartum punctum justificationis cambiorum, cum jam adessent spaccia seù litteræ redditus quas uti præsupponentes aliàs accessus, receptum est sufficere juxtà ea quæ frequenter in alijs hoc eodem titulo habentur, opus non fuit assumere quæstionem disputatam infra *in Romana cambij de Sfortijs*, & *in Romana de Nigronis seu Benettis disc. 6. & 7.*, An scilicet realitas justificari possit cum libris, alijsque extrinsecis, etiam præsumptivis seù adminiculativis probationibus, quamvis
9 ipsæ litteræ materiales non habeantur; Credebam tamen in disputationibus habitis *coram Verospio*, (& Rota eumdem sensum habuit,) necessariam non esse illarum formalem productionem, ac rigorosam recognitionem, perindè ac si ageretur de apocis, vel scripturis, in quibus unicum ac totum actionis fundamentum consisteret, quoniam ut advertitur in allegatis *disc. 6. & 7.* ex auctoritatibus ibi deductis in puncto juris, juxta opinionem in aliis Civitatibus & Tribunalibus magis communiter receptam, accedente pacto, sufficiunt etiam libri creditoris benè & mercantiliter tenti.

Et licet Rota sequendo opinionem magis rigorosam, ad se certificandum de realitate litterarum, istas desideret, easque velit inspicere, Attamen sufficere debet, quod hic effectus sequatur etiam per extrajudicialem inspectionem, tanquam pro libro rum & pacti adminiculo exclusivo suspicionis fraudis usurarum, non autem pro principali fundamento intentionis; Quia tamen in ultimis disputationibus habitis in Signatura gratiæ, scribentes pro debitore, ad effectum obtinendi commissionem appellationis etiam in suspensivo, & cum clausula translativa executionis, in hoc defectu nimium insistebant, atque aliqui ex Votantibus in eo se fundarunt, idcircò in alia instantia *coram Priolo*, ad hujusmodi difficultatem tollendam, dicta spaccia producta fuerunt, Adeoque id impressionem fecit, quod in dicta resolutione 11 *Januarij 1669 coram Priolo*, responsum non fuerit de exequendo mandato in præcedenti instantia *per Verospium* relaxato, sed illud de novo decretum fuit, ut fieri solet, quando dubitatio oriatur super nullitate mandati relaxati per primum judicem, quod aliàs justum in toto vel in parte reputetur, cum receptum sit talem esse virtutem seù operationem clausulæ, *si quid exequendum*, ut non solùm judex ad quem exequi valeat mandatum per judicem à 10
quo decretum, sed etiam illud ex integro decernere & relaxare, quatenus primum, nullitatis, vel excessus defectu laboraret, *ut in Romana renunciat. 27. Maij 1651. Cerro, Beneventana dotis 27. Junij 1653. Bichio, Romana seù Januen. dotis 2. Decembr. 1665. Otalora, & sæpius.*

Quoad quintum objectum seù punctum invaliditatis cambiorum, ex eo quod corresponsalis non esset bancherius, neque tractæ seù litteræ impletæ essent per bancum, duplici fundamento nite-
11 bantur scribentes pro debitore; Primò ex declaratione Sac. Congregationis registrata apud *Turr. de cambijs disput. 3. quæst 1. in prologemanis post num. 33.* in illis verbis, *Secundum eamdem rationem bancariam permanentem*, Et secundò quoad cambia girata per Civitatem Neapolis, quod *per Regias pragmaticas, tertiam, ac sequentes, & septimam sub tit. de litteris cambij* disponeretur litteras cambij seù tractas per publicum bancum impleri debere, neque alias implementi justificationes admitti, quod etiam supponebatur dispositum in Civitate Venetiarum.

Verùm hoc erat leve objectum de facili sublatum, quoniam dictæ declarationes prodierunt pro sola Civitate Januensi, ubi magna Bancheriorum copia habetur, & nihilominus dicta verba, tanquam dubia & incertæ significationis, etiam in eadem Civitate magnas inter negotiatores produxerunt difficultates, ad quas removendas, opus fuit denuò adire eamdem Congregationem, novasque declarationes obtinere registratas *apud eumdem Turr. ubi supra num. 37.*, Talisque ex attestationibus plurium mercatorum & negotiantium ferè totius Italiæ est communis usus, quod etiam mercatores fundatarij seù alij negotiatores formalem bancum non aperientes, recipiunt ac implent tractas & litteras cambij, atque super cambiorum giro scripturam formalem tenent, Potissimè verò in Civitate Neapolis, ubi per Regias provisiones disponitur, non posse aperiri publicum bancum nisi præstita cautione in summa scut. 150. m., quod est moraliter impossibile, ideoque bancum publicum ut plurimum ibi habent solùm aliquæ piæ domus hunc fundum habentes, & tamen infinitus est numerus negotiatorum super cambijs; Prudens
12 quidem & commendabilis esset dicta provisio, quando esset moderata & practicabilis, unde propterea videtur extremum vitiosum, Sicuti econversò vitiosum est alterum extremum Urbis quod cuilibet liberum est bancum aperire, absque eo quod saltem in apertura negotii talem faciat obligationem, quod deponentibus eorum pecunias, seù aliàs banci fidem sequentibus, consultum esset cum hypotheca, per quam intraret ordo temporis & prioritatis, adversus eos, qui postea cum hypotheca multoties collusivè comtrahentes ità totum absorbent, quod videtur magnum inconveniens, ut non semel advertitur in sua materia *sub tit. de credito.*

Et quoad necessitatem implendi litteras seù tractas per bancum publicum, id continebat

æquivo-

æquivocum clarum, cum hujusmodi provisiones,
13 prudenter quidem ac justè editæ, percutiant illas tractas seù litteras cambij, quæ per veram & effectivam pecuniarum solutionem impleri debent ad favorem tertij, idque, ut occurreretur fraudibus & falsitatibus receputarum privatarum, cum quibus exhibentes tractas seu litteras cambij ad protrahendas ad menses & annos solutiones defatigabantur, secùs autem ubi agitur de his litteris pro giro cambiorum cum seipso, & talis est inconcussa praxis.

Sextum fuit disputationis caput super quantitate provisionis seù mercedis cedulæ; Cum enim in prima limitata ad summam scutorum 230. m. provisio conventa esset in annuis scutis 500., prætendebat debitor, quod secunda cedula indefinita, eodem jure regulanda esset, augendo solùm dictam taxam conventionalem proportionabiliter & pro rata summæ majoris, ad quam cedulista se obligaverat, constituendo fundamentum in regula, de qua *apud Zacch. de salario quæst.* 10. *num.* 1.
14 *cum seqq.* de Doctore conducto ad legendum, sivè famulo ad serviendum pro certo salario, quod si reconducatur, reconductio censeatur pro eodem salario; Sive de salario proportionatè augendo ad ratam laboris seù muneris adaucti, atque in prima conventione non contenti.

Econversò autem ex parte creditoris prætendebatur, per secundam cedulam indeterminatam complectentem totum valorem castrorum, primam evanuisse, atque omninò novatam esse, & consequenter, quod cessante conventione, atque rebus remanentibus in puris terminis juris, dicta merx, seù provisio deberetur juxtà consuetudinem
15 Urbis, quæ est ad minus duorum pro centenario, ut habetur *apud Greg. dec.* 161.; Ad quod probandum ego & cæteri pro eodem creditore scribentes duo adducebamus fundamenta, Unum resultans ex axiomate generali, quod quælibet dispositio intelligenda venit rebus in eo statu permanentibus ad quod plenè colligit *Additionator ad dec.* 523. *par.* 4. *rec. tom.* 3. *num.* 5. *& seqq. & num.* 21.; Et alterum, quod hujusmodi emolumentum dicitur merx periculi, ad cujus proportionem regulari debet plus & minus juxta periculi majorem vel minorem
16 probabilitatem *Mantica de tacit. lib.* 6. *tit.* 6. *nu.* 6. *Aponi. cons.* 19. *lib.* 2. *Leotar. de usur. q.* 23. *num.* 31. *Rot. apud Gregor. d. dec.* 161. *& dec* 679. *p.* 1 *divers.*; Et ideò cum per secundam cedulam indefinitam absque dubio camptor majori periculo se exponebat, quoniam peritus declarare poterat valorem in summa ingenti, pro cujus parte sibi consultum non remaneret in bonis emptoris forensis, hinc intrabat dicta ratio proportionis, ac novationis, seù recessus à prima conventione.

Resolutio in hoc puncto fuit, ut pro summa contenta in prima cedula deberetur provisio conventa in scutis 127. m. debitis im vim fœcundæ cedulæ, tanquam in casu omisso debita esset merx consuetudinaria ad rationem duorum pro centenario, ut patet ex *dec.* 28. *Novembris* 1659. *Verospio*, in qua solùm de hoc puncto agitur; Ibique etiam firmatur hujus mercedis, seù provisionis potioritas, ut scilicet dicatur debitum privilegiatum, licitè ante omnia detrahendum ex pecunijs emptoris, quæ ad manus campsoris pro ejus reintegratione venirent juxta punctualiter firmata *d. dec.* 679. *par.* 4. *divers.*; Ad quod conferunt, quæ habentur apud *Salgad. in labyr. par.* 3. *cap.* 9. super potioritate mercedis, seù provisionis debitæ administratori patrimonij positi sub concursu, quia in effectu non est creditum, sed impensa necessaria respiciens etiam servitium & commodum ipsorum creditorum, ideoque ante omnia deducenda; Dictaque resolutio ità distinguens, reflectendo ad veritatem, mihi quamvis scribenti pro assequutione mercedis consuetudinariæ pro tota summa, visa est justa 18
& probabilis, non quidem ex generali regula deducta in decisione desuper edita de non extendenda conventione de casu ad casum, cum in puncto juris probabilius dici posset, secundam cedulam indefinitè complectentem totum pretium à perito declarandum attendendam esse, non curata prima, tanquam per hujusmodi novationem abolita; Sed ex dicta altera ratione proportionis periculi, dum in dicta certa & determinata summa scutorum 230. m. cedulista dici poterat tutus, & moraliter certus de exemptione à quocumque damno, dum bona quæ emptor possidebat in Urbe, ipsaque castra ità acquirenda, sine dubio tanquam per speciem notorij superabant dictam summam, & sic verè periculum residebat in secundo additamento ratione incertitudinis.

Septimus disputationis punctus fuit circa liquidationem summæ per cedulistam solutæ, pro qua potuerit ponere debitorem sub cambijs; Cum enim debitor prædictus ante hujus casum haberet in banco ejusdem campsoris quamdam summam pecuniarum in causam depositi & adliberam dispositionem, ut vulgò dicitur *à conto corrente*, dubitatum fuit, an quando campsor in vim cedulæ certas summas solvere coactus fuit, pro omnibus potuerit ponere debitorem sub cambijs, vel potius jure compensationis debuerit deducere dictam summam, quam habebat in manibus; Et quamvis de stricto jure probabilis videretur creditoris prætensio, quam etiam in congressibus, in quibus puncti examinantur pro veritate, nimium fovebant seniores Advocati, ex diversitate stationum, ob quam in eisdem personis materialibus repræsentantur omninò diversæ personæ formales, & successivè diversa dicuntur debita & credita ex omninò diversis causis, unde propterea regulariter non 19
intrat compensatio, ex ijs, quæ habentur *collecta per Amat. resol.* 17. *add. ad Gregor. dec.* 366. *Graff. de except. c.* 16. *Gratian. discept.* 948. *num.* 2. *Salgad. in labyr. par.* 2. *cap.* 28. Nihilominus ego tunc junior ab initio fui in contrario sensu, Tùm ex punctuali *decisione Rotæ in Romana computorum* 23. *Martij* 1618. *coràm Coccino*, ubi in specie firmatur, quod
hæc distinctio intellectualis ex juris subtilitate re- 20
sultans, atque ad alios effectus iuris vera, ex quadam naturali æquitate, ac in odium usurarum attendi non debet isto casu, & cum quo fundamento processit *Rota*, ita iuxta meum votum resolvendo eadem die 28. *Novembris* 1659. *coràm Verospio*; Tum etiam ex facti circumstantiis, quod scilicet debitor ob quædam imputata delicta iam fugam ab hoc Principatu arripuerat, atque processum erat ad acta præparatoria banni capitalis, undè non urgebat ratio manualis & quotidiani usus dictæ pecuniæ, quæ proindè retineri solet in computo currenti, & non commisceri cum aliis negotiis, undè si dictus deponens absens & inquisitus dedisset mandata, seù ordines pro dicta summæ solutione, absque dubio campsor ita constitutus in periculo propriæ facturæ, recusasset dictos ordines implere, faciendo quamdam speciem arresti, seù sequestri penès se ipsum pro eius indemnitate; Et consequenter nulla ratio exigere videbatur, quod dictam pecuniam ita penès se retineret otiosam, & pro æquivalenti percipere deberet usuras, seù

accessio-

acceſſiones cambiorum, dum agebatur de depoſito regulari pecuniæ obſignatæ in ſacculo, itaut dici poſſet, quod fuiſſet violare legem depoſiti, ſed agebatur de depoſito irregulari, quod in ſubſtantia, & quoad effectum importat magis creditum quantitatis, ſeù generis, Unde conſiderabam adaptari poſſe terminos, ſeù rationem *textus in l curabit Cod. de action. empti*, ſuper repugnante æquitate habendi eodem tempore in manibus rem & pretium; Sivè quod intraret recepta diſtinctio, quam habemus in quæſtione, an compenſatio fiat ipſo jure, vel ope exceptionis, quod ſcilicet, ubi agitur de odio uſurarum, & de impe-
21 diendo illarum curſum, omninò verius, ac receptum ſit compenſationem intrare ipſo jure, ut cæteris plenè collectis firmatur *per Rotam dec. 409 nu. 21. & ſeq par. 9. recent.* ubi allegantur *Apont. conſ. 19. lib. 2. Fontanell. de pact. clauſ. 6. gloſ. 2. par. 6. nu. 61. & ſeqq & alij.*

Demùm cum pretium redactum ex ſecunda venditione dictorum caſtrorum erogatum eſſet in loca montium, cum vinculo, primariò ad favorem emptoris in caſu evictionis & moleſtiarum, ſecundariò autem pro cautela creditorum anteriorum & potiorum poſtmodum venientium, Atque indubitatum ſit hujuſmodi vincula minuere valorem intrinſecum locorum montium juxta vinculorum numerum, ac majorem, vel minorem periculi probabilitatem, juxta ea, quæ ſuper hujuſmodi
22 diminutione habentur *in Romana locorum montium de Oricellarijs, & in Romana de Mutis ſub tit. de Regalibus ad materiam locorum montium diſc. 50. & 32.*, Atque de facto iſta loca montium ſtante dicto vinculo æſtimata fuerant ad rationem ſcutor. 60. pro quolibet; Hinc orta eſt dubitatio, an ſtante dicta reductione cambiorum platealium ad nundinalia, deberet creditori bonificari; id quod importaret diminutio reſultans ex dicto vinculo, itaut in effectu aſſequeretur pecuniam liberam. Et ita determinatum fuit in ultimis deciſionibus
23 14 *Decembris 1662. & 28. januarij 1664. coram Veroſpio*, dando optionem debitori intra certum terminum ſolvendi pecuniam liberam, & reaſſumendi loca montium, vel quod creditori imputanda eſſent ad dictam rationem ſcut. 60. pro quolibet.

De hoc autem, tàm in ultimis diſputationibus habitis in Signatura gratiæ, quam in alia inſtantia *in Rota coram Priolo & Bourlemont.* fuit dubitatum, ſtante quod iſtud vinculum reſultat à facto Principis, quod importare dicitur caſum fortuitum à creditore ſupportandum, abſque eo quod regreſſum pro indemnitate habere valeat adverſus debitorem, juxta ea quæ habentur *ſub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum in Romana de Anguillaria, & in alia Romana dotis de Cæſarinis diſcurſu nonageſimo ſeptimo & 99.* & talis eſt communis praxis.

Super hoc autem ego, reflectendo etiam ad veritatem, dicebam hujus quæſtionis deciſionem pendere à puncto, An dicta reductio cambiorum platealium ad rationem nundinalium importans dimidiationem crediti & ultra, intraret de rigore juſtitiæ, vel potius ex Tribunalis æquitativo arbitrio; Primò enim caſu admittebam, quod debitor benè diceret quoniam ſi creditor plus de rigore conſequi non deberet, cogendus eſſet ſubire vinculum de natura rei omnibus alijs creditoribus commune; Secus autem in altero caſu, quoniam tunc debitor æquitativum arbitrium judicis dividere non poteſt, ſed illud acceptare debet cum ſua cauſa, nam alias non fuiſſet reducere cambia platealia ad nundinalia, ſed iſta quoque dimidiare; Et conſequenter cum ex ſupra deductis *diſcurſu præcedenti*, de ſtricto jure omninò verius eſſet, cambia platealia eſſe valida & deberi, ideoque dicta reductio, ſeù moderatio reſultaret ex merè æquitativo arbitrio, debebat proindè iſta æquitas æqua lance exerceri, nam aliàs manifeſtam contineret iniquitatem in præjudicium creditoris, ita duplicem diminutionem & jacturam patientis; Atque retorquendo exemplum moderationis factæ per Sacrum Conſilium Neapolitanum, de qua *diſcurſu præcedenti*, quod ſcilicet cambia tunc irregularia longè exceſſiva & reducta ad quatuordecim pro centenario in tali ſumma ſoluta fuerunt, ita & taliter quod creditor de facto obtineret dictam ſummam quatuordecim, quod in præſenti non contingeret, quoniam cambia platealia importantia novemdecim circiter pro centenario, & redacta ad nundinalia importantia ad rationem Novem circitèr, ſolverentur, non in novem, ſed in quinque, vel ſex, & ſic eſſet reductio reductionis, atque iſtam credebam eſſe veritatem.

De pluribus alijs diſputatum fuit, in facto magis quàm in jure conſiſtentibus, præſertim verò de tempore, à quo campſor ob ſolutiones factas in vim cedulæ dici poſſet creditor; Cum enim per chirographum Pontificium ſuper dictorum caſtrorum venditione editum mandaretur, quod creditores, ad quorum inſtantiam per Congregationem Baronum facta erat dicta venditio, in actu receptionis pecuniæ à cedulista deberent præſtare debitam cautionem in forma, ſin minus quod eadem pecunia directè in actu recipiendi deponi 24
deberet in ſacro monte pietatis, ad effectum illam inveſtiendi in loca montium, ut ſuprà vinculata loco cautionis, creditores autem pro majori eorum commoditate factis quietantiis tanquam de recepto fuiſſent contenti relinquere pecuniam in depoſitum in eodem banco pro eo modico tempore, quod currebat, donec invenirentur occaſiones dicti inveſtimenti; Hinc prætendebat debitor non eſſe ſervatam formam chirographi, ac propterea ipſum non potuiſſe poni ſub cambijs à tempore, quo creditores fecerunt quietantias, ſed ſolùm à tempore, quo ſequutum erat effectivum pecuniarum inveſtimentum; Sed hæc pretenſio rejecta fuit, & pro meo judicio juſtè, quoniam eo ipſo, quod creditores fecerunt quietantias, debitor liberationem reportavit, atque ſolutionis effectus ſequutus fuit, ejuſque nil interat, quod creditores pecuniam ita de eorum dominio effectam hoc medio tempore otioſam retinerent magis in uno, quàm in altero banco, Unde cum chirographum præſcriberet dictam formam, non pro præciſa ſolemnitate, ſed ad ſolum certum effectum nè daretur libera, idcircò intrat recepta propoſitio, quod tunc ſpectato effectu admittitur implementum per æqui-
pollens, ut firmatur *in deciſionibus coram Veroſpio*, quæ ſuper hoc puncto videntur notabiles.

ROMANA

# ROMANA MANUTENTIONIS

PRO

JOANNE BAPTISTA BORRELLA

CUM

N. LAMBARDO.

*Casus disputatus coram Senatore Urbis, seù Prælato Consultore deputato, & resolutus pro Lambardo.*

An cambium creari possit ex credito antecedenti sine pecunia numerata.

Et an substineatur cambium si pecunia data debitori in alios usus creditori notos convertenda sit, itaut hic certò sciat debitorem non posse cambiare in nundinis, ibique litteras implere.

Et de conversione cambiorum decursorum in sortem novi cambij an subsistat, vel potius importet anathocismum.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Pecunia numerata in actu, sed statim restituta an annullet contractum consualem.*
3 *Qualis dicatur simulatio damnata, & qualis non.*
4 *Cambium creari potest ex credito antecedenti ex mercibus, vel alia causa.*
5 *Declarantur quædam decisiones firmantes cambium invalidum, ubi creditor scit debitorem convertere debere pecuniam in alios usus.*
6 *Distinguuntur species cambiorum, & quale sit directum & quale obliquum.*
7 *De simulatione, seù figmento, quod aliqui dicunt esse in cambijs.*
8 *De recambijs an sint invalida & continentia anatocismum ob conversionem cambiorum in sortem; & aliqua de anathocismo, quando procedat.*
9 *De natura cambij est, ut nullum detur lucrum ab initio certum, sed possit etiam sors diminui.*
10 *Quod cambia verè non sint fructus, neque accessiones, sed sint pars sortis.*

## DISCURSUS III.

1 CUM ex pluribus creditis antecedentibus, quæ ex juribus cessis ab alijs creditoribus, alijsque de causis, Borella habebat cum Lambardo, conflatis etiam scutis 1000. quæ idem Lambardus debebat ex causa cambij contracti usque ab anno 1646. unà cum fructibus, seù cambijs decursis, circa ann. 1658. novum cambium constitutum esset in scutis 3500. circiter, cum enarratione pecuniæ coram Notario & testibus numeratæ, ad effectum illam convertendi in prædictorum aliorum debitorum extinctionem. Atque post aliquorum annorum decursum creditor curasset aliqua bona debitoris exequi & subhastari, eidemque, seù alteri, qui deinde ipsum nominavit, tanquam ultimo licitatori deliberari, prætendens debitor istius actus nullitatem ob ordinem judiciarium non benè servatum, ac etiam ob notoriam injustitiam, Tum ratione ænormissimæ læsionis in valore bonorum, Tùm ratione excessus ob infectionem novi contractus cambij, qui proindè cambia, seù fructus non produceret ratione simulationis, dum probaverat pecuniam ejusdem creditoris simulatè, & ut vulgò dicitur, *per mostra*, ibi interveniſſe, itaùt in effectu cambium creatum esset ex creditis antecedentibus, ac etiam illativè, quod ita creditor certus esset debitorem non posse acceptam pecuniam cambiare, atque in nundinis litteras implere, ut ad cambij realitatem requiritur ex firmatis per *Rotam in Romana cambij 18. Aprilis 1644. & 16. Januarij 1645. coràm Peuting.* Et demùm quia idem cambium in parte conflatum esset ex fructibus, seù cambijs decursis dicti alterius cambij, undè propterea dicebat hoc esse anathocismum in jure damnatum juxtà plenè deducta per *Rotam apud Merlin. dec.* 409. aliàs 301. *par. 5. recent. latè Andreol. controv. 310. n. 1.* ubi ferè omnes cumulat. Ex his secundus Collateralis fori Capitolini manutentionem Lambardo concessit, declarando contractum prædictum invalidum & usuratium, ex hoc præsertim ultimo fundamento anathocismi:

Introducta verò post suos alios gradus juxta Capitolinam labyrinticam praxim, causa coram Senatore, atque per istum deputato juxta stylum ingenioso Prælato in Consultorem, hinc post plures disputationes, quamvis in ijs, quæ juris sunt circa validitatem cambij ex infra deducendis se adæquatum declararet, nihilominùs confirmavit idem quod judex primæ instantiæ fecerat, Vel ex capite nullitatum, Vel ex altero læsionis, ac etiam ratione insubsistentiæ aliquarum partitarum, & sic ex fundamentis consistentibùs potius in facto, in quo Advocati nullam habent partem, ideoque judicatum, nec approbare, nec damnare potui, potui, potissimè quia etsi causæ Patronus singulis facti objectis benè satisfacere videretur, nihilominus ea omnia insimùl unita, aliquam malam faciem præbere videbantur.

Quatenus verò pertinet ad dicta tria objecta in jure consistentia, Dicebam pro creditore scribens nullam verè subsistentiam habere, Non quidem primum, Tùm quia solemnitati pecuniæ numeratæ, etiam ubi pro forma requiritur, ut est in censibus, ex communi observantia satisfactum esse dicitur per illius interventum, quamvis eadem immediatè restitueretur ipsimet creditori in aliam causam, nisi formalis simulatio probetur ex deductis per *Cenc. de cens. q.* 50. ubi plures colliguntur decisiones Rotæ, quæ moderno tempore sæpius circa hunc defectum benignè se gerere consuevit, quoties antecedentia credita sunt vera & realia stante facilitate Signaturæ gratiæ passim sanandi hunc defectum, ubi constat de vero credito, ut præsertim apud *Rojas dec.* 476. quæ est *Assisien. census confirmata* 28. *Martij* 1653. *coram Bevilaqua* 23. *Januarij & 26. Junij* 1654. *coram Bichio*, & non semel in sua materia *sub tit. de censib.* 2

Tùm etiam quia illa simulatio dicitur in jure damnata, quæ concernit rei subsantiam, ac veritatis alterationem alteri præjudicialem, quia nempè cum mendacio appareat validus & licitus ille actus qui si appareret, prout est in effectu, esset illicitus & invalidus, Secùs autem ubi etiam alio modo vero licitè fieri poterat, itaut nil debitoris, vel alterius contrahentis interesit, ut sæpius *sub titul. de contractibus*, & sub altero *de credito*, Ac pluries in speci- 3

specialibus terminis cambiorum occasione oppositæ simulationis personæ firmavit *Rota*, præsertim in *Romana cambij 1. Julij 1658. coram Meltio* confirmata *24 Martij 1664. coram Otalora*, quæ est *Romana cambij de Sfortijs disc. 6.*

Unde cum sæpius per Rotam firmatum fuerit, quod cambium ex mercibus, vel ex creditis antecedentibus creari potest, ut præsertim *in Romana pecuniaria 5. Junij 1648. Corrado 14. Junij 1649 Dunozetto* inter suas *dec. 829. Romana cambiorum 28. Aprilis 1651 Verospio*, & in alijs, cum nil urgere videatur, quod prohibeat, Quia si creditor de tempore contractus cogere poterat debitorem ad sibi solvenda credita, quæ vera & legitima essent, hinc proindè benignè potiùs cum eo agere videtur se abstinendo à coactione, eademque credita convertendo in alium contractum, ex quo dilationem debitor recipit, quoties ista non est causa alicujus lucri, seù excessivæ, vel aliàs præjudicialis conventionis, quæ in cambijs nundinalibus non datur, minusque hodie in illis platealibus, quæ exercentur per eas Civitates, quæ plateæ formam habent, cum totum pendeat ab eventualitate pretij uniformiter à publico foro mercatorum taxati, ut supra *in Romana cambij disc. 1.* 4

Quoad secundum objectum deductum ex allegatis decisionibus *in Romana cambij 18. Aprilis 1644. & 16. Januarij 1645. coram Peutingerio*, dicebam illas ab ipso initio nunquam in Curia receptas fuisse, utpotè continentes æquivocum clarum, quo agnito in eademmet causa, in qua prodierunt, nullum habuerunt effectum, quoniam ita oretenùs mandante, nè ad formalem revocationem procederetur, creditor contra quem prodierant, sub titulo concordiæ, aliquo modico dimisso, satisfactionem obtinuit; sit meritò, quoniam, ut frequenter habetur *hoc eod. tit.* præsertim in *Romana locationis venæ ferri d. 24.* 5

Duæ sunt cambiorum species, Una quæ dicitur cambij directi, quia scilicet habens pecuniam Romæ, illamque cupiens in Civ. Venetiar. vel Neapolis, eam tribuat mercatori, vel alteri ibi cambiandam, quoniam si pecuniæ dator certo scit, recipientem illam pecuniam, ac convertentem in alios usus, non posse æquivalentiam dare statuto tempore, & in præfinito loco, itaut litteræ implementum recipere non deberent, sed inanes & vacuæ essent reversuræ, Tunc quia dicitur potius actus simulatè gestus in fraudem usurarum, de illius validitate dubitarunt *Azor. instit. moral. par. 3. lib. 10. de cambio sicco*, & cæteri deducti per *Scacc. de cambijs §. 1. q. 7. par. 2. ampliat. 9. nu. 9. Reginald. in praxi pœnitent. lib. 25. nu. 309. Rebell. de just. & jur. lib. 15. q. 5 num. 3.*, & cæteri in prædictis decisionibus deducti; Dictaque difficultas non resultat ex eo, an qui pecunias recipit, eas tunc in alios usus convertat necnè, ut scribentes in ista causa ac etiam in d. altera *Romana cambiorum de Sfortijs disc. 6.* insistebant, quia cum pecunia recipiat functionem in genere suo, etiam in isto cambio directo nil refert, quod recipiens eam convertat in alios usus, dum potest in nundinis, vel platea aliundè supplere de æquivalenti, sed punctus est in idoneitate ad dictam æquivalentiam præstandam, ex cujus concursu, vel deficientia resultat scientia dantis, an litteræ essent adimplendæ, necnè, & an actus esset ab initio fictus vel verus. 6

Altera cambiandi species dicitur obliqua, quod scilicet debitor, qui pecunias recipit, seù ex alia præcedenti causa debet, non assumit onus cambiandi, sed sub contractu mutui, vel altero recipit pecunias pro suis debitis solvendis, vel in alios suos usus erogandas; Quia verò mutuator non intendit eas otiosas tenere, sed super cambijs trafficare, id circò debitor pro ipsius creditoris indemnitate, & nè ex mutuo damnum, ac præjudicium recipiat, in se assumit onus capiendi tantumdem ab alijs, ac girandi, vel girari faciendi super cambijs, Vel eidem creditori facultatem tribuit accipiendi ab alijs, vel à seipso tantundem, illudque girandi, vel girari faciendi super cambijs in ipsius mutuatarij damnum, quo secundo casu plures continentur contractus explicati *in d. Romana locationis venæ disc. 24., ac etiam in Camerinen. disc. seq. & in alijs hoc tit.*

Et in hac secunda specie non spectatur, an illa pecunia quæ recipitur, in alios usus convertatur necnè, vel an recipiens possit æquivalentem summam in nundinis, vel in platea præstare, quoniam cambium non girat super illa pecunia, sed super æquivalentia ab alijs habenda, neque spectatur idoneitas ipsius debitoris, sed illa corresponsalis, qui litteras est impleturus saltem cum recursa; Et licèt Morales, quibus etiam adhærent *Merenda in ejus tract. de cambio nundinali, Leotar. de usuris q. 26.* & alij, magna Tribunalia, seù foros magnatum & mercantilium Civitatum parùm versantes, dicant hæc continere figmenta & simulationes in fraudem usurarum, Attamen eorum dubitatio recipienda non est, Tùm quia ita passim & ubique publicè & palam, Ecclesia tolerante & approbante, practicatur, Tùm etiam quia cessante conventione partium super majori, vel minori interrusiorum cursu ratione majoris, vel minoris dilationis temporis, in quo propriè consistit usura, vel ejus suspicio, cum totum pendeat ab eventualitate, quæ ipsius etiam debitoris lucrum causare potest, sequitur exindè cessare terminos usuræ, & in specie id vidimus practicatum *in d. Romana locationis venæ ferri disc. 24. & in d. Romana cambiorum disc. 1*; In dictis etenim casibus certa erat conversio pecuniæ per debitorem acceptæ ad cambium in alios usus, atque certa erat voluntas ejusdem debitoris creditori declarata, & in pactum expressum deducta, non cambiandi, neque solvendi in nundinis, vel plateis, & tamen nunquam dubitatum fuit de validitate cambij ex isto capite, quoniam girus cambij non est in ipsa pecunia, quæ debitori datur, sed in æquivalenti, quæ ab alio, vel à seipso tanquam tertio accipitur ad cambium, atque hoc jure passim vivitur, quod agnovit *Rota in d. Romana cambij de Sfortijs 24. Martij 1664. Otalora.* 7

Demùm quoad tertium objectum anathocismi quod deducebatur ex conversione cambiorum decursorum in sortem principalem, ac novum cambium, Dicebam, quod quidquid sit, an dictus anathocismus procedat solum in usuris illicitis, de quibus, nempè usuris hebræorum agitur in *decis. 409. Merlini*, atque admisso etiam quod eadem prohibitio procederet in quibuscumq; alijs quamvis licitis usuris, interusurijs, vel fructibus, ut videtur magis communis & recepta opinio DD., de quibus amplè *Andreol. d controvers. 210.*; Extranei erant dicti termini ab istis cambiorum, quæ in recambium converti posse plenè firmatur *per Surd. cons. 540 num 35. cum seq.*, quem solum pro omnibus allegare sufficit, & communiter tenent *Cyriac. Gait. & cæteri deducti per Andreol. d. controv. 210. num. fin.*, atque ita passim docet inconcussa observantia totius nostri Orbis Catholici super recambijs, & advertitur *d disc. 1.* 8

Verùm nè more insipidorum pragmaticorum, præter genium & stylum, immorarer solùm in

auctoritatibus, potissimè cum non omninò satisfactus essem de rationibus & fundamentis deductis per *Surdum*, Idcircò advertebam veram hujus conclusionis rationem eam esse, quod fructus dicuntur illi qui producuntur seù percipiuntur salva substantia rei illorum productivæ, ideoque in proposito, usuræ vel interesuria dicuntur accessiones contradistinctæ ab ipsa sorte principali, quæ salva & integra remaneat, atque ex hac ratione accessiones ex pecunia regulariter, non concurrente speciali titulo earum justificativo, dicuntur illicitæ, quia cum pecunia sit de sui natura sterilis, ita contrà naturam efficitur fœcunda & fructifera.

Hoc autem non convenit cambiorum accessionibus seù interesurijs, quoniam de natura cambij
9 realis est, ut nulla detur accessio, nullumq; lucrum certum sed creditor subjaceat potiùs damno & periculo diminutionis sortis principalis *Roman. cons. 258. n. 6. & 9 in principio, Rota decis. 315. par. 2. divers. decis. 304 num. 5. par. 2. recent.*, ac habetur deductum *in d. Romana venæ ferri disc. 24., in d. Romana cambiorum disc. 1.* & in alijs frequenter.

Ideoque id quod dicitur fructus seù accessio, est abusivè, & per modum loquendi pro nostra in-
10 telligentia, sed verè totum est sors principalis tanquam unicum pretium pecuniæ quæ in uno loco magis valet quàm in altero; Utpote Titius dat Sempronio ad cambium Romæ scuta mille monetæ juliorum decem pro scuto cambianda pro nundinis Placentiæ seù pro Civitate Venetiarum, cum ibi litteræ implendæ sint in scutis auri stamparum seù marcarum respectivè (cum in nundinis currant scuti imaginarij marcarum, & in plateis scuti auri veri stamparum] idcirco correspondalis illius, qui suscepit pecuniam cambiandam, ut impleat litteras, emere debet dictos scutos, prout currunt in illis nundinis vel respectivè in ea hebdomada, in qua maturat solutio, juxta pretium aggij quod pro majori vel minori pecuniarum affluentia, magis & minus ponitur à foro mercatorum, atque in hac emptione consistit damnum vel respectivè lucrum ejus, qui habuit pecunias cambiandas, quoniam dari potest casus, quod cum tanta moneta, quantum importent, exempli gratia, scutos 970. emat tot scutos auri vel marcarum, qui sufficiant ad æquivalentiam & litterarum implementum, undè propterea creditor sit potiùs in damno patiendi diminutionem sortis principalis; Et econversò datur casus frequentior, quod pro emendis dictis scutis ad litterarum implementum necessarijs non sufficiat valor dictorum scutorum mille monetæ, sed importent scuta 1030., & sic in illis 30. consistit damnum debitoris, quod ex communi usu loquendi dicitur fructus cambij junctum cum expensis provisionum; Et consequenter quandò illi scuti auri vel marcarum respectivè ita empti, & per actum occultum soluti creditori per correspondalem cum recursa recambiantur ad locum à quo ipsimet debitori qui pecunias proprias pro litterarum implemento in nundinis vel platea non habebat', dicuntur tanquam per novum contractum recambiari illi scuti 1030., non tanquam integra sors & fructus, sed tanquam integra sors, atq; unum & idem pretiù illorum scutorum marcarum vel auri denuò reducendorum ad scutos monetæ, Istaque est ratio, ob quam substinentur recambia, atque illi qui apud vulgus dicuntur fructus, convertuntur in sortem, Quam rationem nec quidem remotè percipiunt aliqui moderni, qui in foro magnarum & mercantidium Civitatum non versantur, cum manifesto proindè terminorum æquivoco utentes in hac materia terminis usurarum, lucrorum, fructuum, & accessionum, cum isti termini rectè quidem cadant in cambio sicco, non autem in reali, in quo nullum dari potest lucrum certum, & si daretur, remanet vitiatum, ut latiùs *in dicta Romana locationis venæ ferri, disc. 24. & in alijs locis citatis.*

---

# CAMERINEN.

## CAMBII

## PRO

## PELLEGRINIS

## CUM

## BRACCIIS

*Casus disputatus coràm A. C. & in Signatura, & resolutus pro Pellegrinis, posteà concordatus.*

**An mandatum datum ad cambiandum seù girandum super cambijs, expiret per mortem mandantis vel mandatarij, Et qua occasione agitur de pluribus speciebus mandati dati ad cambiandum.**

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur plures casus ad effectum sciendi, an susceptum onus cambiandi expiret per mortem.*
3 *Quando alicui datur pecunia ad cambiandum, qualis species contractus dicatur.*
4 *De cambio directo, & qualem speciem contractus continere dicatur.*
5 *De cambio obliquo, & quot contractus sub se contineat.*
6 *De differentia inter casum in quo debitor tribuat creditori facultatem cambiandi, & quando ipse debitor id in se suscipiat.*
7 *De casu, in quo susceptum onus cambiandi est transitorium ad hæredes, & non expirat per mortem.*
8 *Generaliter mandatum susceptum ad cambiandum non cessat per mortem.*
9 *De exclusione contractus societatis in cambio.*

### DISCURSUS IV.

BRACCIUS per apocam se constituit Pellegrini debitorem in scutis mille jam antea habitis, at- 1
que promisit hanc summam girari facere super cambijs per aliquem Urbis mercatorem per ipsum eligendum, cujus cura & onus esset dicta cambia exercere & continuare cum scripturæ retentione usque ad debiti restitutionem, & cum pacto, quod cambia usque ad summam scutorum 7. pro singulo centenario & anno cederent ad commodum Pellegrini, totum verò plus cederent beneficio ipsius Braccij, cujus obitu sequuto, post aliquorum annorum decursum, petentibus dicti Pellegrini hæredibus sortis & cambiorum solutionem, hæredes debitoris prætendere cæperunt per mortem expirasse

vel

vel mandatum, vel societatem, quam in præsenti conventione contineri mordicùs dicebant scribentes pro hæredibus, innixi auctoritati *Scaccia de cambijs* §. 3. *gloss. 3. num.* 33. ubi registrata quadam conventionis formula huic simili, firmat esse contractum societatis.

Pro creditoribus scribens, hoc societatis assumptum omninò negabam, sed dicebam, Vel esse in casu suscepti mandati, quod uti necessarium, & ex stipulatione tanquam irrevocabile non expirat per mortem, Vel (& fortè verius) esse obligationem faciendi, ad hæredes etiam passivè transitoriam; Pro materiæ verò dilucidatione tollendisque æquivocis, observabam plures distinguendos esse casus ob longam differentiam inter unum & alterum militantem.

Primus igitur est, ubi unus dat alteri pecuniam ad negotiandum sivè traficandum super cambijs,
2 certa parte lucri ad commodum recipientis pecuniam & traficare debentis conventa, & tunc non intrant termini debitoris vel creditoris, quia nullum intercedit mutuum, neque pecunia efficitur de dominio recipientis, cum illa eadem sit traficanda, sed solùm cadit dubitatio, quam speciem contractus hujusmodi conventio contineat, an scilicet societatis, ut aliqui voluerunt, vel mandati, ut aliorum fuit opinio, vel institoriæ, seù con-
3 tractus innominati, atque juxta has ultimas species punctualiter discusso articulo firmavit *Rota in una Mediolanen. dec. 304. & 556 p. 2. recent.*, Ideoque in judicando præsertim in Curia, non quid DD. hinc indè pro eorum ingenio voluerint tenendum est, sed quid, omnibus opinionibus examinatis, est decisum; Verùm istum constanter affirmabam non esse casum nostrum, quia Braccius pecuniam aliquò tempore antè dictam conventionem receperat in alios ejus usus erogatam, ejusque in dicta conventione se constituit debitorem ad commodum dantium, quos consideravit uti creditores, utendo termino solutionis, qua pendente in se assumpsit onus prædictum, qui termini in ista specie non cadunt neque conveniunt.

Alter casus est cambij directi & puri prout originaliter iste contractus introductus fuit, ubi scili-
4 cèt habens pecunias in uno loco, eisque indigens in alia Civitatè vel loco, eas tradit campsori, ut pro dicto alio loco cambiet, seù litteras suo correspondali pro æquivalentis summæ solutione tradat, quo non expleto tenetur recipiens danti ad quanti interest pecuniam in loco & tempore convento traditam esse, & iste contractus dicitur, juxta unam opinionem permutationis, permutando scilicèt pecuniam unius loci, cum pecunia alterius mediante eo pretio, quod loci distantia vel diversæ monetæ qualitas postulat; Sivè juxta alteram est contractus locationis & conductionis, quia campsor ita locat operas suas datori pecuniarum, ut eas suo risico de loco ad locum asportet; Sivè juxta alteram, est etiam institoriæ vel contractus innominati, de quibus in præsenti videre superfluum videbatur, quia neque eramus in casu.

Tertius est casus frequens & quotidianus cam-
5 bij obliqui plures contractus continentis, quorum primus est veri & realis mutui, quia nempè indigens pecunijs pro ejus ære alieno exsolvendo, seù alijs indigentijs, & negotijs explendis, illas ab aliquo recipit de suo dominio efficiendas, earumque ad certam diem se debitorem constituit, sed nè interim creditor damnum patiatur ex mutuo, tenendo scilicet otiosam dictam pecuniam quàm aliàs super negotijs & cambijs traficare destinaverat, idcircò dupliciter conveniri solet, Vel quod debitor det creditori facultatem pro sua relevatione à quibuscumque, ac etiam à se ipso æquivalentem summam ad cambium, & sub eo continuandi, donec sequatur solutio, Vel quod ipsemet debitor in se assumat onus æquivalentem summam inveniendi ab alijs ad cambium, seù curandi, quod aliquis mercator dictam summam traficet & giret; Primo enim casu intrat mandatum, quod debitor tribuit suo creditori, & quatenus mandatum deducatur ad exercitium, intrat tertius actus, per quem creditor non jure suo, ut volunt *Turre* & alij, sed tanquàm mandatarius debitoris juxta opinionem veriorem, & in Rota receptissimam, æquivalentem summam accipit ab alio ad cambium; Secundò autem casu, ex parte debitoris intrat stipulatio faciendi, quia promittit pecuniam in æquivalenti summa ab alijs invenire, atque pro creditoris relevatione curare, ut per seipsum quatenus ad id sit aptus, vel per mercatorem ab ipso inveniendum cambietur per nundinas vel plateas; Et sic secundus actus consistit in dicta suscepta obligatione faciendi, & tertius adest, quatenus pro explenda obligatione pecuniam ab alijs suscipiat cambiandam.

Differentia inter unum casum & alterum est, quod in primo, ut creditor cambia & recambia pe- 6
tere valeat, docere debet se mandatum sibi traditum validè ad formam Constitutionis *Pij V.* exercuisse, cum vera & reali transmissione spacciorum justificanda saltem cum litteris responsivis nuncupatis *del ritorno*, atque isto casu intrat regula, quod non probata spacciorum justificatione, cambia peti non possunt, quia debet adesse realitas litterarum promptè implendarum, sine quibus cessat periculum consistens in transmissione pecuniæ de loco ad locum, sivè in jactura, quæ non minùs quam lucrum adesse potest in commutatione pecuniæ de uno loco ad alium, sivè de una specie ad aliam, nempè de moneta currenti ad scutos marcarum vel auri, in quo periculo fundatur lucri perceptio ex deductis *per Lopez de contract. lib. 2. cap. 3. cum plur. seqq. Capyc. latr. consult. 125. Rovit. super pragm 1. de litteris cambij. Buratt. dec. 603. Mantic dec. 283. Rota dec. 132. p. 6. rec. Anconitana cambiorum 8. Martij, & 2. Augusti 1649. Peutingero, Romana cambiorum 28. Aprilis 1651. Verospio, & in alijs frequenter.*

In secundo autem casu, nisi debitor probet omnes adhibuisse diligentias, & non invenisse occasionem cambiandi, creditor absque aliqua justificatione ex ejus parte facienda, petere, & consequi potest à debitore cambia & recambia quæ cucurrissent, si susceptam obligationem expleviſſet, non tanquam cambia, quæ sine spacciis, & reali litterarum transmissione dari non possunt, sed tanquam damna & interesse ob non impletum susceptum mandatum, seù ob non factum id, quod si factum esset, cambiorum utilitatem produxisset, ut benè firmatur *in Romana pecuniaria 5. Junij 1648. coràm Corrado, & in eadem 14. Junij 1649. Dunozetto inter suas dec. 829. & post Salgad. in labyrint. dec. 7.* quæ passim in Curia recepta est tanquam magistralis, sæpissimè in alijs causis approbata, itaut amplius de assumpto non dubitetur, ut sæpius *hoc eod. tit.*

In hac ultima specie necessariæ stipulationis faciendi in proposita controversia versabamur,

ideoquè non intrabant termini expirationis mandati per mortem mandantis, vel mandatarij, quia
7 verè non agebatur de mandato, sed in susceptione facti, quod ob non factum trahit secum obligationem ad damna & interesse, etiam absque interpellatione alijque requisitis, Istamque obligationem non dubitatur esse ad hæredes activè & passivè transitoriam, adinstar quarumcumque stipulationum, & contractuum, ut omissis generalibus, in specie probari dicebam ex decisionibus *in Romana multiplici 5. Novembris 1635. coram Pirovano, & 18. Martij 1634. coram Meltio*, in cujus casu emptor, qui de pretij residuo debitor remanebat, se obligavit illud investire in loca Montium, census, vel stabilia fructifera, atque fructus exigere, illosque denuo investire, ac ita multiplicare, donec certa summa constitueretur, quia si ipse, vel ejus hæres id non fecit tunc ob non adimpletum mandatum, vel non præstitum factum promissum, tenetur ad quanti interest esse factum, quod occasione fructuum dotalium habetur *sub tit. de dote*, & alia occasione habetur *sub tit. de usuris & interesse*.

Nequè intrabat ratio pro alia parte exaggerata, quod electa esset industria personæ, cum datio & respectivè susceptio mandati vel facti, non fuerit voluntaria, & ratione industriæ personalis, proùt in primo contractu pecuniæ datæ ad negotiandum juxtà *dictas decisiones 304. & 556. par. 2 rec.* prætendi fortè potest, sed fuerit necessaria ob creditoris reintegrationem, & nè interim ex mutuo, & permanentia suæ pecuniæ penès debitorem damnum patiatur; Multòmagis in præsenti, dum cambiorum transmissio & continuatio facienda non erat per ipsummet Braccium, itaùt dici valeat, sequuto ejus obitu actum non potuisse amplius explicari, sed erat facienda per mercatorem ab ipso eligendum, & deputandum, qui semel electus absque alia præfati debitoris opera, sive viveret, sive mortuus esset, continuationem facere poterat.

Et nihilominùs, etiam in casu simplicis, & veri
8 mandati, proùt est in alio casu supradicto, quando scilicet creditori datur facultas capiendi summam æquivalentem ad cambium, adhuc omninò verius, ac ubique receptum est, tale mandatum per mandantis, vel mandatarij mortem naturalem, seù civilem non cessare, quoniam juris regula, ut mandatum per mandantis vel mandatarij mortem expiret, procedit in mandato voluntario ex utraque parte, quandocumque revocabili, secus autem in mandato necessario, quod ex stipulatione debitor tribuit creditori in causam, & rem propriam, donec sequatur solutio, dum illud debitor volens non potest invito creditore expresse revocare, ideò minus intrat expiratio per mortem, quæ aliud non est, nisi quædam revocatio tacita seu ficta, ut ita distinguendo inter mandatum voluntarium & necessarium plenè alijs allegatis habetur *apud Trentacinq. lib. 2. var. resol. tit. de procur. resol. 10. num. 7. & 9. Gabr. de procurator. conclus. 2. num. 36. Seraph. decis. 541 num. 3 Buratt. decis. 440. nu. 2. & 3. Merlin. decis. 436. num 11.*, & tanquam absolutum habuit Congregatio Baronum & Rota *in Romana Cambiorum supra discur. 2.*, Atque in praxi est ubique receptum, nedùm ex dicta viva ratione, quod mandatum necessarium in rem propriam, sicuti non potest expresse revocari, ita non revocatur tacitè & fictè per mortem, nè plus operetur tacitum quàm expressum, sivè plus fictio quàm veritas, sed etiam quia cambiorum cursus, non solùm resultat ex ratione mandati, sed etiam ex ratione restaurationis damnorum, quæ alias creditor ita pati dicitur.

Allegabatur pro parte debitorum *consilium Caballi 145. lib. 2.*, sed dictum fuit istam doctrinam fuisse rejectam *in dicta Romana Cambiorum*, tàm in Congregatione Baronum, quam in Rota, quoniam verè iste Doctor in hac parte solemniter æquivocavit, vel ad clientis affectionem ita improbabiliter scribere voluit, totum enim se fundat *in cons. 112 Soccin. jun. l. 1. n. 12.* qui agit de mandato voluntario dato ad donandum, ut expiret per mortem mandantis, maximè dum hæredem reliquerat pupillum, quod omninò extraneum est à mandato necessario, & per viam stipulationis in rem mandatarij.

Magnum item fundamentum ex parte dictorum hæredum constituebatur ad probandam societatem in conventa participatione lucri, dum conventum est, quod usque ad 7. pro centenario sit
9 dantis pecuniam, totum verò plus cedat commodo recipientis & cambiare debentis, Sed replicabam hoc esse æquivocum clarum, Tùm quia societas importat communionem lucri & damni, ac utilitatis & periculi, quæ in præsenti omninò aberat quia si dabatur casus, ut sors principalis absque cambiantis culpa amitteretur, vel nullum in cambijs adesset lucrum, sed potius jactura & sortis principalis diminutio, & quæ incertitudo unicè salvat hunc contractum ab usura, utique Braccius nullum sentiebat damnum, neque de periculo participabat, ergò incongruus est terminus societatis, sed potiùs illud incertum lucrum excrescens summam scut. 7. pro centenario, dici potest salarium seù merx institoriæ, seù operæ assumptæ.

Tùm clarius, quia cum Braccius esset debitor pecuniæ, itaut ad ejus damnum & præjudicium totale cambia currere debuissent, idcircò voluit convenire de interesse limitato, ut scilicet dictam summam non excederet, sibi remissa seù condonata summa excrescente, juxta ea, quæ de hoc cambio limitato habentur plenius deducta *in Romana Cambii de Sfortijs infrà d. 6.*, & sic debitor nullum sentit lucrum, nec aliquam illius participationem habet, sed solùm ita patitur minus damnum & interesse.

Et ex his A.C pro creditoribus judicavit, relaxando mandatum executivum, tam pro sorte principali, quam etiam pro ipsis cambijs & recambijs, atque interpositâ appellatione, Signatura justitiæ illam rejecit quoad effectum suspensivum rescribendo cum clausula *sine præjudicio executionis* de sola appellatione ad devolutivum in Rota, sed subsequens concordia litem terminavit.

---

# VITERBIEN.
## CAMBII
## SEU
## SOCIETATIS
## PRO
## MARIO.

*Responsum pro veritate.*

**Debitore assumente in se onus cambiandi seu girandi pecunias sub cambiis, ac**

facta

facta ex conventione deputatione certi mercatoris, per quem cambium exerceri debeat, Si deindè creditor, ut debitori rem gratam faceret eum liberet ab obligatione utendi opera dicti mercatoris, An exindè resultet omnimoda novatio ita ut inducatur etiam liberatio ab onere cambiandi.

Dissoluta societate per mortem unius ex sociis, An & de quibus lucris, vel damnis socii defuncti hæredes debeant participare.

## SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Cambia non debentur sine justificatione spacciorum saltem per litteras redditus.*
3 *Sed quandoque sine eis debentur tanquam damna & interesse.*
4 *An remissio oneris utendi opera mercatoris deputati liberet ab onere cambiandi.*
5 *De validitate consuetudinis, ut provisiones correspondentium cedant ad beneficium girantis.*
6 *Expensa provisionum sunt notabiles.*
7 *Cambium creari potest ex debito præcedenti.*
8 *Super conclusione, an cambia sint licita, si dans pecuniam, certo sciat, recipientem non posse eam cambiare.*
9 *Quando de facili detur compensatio seu retentio.*
10 *Non debet quis participare de damno, ubi non participaret de lucro, & de materia Societatis.*

## DISCURSUS V.

1 INita Societate inter Antonium & Marium super negotio lignorum, eaque brevi tempore dissoluta per mortem Antonij, cum hic in negotio erogasset summam scut. 3200., deventum est ad conventionem inter Camillum Antonij hæredem, & Marium, ut hic retinere deberet dictam summam in negotij continuatione implicatam tanquam debitor, & ad cambium, suscipiendo in se onus cambiandi, ac girandi dictarum pecuniarum valorem per ferias, deputato ex conventione ad hunc effectum certo mercatore; Deindeque per apocam Camillus, ut Marium ab expensis eximeret, eum liberavit ab onere utendi opera dicti mercatoris, Undè cum post plures annos Marius in venditione lignorum notabilem jacturam sensisset, neque dicti cambij exercitium sequutum esset. Hinc orta est inter dictas partes controversia super duobus, Primò nempè, an cambia seu fructus deberentur, Et secundò, an Camillus Antonii hæres contribuere teneretur ad dictum damnum, seù jacturam, itaut intraret compensatio vel retentio, atque pro veritate consultus respondi, ut sequitur.

De duobus est quæstio, Primò nempe an debeantur cambia, dum de illorum realitate per litteras seu spaccia non docetur ad formam Constitutionis (18. *Pij V*; Et secundò super compensatione, seù retentione, de qua Marius debitor opponit contra Camillum creditorem pro contributione damni seu jacturæ passæ in negotio sociali, & super utroque puncto sentio difficultatem contra Marium requirentem.

Quatenus enim pertinet ad primum, indubitatum
2 est cambia peti non posse nec deberi tanquam cambia, cum hæc hodie non dentur licita, & exigibilia sine realitate spacciorum probanda saltem tem per litteras redditus nuncupatas *del ritorno*, per quas in Rota & Curia receptum est probari etiam litteras accessus nuncupatas *dell' andata*, ita ut absque tali justificatione nil prosint confessiones partium, solidationes computorum, vel quæcumque aliæ conventiones *juxta decis. 69. par. 9. rec.* quæ passim in Curia circumfertur Magistralis *in Ravennaten. seu Faventina Cambij 16. Junij 1653. Bichio*, & in alijs frequenter, cum sit principium indubitatum.

Verùm difficultas est, an debeantur tanquam damna & interesse ob non factum, id est ob non ad- 3
impletum mandatum à Mario debitore susceptum girandi, seù girare faciendi pecunias per ferias *juxta decisionem in Romana pecuniaria 5. Junij 1648. coram Corrado, & in Romana pecuniaria coram Dunozetto impress. post Salgad. in labyrint. decis 7. & inter suas decis. 829.* quæ pariter circumfertur tanquam magistralis, & est passim recepta in Curia, *ut in Romana Cambii 8. Aprilis, & 4. Decembris 1659., & 24. Aprilis 1662. coram Cerro*, & in alijs.

Cumque susceptio mandati sit litteralis, & clara, punctus est, an ex eo quod per apocam Camillus ad sublevandum Marium, nè sumptibus gravaretur, declaravit consensum præbere, nè teneatur uti opera mercatoris electi, vel eligendi pro transmissi- 4
one pecuniarum ad nundinas, ita ab hoc onere liberatus remanserit, Atque in hoc probabilius negativè respondendum videtur, quoniam dictus consensus percutit solùm relevationem oneris utendi opera mercatoris jam electi, non autem remissionem alterius præcedentis suscepti oneris girandi, & girari faciendi pecunias per ferias, Duo siquidem debitor suscepit onera, ad quorum utrumque per creditorem urgeri poterat, Unum simpliciter, & indeterminatè girandi, & girari faciendi pecunias per ferias, Et alterum electionis cujusdam certi, & determinati mercatoris; Hæc autem sunt inter se merè separata, quorum unum sine altero stare potest, cum bene possint simul stare quod Marius adstrictus remaneat mandato suscepto girandi pecunias per ferias, & tamen remaneat solutus ab alio onere id agendi per certum mercatorem Urbis, cum id facere possit per seipsum vel alium mercatorem, vel amicum, ejusdem, vel alterius loci, undè liberatio ab hoc secundo onere importare non videtur omnimodam novationem contractus, ac liberationem ab alio onere girandi, atque in hoc est mea difficultas.

Intererat autem Marij debitoris liberari à secundo onere, quam vis primum firmum remaneret, pro evitandis rigorosis expensis provisionum, & emolumentorum solvendorum dicto mercatori de necessitate electo, ejusque correspondalibus, & quas expensas in toto, vel notabili parte poterat evitare habendo libertatem girandi per seipsum, vel mediantibus personis sibi toties quoties benè visis, quoniam consuetudo est mercatorum & cambiantium, ut provisiones & emolumenta condonentur ipsi cambianti, seù giranti, soluta solùm qua- 5
dam modica recognitione correspondali, ut *dec. 45. nu. 3. cum seq. par. 4. rec. tom. 2.* & habetur in *Romana cambiorum disc. 1.*

Quod clarè probare videntur verba ejusdem apocæ percutientia relevationem ab expensis, quę propriè in his provisionibus, & emolumentis consistunt, ici *acciò il medemo Mario non si aggravasse di spesa*; Cambia enim non sunt expensæ, sed sunt damna & interesse, quæ currunt in alterationę aggij, seù emptione scut. auri, vel marcarum in feria,

in qua emptione debitor, qui onus habet cambiandi, potest etiam esse in lucro de sorte principali ;
6 Dictasque provisionum, aliorumque emolumentorum expensas esse notabiles, experti sumus moderno tempore in Curia occasione plurium controversiarum super hac materia habitarum, in quibus compertum est, dictas expensas importare tertiam partem & ultrà ipsorum cambiorum.

Minùs relevat, pecunias per Marium deberi ex causa mercium, seù lignaminum, quia cum per mortem Antonij jam dissoluta esset Societas, ex tunc idem Marius volens negotium appaltus continuare, atque merces, aliàs sociales, facere proprias rectè potuit se constituere ex dicta causa debitorem in pecunia sub cambijs giranda, donec restitutio sequeretur, ut habetur *in eadem Romana pecuniaria 5. Junij 1648. Corrado & d. dec. 7. post Salgad. in labyrint. Romana cambiorum 14. Junij 1649 Dunozetto inter suas decis. 829. alia Romana Cambiorum 28. Aprilis 1651. Verospio & in alijs.*
7

Proùt nec relevare videtur Marium, sciente, ac volente Camillo creditore, pecunias prædictas convertisse in dictum appaltum, in cujus exercitio & negotiatione erat continuaturus, undè propterea impossibile erat easdem pecunias per nundinas girare, undè cambium sit illicitum juxtà *decisiones in Romana cambiorum 4 Julij 1642. & 18. Aprilis 1644. coràm Peuting.*, quoniam istæ decisiones in Curia nullatenùs receptæ sunt, neque de eis in foro aliqua ratio habetur in hac satis frequenti materia, utpotè continentes juris propositiones in abstracto veras, sed aliquo æquivoco laborantes quoad applicationem ad factum.
8

Duæ siquidem sunt species cambiorum, Una est directa, quia nempè habens pecunias in uno loco, eisque indigens in altero, vel in nundinis, illas det campsori, vel alteri ut cambiaret, & isto casu si dans certò sciat recipientem conversurum esse pecunias in alios usus, neque habere modum implendi literas, ac præstandi pecunias in nundinis, vel loco convento, tunc intrat difficultas, de qua in allegatis decisionibus *coram Peuting.*

Altera est obliqua continens plures contractus, Primum nempè & primarium mutui, quod creditor facit debitori de pecunijs in eos usus convertendis. Et secundum mandati, quod idem debitor dat creditori, vel quod in se suscipit inveniendi ab alijs summam æquivalentem sub cambijs, & hic secundus modus est frequens & usitatus, neque in eo intrant deducta in allegatis decisionibus, utpotè percutientia primam speciem non istam, in qua non ipsa pecunia cambianda est; sed altera, seù ejus æquivalens, quod in hac facti specie habetur expressum, ibi, *dictas pecunias, seu illarum valorem girandi &c.*

Quoverò ad alterum punctum compensationis, vel retentionis, puto ex libro retento per Marium super mercibus vendendis, earumque pretio, stantibus adminiculis in facti nota deductis, sufficientissimè probari damnum, seù jacturam passam in venditione mercium, seù lignaminum, cum agatur de libro ex conventione per Marium tenendo, adminiculato cum copijs partitarum non impugnatarum à Camillo, undè in hoc nullam habeo difficultatem.

Prout modicam haberem super puncto compensationis, vel saltem retentionis, quæ ex æquitate recepta in Tribunali A. C. & in Curia admittitur etiam in casibus, in quibus aliàs de rigore iuris ratione juramenti, vel processus executivi compensatio non intraret, maximè quia creditum, cujus ratione prætenditur compensatio, vel retentio,
9 non provenit ex causa omninò diversa, sed ab eadem à qua provenit debitum, cum quo habet connexionem, quo casu facilius intrat compensatio, quoniam est potius calculus dati & accepti, quàm compensatio ex deductis *per Capyc. Latr. dec 25 n. 23. & consult 73. num. 27 & 28. & Rot. dec. 74. num. 28. post Merlin. de pignor.*

Sed mea difficultas est super insubsistentia crediti, cujus ratione compensatio, vel retentio allegatur, quodque damnum passum in venditione mercium, seù lignaminū cedere non debeat damno Camilli hæredis Antonij, qui societatem inijt cum Marco super appaltu.

Societas enim dissoluta fuit per mortem Antonij. undè ex ea die totum lucrum, vel damnum in futurum contingens ex successiva continuatione negotij, cessit commodo, vel incommodo Marij qui potuisset in annis subsequentibus vendere lignamina longè majori pretio, & cum lucro, quod
10 totum fuisset suum, ideò ejus debet esse damnum, quod sentiri non debet ab eo, qui nullum lucrum sperare poterat *Buratt. dec. 336. n. 4. dec. 439 n. 1.*

Atque communicatio lucri & damni, non obstante dissolutione societatis, intraret solùm in lignaminibus jam incisis & repositis de anno 1656 & sic præparatis durante societate ex deductis per *Buratt. dec. 461. n. 1*, non autem circa ea, quæ obvenerunt in annis sequentibus, Præsertim stante dicta novatione, seù conversione pecuniæ prius positæ in societate in diversum contractum cambij, per quam liquet Marium suscepisse totum negotium in se, ita ut totus casus indè contingens lucri, vel damni respectivè sit solum suum, undè solus concursus prætendi potest in damno, quod obvenit in negotio jam acto, seu præparato de anno 1656. non autem in annis subsequentibus ; Atque saltem negari potest hoc esse turbidum & illiquidum, quod sufficit, ut non intret compensatio, vel retentio ut habetur *dec. 225 p. 8. rec. & dec. 92 p. 9. Romana pecuniaria 19. Januarij 1646. 7 Junij 1647. & 10. Februarij 1648. coràm Corrado, et in alijs frequenter.*

Neque dici potest, quod ex conventione tenendi librum, ac dandi iustificationes super venditionibus lignaminum, desumi possit continuatio negotii socialis ex quadam tacita societate per hæredem renovata, cum ex instrumento pateat id solum conventum esse pro cautela & securitate Camilli dantis pecuniam ad cambium, ut ita scilicet reddatur tutus de bona administratione negotij, quodque pecuniæ exinde retrahendæ in alios usus non convertantur, et hanc dixi mihi videri veritatem.

---

# ROMANA

## CAMBII DE SFORTIIS PRO PRINCIPE LUDOVISIO CUM CARDINALI SFORTIA.

*Casus decisus per Rotam pro Ludovisio, pendet revisio.*

**De justificatione realitatis cambiorum, an ad illam præcisè sint necessariæ litteræ, itaùt sine illis alia fieri possit probatio necnè.**

De

De simulatione personarum in isto contractu, & an illa facultas, quæ data est mercatori, cum quo initus fuit contractus, suffragetur alteri non mercatori, cui creditor jura cesserit, seù ad cujus commodum mercator ab initio sub ipsius simulato nomine contraxerit.

De cambiis limitatis sub conventione, ut in casu moræ, seù in alterum eventum cesset limitatio, & cambia debeantur ad rationem currentium. An facto casu talis conditionis, requiratur nova intimatio, seù interpellatio debitoris.

## *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *De oppositionibus adversus cambiorum cursum, & cambij validitatem.*
3 *De conclusione quod invalida sint cambia, ubi creditor certo scit debitorem non posse cambiare remissivè.*
4 *An cambia justificentur per libros campsoris negativè.*
5 *Pro justificatione sufficiunt litteræ redditus.*
6 *De modo justificandi spaccia, & quando leviores probationes sufficiant, itaut libris etiam sit deferendum.*
7 *Litteræ an sint necessariæ ad realitatem cambiorum. & quatenus sic, an illæ possint aliàs justificari.*
8 *De pluribus adminiculis, ex quibus etiam amissis litteris probetur realitas cambiorum.*
9 *An ille, cui data est facultas cambiandi continuare possit girum post cessionem alteri factam.*
10 *An cambia per nobiles exerceri possint.*
11 *Quando cessio verè non sit talis, sed potius declaratio veritatis.*
12 *An & quando non obstante facultate cambiandi requiratur nova intimatio debitoris.*
13 *De cambio limitato qualem speciem contractus contineat, & an differat à currenti.*
14 *Confessio partium quales defectus in cambio sanet.*

## DISCURSUS VI.

1 PECUNIAS Cardinalis Ludovisii Ludovisij ab Urbe absentis in summa scutorum 15. m. circitèr existentes in Banco illorum de Acciaiolis & Martellis in Urbe negotiatorum, ijdem nè otiosas tenerent, ex generali mandato forsan per Cardinalem, vel eius ministros attributo, dederunt ad cambium limitatum in consueta forma cambii obliqui Duci Mario Sfortiæ, quod scilicet si cambiorum interesse quamdam conventam summam singulis annis excederet, illud plus censeretur ei remissum, ac peti non posset, sub pacto, vel debitore deficiente in quolibet semestre à solutione ejus, quod importarent cambiorum fructus, seù intersuria tunc cessare deberet dicta limitatio, itaùt deberentur cambia currentia, qua conditione forsan in primo semestri, ut istorum Baronum & Magnatum consuetudo est, purificata, eadem ratio bancaria continuavit cambiorum girum, constituendo in singulis nundinis dictum Ducem debitorem ad rationem cambiorum currentium, usque quo facta per eum venditione Barberinis Oppidi Vallis Montanæ cum annexis, ex illius pretio satisfactum fuit omnibus creditoribus, inter quos fuit Princeps Ludovisius dicti Cardinalis germanus frater & hæres, ad quem mercatores prædicti, paulò post præfatum contractum initum, declaraverant omne illius commodum & incommodum spectare, ipsis nudum nomen habentibus, eidemque proinde omnia & quęcumque jura cedentibus, cui Principi soluta fuerunt scuta 22. m., quantum importare supponebatur debitum sortis & cambiorum medio tempore decursorum.

Quia verò omnes creditores de dicto pretio satisfacti, juxtà stylum Congregationis Baronum, per quam seù per Thesaurarium cum facultatibus dictæ Congregationis venditio facta fuerat, se obligaverant, vel respectivè cautiones dederant de restituendo acceptam pecuniam prioribus et potioribus, idcircò istius obligationis vigore, post aliquod temporis intervallum, Princeps Burghesius tanquam creditor anterior, à dicto Principe Ludovisio avocavit scuta circiter 4 m. ac successivè quidam alij anteriores alias fecerunt avocationes, quapropter ut de summis avocatis se reintegraret, stante insufficientia hæreditatis dicti Ducis Marij interim defuncti, judicium instituit coram A C. contra Cardinalem Sfortiam eiusdem Ducis germanum fratrem & insolidum obligatum, qui opponens de non justificatione cambiorum ob non exhibita in actis spaccia, à Prælato per A.C. deputato sententiam absolutoriam reportavit, à qua commissa per appellationem causa in *Rota coram Meltio*, datoque dubio, *An constaret de credito, quod debeatur. sub die 1. Iulij* 1658. Affirmativa prodijt resolutio ad favorem Ludovisii creditoris, confirmata in altera disputatione habita super nova audientia 24. *Martii* 1664. *coram Otalora* in locum *Meltii*, interim ad Episcopum assumpti subrogato, coràm quo pendet revisio ob audientiam denuò elargitam.

Reflectendo autem ad veritatem, dum præsertim de istius examine agebatur, tam in congressibus advocatorum, quàm in disputationibus habitis coram quodam Cardinali communi amico, in quem oretenùs partes controversiæ decisionem remiserant, licet enim altera pars istius judicio ad favorem huius declarato acquiescere noluisset, credebam justas esse resolutiones Rotæ, ac successivè injustas debitoris oppositiones, quæ plures erant.

Prima nempè super cambij invaliditate, ex eo quod creditor certò sciret debitorem non posse 2
acceptas pecunias cambiare, ac litteras in nundinis implere juxta *decis. in Romana cambij 18. Aprilis 1644 & 18 Januarij 1645. coram Peuting.*; Altera quod non constaret de cambiorum realitate ad formam *Constit. 118 Pij V.*, dum non docebatur de spaccijs legitimè recognitis; Tertia quod dum cambium initum fuerat cum dictis negotiatoribus, istique ad paucos dies illud cesserant Cardinali Ludovisio non negotiatori, cessaverat facultas, quam debitor cedentibus dederat in cessionarium non transmissa, Et quarta quod in omnem eventum prætendi non possent cambia currentia, sed solùm limitata juxta primam conventionem, non obstante pacto prædicto, ut in casu non factæ solutionis statuto tempore cessaret limitatio, quoniam dicebant rei conventi defensores, ad hunc effectum necessariam fuisse intimationem, seù novam interpellationem, ob quam debitor sciret se 3
gravioribus usuris esse subjectum, Nulla tamen ex dictis oppositionibus subsistentiam habere videbatur.

Quatenus enim pertinet ad primam, cum tunc penderet in Rota graviſſima cauſa in *Romana locationis venæ ferri, de qua hoc tit. diſc. 24. & ſub tit. de uſur. diſc. 4. & ſub tit. de Regal. diſc. 117.*, expediebat Ludoviſio dictas deciſiones canonizari, cum ita longè major utilitas ei reſultaſſet in dicta alia cauſa, ſed reverà iſtud motivum nullius erat momenti, quoniam dictæ deciſiones, licet expreſsè non revocatæ, implicitè tamen ab initio fuerunt habitæ pro circumſcriptis, ut advertitur ſupra *diſc.* 3 atque in pluribus cauſis ego practicavi.

Quoverò ad ſecundam, quamvis ſcribendo more advocati dicerem ſufficere debere libros dictæ rationis bancariæ dictorum cambiorum girum 4 juſtificantes, ſtante pacto expreſſo, ex communi Notariorum ſtylo in omnibus hujuſmodi contractibus apponi ſolito, quod ſolis libris mercatoris ſtari debeat, Quod pactum attendendum eſſe ac ita ubique ſervari, præſertim in Civitate Januæ, quam ſæpius cambiorum parentem & magiſtram appellat & teſtatur *Turre de cambijs diſput. 3. q. 10. n. 12.*, plenè cæteris allegatis probat *Rovit. conſ. 103. n. 2. lib. 2.*, quia non prohibetur debitor in ejus præjudicium creditoris fidem ſequi.

Nihilominus in hoc nullum conſtituebam fundamentum, quia cum periculoſum ſit in materia uſuraria ſolius creditoris vel ejus confidentiarij fidem ſequi, dum ita de facili fraus uſuris fieri poſſet, atque cambium ſiccum exerceri, idcircò Rota nunquam hujuſmodi propoſitionem recipere voluit, ſed ſemper neceſſariam credidit juſtificationem per ipſa ſpaccia ſeù litteras ex deductis *dec. 636 apud Merlin. &* latius *dec. 132. par. 6. rec.*, atque hoc jure paſſim vivitur in Curia, in qua, præſertim in Rota rigoroſius fortè quàm par eſt in hujuſmodi materia proceditur, & habetur *in Romana pecuniaria de Benettis hoc eod. tit. diſc. ſequen.*

Eſt quidem verum, quod non requiruntur omnes litteræ acceſſus & receſſus, ſed iſtæ tantùm vul- 5 gò nuncupatæ *del ritorno* judicantur ſufficientes, cum aliæ ita per neceſſarium antecedens ſuppo-nantur, ut ſæpius eadem Rota firmavit *apud Merlin. d. deciſ. 636. num. 2. & 3. Rojas deciſ. 458. num 2. deciſ. 302. num. 2. par. 4 rec. deciſ. 274. num. 6. par. 5. deciſ. 171. num. 1. par. 7. Romana diſcuſſionis 26 Junij 1630 coràm Coccino*, cum alijs in prima hujus cauſæ deciſione *coram Meltio*, in qua favore creditoris prodijt reſolutio, ſub ea tamen conditione, quod dictæ litteræ receſſus jam exhibitæ deberent formiter recognoſci, ut poſt editam deciſionem, non ſine magno hujus partis incommodo, dum non agebatur de facto recenti, ſequutum fuit.

Super hac autem recognitione, in alijs diſputationibus habitis *coràm Otalora ſubrogato*, tàm an- 6 tè quam poſt deciſionem coram iſto editam, videbatur apud aliquos ex DD. non levis eſſe difficultas, ob aliquas exceptiones, quæ dabantur contra perſonas teſtium; Verùm inſpecta etiam veritate mihi difficultas non videbatur conſiderabilis, quoniam quæcumque exceptio, quam teſtes paterentur, ſanata ſeù ſuppleta remanebat ex multis circumſtantijs, quæ in reliquis Europæ partibus & Tribunalibus, etiam ſingulariter reputantur ſufficientes ad probationem, ut præſertim ſunt, libri mercatoris benè & mercantiliter tenti ex ſupra allegatis; Ideoque attenta etiam dicta rigoroſa opinione, ſufficere indubitanter debent pro adminiculis quamcumque exceptionem ſupplentibus, ut in ſpecie de libris unitis cum litteris habetur *apud Buratt. deciſ. 603. Merlin. d. dec. 636.* & practicatum fuit *in d. Romana cambij diſc.* 1. in qua ad ſpacciorum adminiculum *Rota coram Veroſpio* contenta fuit extrajudiciali relatione Periti, quod libri eſſent benè & mercantiliter tenti, quamvis in alia inſtantia *coram Priolo* opus fuerit illa exhibere, ut ibi.

Quinimò etiamſi iſtæ litteræ repertæ non eſſent, adhuc abſolutè dicebam ad juſtificationem ſuffi-cere tot adminicula inſimul unita; Quicquid enim 7 ſit, an ad realitatem cambiorum omninò neceſſaria ſint ſpaccia, vel illa poſſint alio modo probari, Admiſſa etiam prima opinione, quam conſtanter ſequitur *Rota*, ut ad ipſam realitatem omninò requirantur litteræ, Attamen quando illæ amitterentur, ſeù alias caſu perirent, præcluſa non videtur via, earum veritatem per alias probationum ſpecies juſtificare, etiam adminiculativas, ubi præſertim non agitur de facto recenti, ut in præſenti, dum agebatur de facto annorum triginta circiter, quoniam probatio alias quàm per litteras non percutit ipſa cambia eorumque realitatem, ſed percutit probationem ipſarum litterarum, *ut per Turr. in addit. add. 35. poſt ejus tract. litt. F.*, & ſentit *Rota apud Seraph. deciſ. 946. & deciſ. 710. num. 4. cum ſeq. par. 6. recent.*, Atque ubi non haberetur auctoritas, ſatis abundare videretur ipſa ratio naturalis, ubi præſertim agitur de facto potius antiquo quam recenti, ac de negocio jam finito per ſubſequutam ſolutionem, quo caſu etiam debitoris confeſſionem aliàs in hac materia non ſufficientem ex deductis *deciſ. 69 par. 9. recent.* paſſim recepta, ex adminiculis omninò admittendam eſſe, dicebam *in Romana pecuniaria de Benettis diſc. ſeq.*

Cum enim iſtæ litteræ confici ſoleant per parvas ſchedulas, atque ſequuta jam ſolutione, & ſic ſopito negotio, ut plurimum negligantur, ubi præſertim notabilis temporis ſilentium accedit, Hinc proindè poſſent infinitæ fraudes committi, atque totus mundus litibus involvi, dum debitores præſertim decocti, in quibus frequentius viget malitia & livor inexplicabilis contra creditores, ſeù ardens deſiderium redeundi ad priorem fortunæ ſtatum, Undè toti inſiſtunt in revolvendo cartas veteres, ita poſſent hujuſmodi litteras, quæ negliguntur, occupare ac lacerare, deindeque omnium cambiorum ſolutorum repetitionem cum nimia facilitate obtinere, quò nil abſurdius.

Ideoque occaſione iſtius & aliarum cauſarum, frequenter dicere ſolebam, me laudare quidem Rotæ zelum non ſequendi aliorum Tribunalium laicalium opinionem, ac praxim in deferendo ſuper cambiorum juſtificatione cum ſolis creditoris vel ejus confidentiarij libris, ſeù partium confeſſionibus, ob uſurarum fraudem; quæ ineſſe poteſt, ſed non videri commendabile adeò mordicus deſiderare litterarum exiſtentiam, præſertim in caſu dictarum circumſtantiarum, cum Rotæ opinio intelligenda veniat diſcretè ac ſpectato fine, ob quem illa tenetur, cum hoc non ſit ſacramentum aliàs non conficiendum niſi cum forma præfinita.

Adminicula verò quamplura in præſenti urgebant, etiam ſine litterarum exiſtentia omninò idonea, Primum nempè reſultabat ex libris benè & 8 mercantiliter tentis prædictæ celebris & probatiſſimæ rationis bancariæ, ſtante præſertim pacto, ut eis ſtari deberet; Si enim in ſenſu magis communis opinionis extra Curiam frequentius receptæ, iſti ſoli ſufficiunt ad probationem ut ſupra, multo magis ſufficere debent pro adminiculo, pro quo illi ſatis conſiderati fuerunt *apud Merlin. d. deciſ.*

*decis.636 Burat. dicta dec.603.num 6. decis.212.n. 1 post Zacch.de oblig.& sæpius in alijs.*

Secundò regiſtra ſeù ſcartafaccia, pro adminiculo etiam admiſſa *per Rotam deciſ.304 num.2 pa. 4.recent.deciſ 35.poſt Turr.& dicta deciſ.603. Burat n.3.*; Tertio ſolutio effectiva proviſionum facta dictis probatiſſimæ fidei negotiatoribus, conſpicua etiam nobilitate pollentibus, in quibus proindè præſumendum non erat delictum furti ſpeciem redolens, accipiendo proviſiones pro cambiorum giro & ſpacciorum tranſmiſſione cum formali retentione ſcripturæ, niſi prædicta omnia verè ſequuta eſſent; Quartò earumdem litterarum geminata productio judicialis, quæ facta in actis repereiebatur adverſus alios creditores quamvis poſteriores ab ipſo ſolutum avocare prætendentes, ſub prætextu, quod ſe non probaret creditorem, cum ſubſequuto exindè effectu, quod ſcilicet productis litteris prædicti creditores deſtiterunt; Et demùm non leve adminiculum reſultabat ex ipſa ſubſequuta ſolutione; Licèt enim iſta non ſit apta ad ſanandum uſuræ vitium, benè tamen apta reputanda eſt ad inducendum adminiculum veritatis crediti, cum non de facili præſumatur ſolutio ejus quod non debetur, ut in ſpecialibus terminis cambiorum ponderatum fuit *in Romana pecuniaria 14. Junij 1646. & 7. Junij 1647. coram Corrado quarum ſecunda eſt deciſ.74 num.29 p. 10. recent.*; Accedente potiſſimum longæva acquieſcentis annorum circiter 30. quæ omnia adminicula, ubi etiam ſingulariter conſiderata ſuas pati poſſent difficultates, rem in tuto ponere videbantur inſimul unita cum conſueta regula, *ut ſingula quæ non proſunt &c.*

9 Quoad tertiam oppoſitionem, totum conſtituebatur ex adverſo fundamentum *in Romana ſeù Florentina Cambiorum 3. Junij 1650. coram Corrado § Et Domini re maturè diſcuſſa* impreſſ.*dec.44.pa. 11.recent.*, ubi quod cedens poſt factam ceſſionem nullum jus amplius habeat in jure ceſſo, indeque inferebatur, quod non potuerint dicti negotiatores eorum nomine cambia girare, cumulando ad idem deducta per *Surd.conſ.21. num 36. Maſtrill deciſ. 143. num.12. Vameſ. conſ. 61. num 11. & num. 9. centur. 2.*; Verùm hoc ſatis leve videbatur fundamentum, quoniam dicta deciſio *coram Corrado* loquitur in caſu, quo mercator cedens, verè & realiter ab initio cambium contraxerat nomine proprio, itaut ſuum eſſet nomen debitoris, quod deinde in toto vel in parte alteri ceſſiſſet per viam formalis translationis dominij, iſtud à ſe abdicando, & in alium omninò transferendo, quo etiam caſu cedentis inhabilitas, ſeù prohibitio procedit in gratiam & favorem ipſius ceſſionarij, nè eo invito, vel in ejus præjudicium quicquam agere valeat, Atque iſtum effectum percutiunt allegatæ auctoritates, non autem ut ipſi aſſiſtat, ac jura ceſſa ad ceſſionarij commodum proſequatur & foveat, cum hoc nullibi prohibitum habeatur, neque debitoris ceſſi intereſſit, an cambij proſequutio ſub unius vel alterius nomine fiat; Et ex qua ratione paſſim habemus receptam propoſitionem, in prima præſertim hujus cauſæ deciſione firmatam, ſuper licita ſimulatione perſonæ.

Et licèt ſcribentes in contrarium ponderarent cambiorum curſum exerceri non potuiſſe per ceſ-
10 ſionarium tanquam Magnatem, & perſonam nobilem, eo modo quo exerceri poterat per mercatores ex deductis *per Otalor.de nobilit.c.5. par.2.n. 25 per text in l. nobiliores Cod. de commerc. & mercat.*, Attamen dicebam id procedere, quandò ageretur de illis uſuris, quæ ex more regionis tolerantur in ſolis mercatoribus ob mercantilem qualitatem, qua ceſſante, ceſſare dicatur cauſa proxima & immediata ipſarum uſurarum productiva tanquam conditio, ſinè qua non, ut practicatur in Hiſpanijs, ubi mercatoribus aliqua concedunturquæ privatis denegantur, ſecùs autem ubi agitur de cambijs, quę etiam ad favorem infantium mulierum, & quorumcumque privatorum exerceri poſſunt, quinimò & non improbabiliter etiam ad commodum clericorum, ut habetur *in Rom. Cambij de Biſcijs hoc eod.tit.diſc.18.*

Verùm in hac facti ſpecie omnis difficultas ceſ- 11
ſabat, quoniam non verſabamur in terminis cedentis & ceſſionarii juxtà caſum in allegata *deciſ. 44.par.11 recent*, itaut cambium ab initio ſubſtantiatum eſſet in dictis creditoribus, qui deindè illius dominium tranſtuliſſent in ceſſionarium, ut erat in caſu dictæ deciſionis, ſed in caſu diverſo, quoniam cedentes propriam pecuniam non crediderunt, neque proprio nomine, & ad proprium commodum, ſed ex tunc & ab ipſo initio alienum negotium ſub eorum ſimulato nomine geſſerunt, itaut ob non prohibitam perſonæ ſimulationem, actus ab initio ſubſtantiatus eſſet cum illo, ad cujus commodum, & de cujus pecuniis initus eſt; Illa verò, quæ per modum loquendi ſeù explicandi veritatem dicitur ceſſio triduò poſt à dictis negotiatoribus facta; revera non eſt ceſſio translativa faciens operationem immutandi perſonam creditoris, ac transferendi nominis ceſſi dominium ab uno in alterum, ſed potius eſt recognitio veritatis, & bonæ fidei pro cautela commodatarij, declarando id quod ab initio geſtum eſt, ad effectum ſcilicet nè tractu temporis ipſorum negotiatorum hæredes, vel creditores illi controverſiam movere poſſent, undè propterea *di dec 44.par.11.*, penitùs extranea erat à caſu; Aliud enim eſt cedere, ac de novo diſponere, aliud verò eſt declarare, quoniam qui declarat nil facit de novo, nec diſponit, ſed tantùm quid jam ab initio factum ſit, vel inſit aperit, ad inſtar excutientis grana à ſpicis, quo exemplo utitur *text. in l. adeò 7. §. cum enim grana ff de acquiren.rerum dominio*, Undè propterea receptum habemus, quod donator, vel alter contrahens, qui non poteſt retractare actum, attamen poteſt declarare, ut pluries in ſua materia *ſub tit. de donationibus.*

Demùm quoad quartam & ultimam objectionem novæ ſpecialis interpellationis pro faciendo tranſire cambia ex limitatis ad currentia; Scribentes pro debitore conſtituebant fundamentum *in Romana Cambiorum 3. Julij 1618. coram Manzane-* 12
*do*, cum qua proceſſum fuit *in Rom. cenſus 3. Apr. 1655. coram Dunozetto*, in quibus firmatur, ut ultra eam primam intimationem, quæ neceſſaria eſt, ut creditor in mora debitorem conſtituat, atque in ejus damnum ſumere poſſit pecuniam ad intereſſe ubi etiam à debitore creditori in certum eventum conceſſa eſſet facultas capiendi pecuniam ad cambium, adhuc altera intimatio requiratur, per quam debitor certificetur creditorem uti velle ſibi conceſſa facultate, illumque ponendum eſſe ſub gravioribus uſuris, quaſi quod alias credere potuerit eum non eſſe tali facultate uſurum, juxtà ea, quæ in propoſito intimationis diſtinguendo plures caſus, habentur ſupra *in dicta Romana Cambiorum diſcurſu 2.*

Sed pariter hoc fundamentum nullius roboris videbatur, cum deciſio *in Romana Cambiorum 3. Julij 1618. coram Manzanedo* ſit in ſuo caſu

vera,

vera, cum aliquo tamen æquivoco intellecta *in dicta Romana Census coràm Dunozetto*, quæ est in causa, de qua *hoc eod. tit. disc. 16.*; In dicta siquidem prima decisione *Manzanedi*, quæ est hujus conclusionis originaria & magistralis, agebatur de conventione inita inter Capitulum S. Mariæ in Via
13 lata, & quemdam afflictuarium casalis, seù aliorum bonorum ejusdem capituli, ut in eventum in quem conductor, seù afflictuarius prædictus pensiones statuto tempore non solveret, licitum esset Capitulo in ejus damnum capere summam æquivalentem ad cambium & recambium, Unde agebatur de faciendo transitum de uno contractu ad alterum, ac de una specie debiti ad aliam, quia dum ille erat debitor pro pensionibus, & sic pro debito non usurario, ita fiebat debitor pro cambio, & sic pro debito usurario, & à communiter contingentibus damnoso, & in hoc dicebam, quod benè id pro ederet ex dicta ratione credulitatis quam debitor habere potuit, quod creditor usurus non esset sibi concessa facultate, quodque si scivisset, curasset celeri, ac prompta solutione hoc damnum evitare: sed hoc nil commune habet cum casu controverso quoniam in jure non habetur distinctio cambij limitati à cambio currenti, ita ut contingat dari dictam debiti transmutationem, seù transitum de una debiti specie ad alteram, sed unum & idem est cambium reale, à sicco solum contradistinctum, per quod de sui natura currit interesse eventuale resultans à valore aggij, & ab expensis provisionum ut in præcedentibus deductum habetur.

Limitatio autem dicti interesse, ob quam vulgò dicimus cambium limitatum contradistinctum à currenti, non continet diversam naturam contractus, seù cambij, sed est quædam remissio, seù condonatio, quam creditor debitori facit de eo pluri, quod interesse prædictum importare posset, quia nempè eventualitas faceret, ut cambiorum intersuria ascenderent ad decem pro centenario, quæ integra creditor licitè exigere posset, contentatur tamen ex eis remittere partem, solùmque exigere ad quinque vel sex &c. juxta casum *text. in l. pecuniæ 9. §. 1. ff. de usuris*, ubi explicitè habetur licitum reputari pactum, ob quod creditor ex usuris aliàs licitis & debitis remittat debitori partem sub certa conditione, qua non impleta intendit exigere totum; cum in casu contraventionis nil illicitum fiat, neque aliqua debitori injuria inferatur, sed solùm auferatur illud beneficium, quod creditor poterat non facere, ac alias non nisi sub ea conditione facere voluit, & sic non est neque pœna, neque subjectio rigorosioribus usuris, seù transmutatio crediti de una specie ad alteram, sed solùm subtractio beneficij, seù resolutio donationis ob non implementum juxtà terminos *text. in l. 1. Cod. de condit.*, *quæ sub mod.*, & habemus frequens in materia pensionis Ecclesiasticæ juxtà casum, de quo *apud Buratt dec. 528. & 617* & habemus praxim quotidianam; Frequenter enim pensionarii commiserantes Titularibus, desiderantes tamen punctualem solutionem illius ratæ, quæ convenitur, condonant pensionis partem, sub lege & conditione solvendi in ipsa die cuiuslibet cedentis termini, aliàs quod reductio habeatur pro non facta, sed integra pensio debeatur, & hic est casus; Unde propterea huius præcisi pacti validitatem & observantiam tanquam absolutam habuit *Rota in Romana Cambij 14. Februarij 1618. coràm Peuting.*, cum qua processum fuit in dictis huius causæ decisionibus, atque ita passim practicatur, cum nulla videatur urgere ratio, quæ prohibeat.

Licèt enim Curia Romana non admittat illa pacta rescissoria, quæ in Regno practicantur in contractibus censualibus, ut debitore deficiente à solutione fructuum, quos ibi *tertias* vocant, per duos vel tres terminos liceat rescindere contractum, ac repetere etiam sortem, ex ijs, quæ de hoc non semel habentur in sua materia *sub tit. de Censibus*; Nihilominùs hoc provenit à *Bulla Pij V. de censibus*, per quam irritantur omnia pacta sortis repetitionem invito debitore inducentia, Sed cessante lege particulari, quæ id prohibeat, nil remanet prohibitivum, quoniam qui potest non donare, vel non remittere, prohibendus non est, donationem vel remissionem facere sub conditione certi implementi & non aliàs, quoties exindè usuris fraus non resultet, neque aliquod illicitum à suffocato debitore extorqueatur.

Præterea quatenus ad prædictas duas ultimas oppositiones pertinet, mutationis scilicet personæ creditoris, ac transmutationis quantitatis cambiorum, neutra ipsarum percutiebat cambij substantiam, seù validitatem, quoniam si ab initio illud initum esset directè & immediatè cum hoc cessionario, seù commodatario absque aliqua limitatione, sed sub conventione cambiorum currentium, absquè dubio, data realitate cum requisitis *Bullæ Pij*, actus esset licitus, unde totus defectus consistit in deficiente voluntate debitoris mandantis, non autem in intrinseca infectione ipsius actus, quo posito, de plano resultat per contrariam voluntatem 14
ipsiusmet debitoris hujusmodi defectum remanere sanatum, quoniam ex ijs quæ habentur *in Romana pecuniaria pro Benettis discur. seq.*, *& in Ravennaten., seù Faventina Cambij discurs. 12.* confessiones vel alia facta partium nullius operationis reputantur ad sanandum intrinsecum defectum resultantem à juris dispositione, supplendaque illa requisita, quæ lex desiderat pro tollenda usura, quam intrinsecè malam & illicitam, partium confessio, vel aliud factum reddere non potest validam & licitam, Secus autem in ijs, quæ non illicita nec prohibita, prætenduntur indebita ex deficiente voluntate contrahentis, quoniam istius diversa agnitio, vel declaratio hunc defectum tollere potest; Et hic erat casus, dum debitor integrum debitum jam agnoverat & solverat, atque præsens disputatio percutiebat solùm reintegrationem illius ratæ solutæ, quam creditor anterior avocaverat.

---

# ROMANA
## PECUNIARIA
## DE BENETTIS
## PRO
## BENETTIS
## CUM
## NIGRONIS.

*Casus decisus per Rotam pro Nigronis.*

**De justificatione cambiorum jam solutorum, An fieri possit per confessionem, aliaque adminicula, & aliàs quàm scripturarum ipsarum litterarum, seù spacciorum, quomodo & quando.**

SUM-

## SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quod ad justificationem cambiorum requiratur scriptura litterarum, & non attendantur libri creditoris, vel confessiones debitoris.*
4 *Solutum in causa cambiorum, non data justificatione, imputatur ipso jure in sortem.*
5 *Scriptura, si non existit; potest aliundè ejus existentiæ probari.*
6 *Quando probatio requiratur magis exacta, & quandò non, & quod non sit deferendum confessioni debitoris, & de ratione.*
7 *Confessio potius auget suspicionem.*
8 *Deferendum est tali confessioni, ubi concurrunt adminicula.*
9 *Recensentur adminicula, ex quibus deferendum est confessioni.*
10 *Quando dicatur agi potius de repetitione usurarum indebitè solutarum per viam repetitionis indebiti.*
11 *Ubi debitor suscepit in se onus cambiandi, debentur cambia, etiam sine spaccijs loco damnorum, & interesse.*

## DISCURSUS VII.

1 DE anno 1627. Antonius Benettus dedit ad cambium limitatum novem pro quolibet centenario, & anno fratribus de Nigronis Bergomensibus in Urbe mercatoribus fundacalibus scut. 2700., in quo contractu continuatum fuit usque ad annum 1651., quando defuncto interim Antonio, cum ejus filiis & hæredibus, fortè pupillis, vel minoribus, eorumque administratoribus, prævia computorum solidatione super cambijs decursis & solutis, cum explicita debitorum confessione, quod recognovissent spaccia benè tenta per campsorem ad id deputatum, deventum est ad novam conventionem dupliciter innovativam, Primò quia cambia reducta fuerunt ad sex pro centenario, Et secundò quod ipsimet debitores assumpserunt in se onus, & curam cambiandi, dum in prima id datum erat in mandatis ipsi creditori mediante campsore tunc deputato; Cum autem de anno 1665. Benetti pulsarent debitores ad restitutionem sortis, istis opponentibus de illius extinctione cum cambijs solutis ab anno 1627. ad 1651, stante quod non constabat de litteris, seù spaccijs eorum realitatem justificantibus, Hinc introducta causa coram A. C. seù Prælato deputato ab isto relaxatum fuit
2 mandatum executivum, sed commissa per Signaturam causa appellationis *in Rota coràm Albergato*, cum clausula *si quid exequendum*, assumptaque disputatione super dubio ex ejusdem rescripti ventre resultante, *An mandatum esset exequendum, sub die 28. Januarij 1669.* negativa prodijt resolutio pro rata, quam importarent cambia, quæ justificaretur soluta, & de quorum realitate per literas, vel spaccia non constaret.

Resolutionis fundamentum fuit, quod juxtà opinionem hodie in Rota & Curia receptissimam,
3 juxta pluries firmata præsertim *dec. 69. par. 9. rec. n. 27. & seqq.*, rejecta opinione contraria, quam latè tuetur, ac veriorem probat *Rovit. cons. 103. lib. 2. ubi cæteri*, ad justificationem realitatis cambiorum necessaria est scriptura consistens in litteris, quas vulgò *spaccia* dicimus, saltem redditus, quas vocamus *del ritorno*, quæ præsupponunt illos accessus, vulgò *dell'andata*, non autem attendun-
tur partium confessiones, vel creditoris libri & notulæ, quibuscumque pactis, & conventionibus non obstantibus, quoniam in materia suspecta de usura deferendum non est partium confessionibus & pactis, ob fraudes, quæ alias usuris fieri possent, cum suffocatus debitor ex eadem ratione, ob quam usuras promittit fateatur etiam ea, quæ fœnerator affectat pro usurarum justificatione, ut frequenter etiam habetur in alijs *hoc eod. tit.* dum est principium hodie in Curia absolutum, atque hoc jure passim vivitur; Pariterque receptum & absolutum est alterum principium, de quo *d. dec. 69. par. 9.*, & pluries *sub tit. de usur.* præsertim *in Savonen. & in Baren. disc. 12 & 17.* quod solutum in causam cambiorum, vel usurarum, non data legitima justificati- 4
one imputatur ipso jure in sortem, illamque extenuat, atque non intrant termini repetitionis indebiti juxta alteram opinionem in Curia reprobatam, cum distinctione, de qua *d. disc. 12. & 17. sub tit. de usur.*

Non negabam ego scribens pro creditoribus dictas conclusiones, utpotè receptissimas, dum aliàs in Curia esset contra stimulum calcitrare, Dicebam tamen posse simul stare, spaccia realiter intercessisse, eaque tamen tractu temporis, stante solutione & computorum solidatione, neglecta & perempta, posse per alias probationis species justificari, ac etiam per adminicula, ut in specie *decis. 70. n. 2. cum seq par. 6. rec. Turr in add. ad dec. 33. post ejus tract. de camb lit. F.* cum aliis de quibus *discursu. 5*
*præcedenti.* Et habemus generaliter in quacumque scripturarum specie etiam in publicis instrumentis, vel privilegijs, quod eorum tenor vel testes, seù alias justificari potest ex deductis in *Aprutina jurisdictionis sub tit de jurisdict. disc. 11. & sæpius*; nam aliud est scripturam esse necessariam, itaut ea non accedente, aliæ species probationis non attendantur, Aliud verò illam intervenisse, ejusque interventum, aliundè justificari, quod in eadem decisione Rotæ admittitur, sed dicitur desiderari aliquam meliorem probationem, vel ex libris correspondalis, vel per testes qui litteras viderint, sivè alias quam per libros & confessiones partium, itaut tollatur occasio fraudandi legem, ac exigendi cambia sicca non habentia realitatem requisitam ex *Constit. Pij V.* undè propterea quæstio erat potius facti, quàm juris, circa quam, certa & determinata regulari non potest, neque de facili judex redargui valet de injustitia, cum in ejus arbitrio repositum sit an præsumptiva, seù conjecturalis probatio sit sufficiens necnè.

Pro meo tamen judicio, reflectendo etiam ad solam veritatem, resolutio nimium rigorosa visa est quodque probatio esset sufficiens quoniam non agebatur de probatione facienda debitore reluctante, ac negante, aliudque ipsius debitoris fa- 6
ctum non habente, nisi illud agnitionis debiti mediante solutione juxta casum, de quo *disc. præced.*, cum tunc rectè intret ratio ponderata *d. decis. 69 par. 9. rec.* & pluries sub *tit. de Usuris*, quod scilicet debitor magis coactè, quam voluntariè usuras solvere dicitur, nè alias ad restitutionem sortis suffocetur; Sive quod sibi expediat ita cum diminutis solutionibus à debito se liberare, undè sciens & prudens ita abdormitando creditorem simulet, ac dicat solvere in causam cambiorum, vel usurarum, in quibus terminis cadit difficultas, quæ non cadebat in præsenti, dùm in hac facti ipecie confessio debitorum erat explicita super ipsis spaccijs, seù litteris, quod scilicet illas vidissent & recog-

recognoviſſent, undè caſus erat diverſus ab eo, de quo *in d. dec.* 69. & in alijs ſimilibus.

Et quamvis etiam hæc ita explicita confeſſio ſola & de per ſe non ſufficeret, nè alias lex diceretur impoſita potius verbis, quam rebus, cum callidus fœnerator à ſuffocato debitore iſtam cautelam affectatè extorquere poſſet, Quinimò ut advertitur *in d. Savonen. ſub tit. de uſuris diſc.* 12. ubi eſt ſola, potius argumentum eſt malæ fidei, ac majoris calliditatis & depravati animi, reddendo ita inconvincibilem uſuram, Ad inſtar illius captioſæ & fraudolentæ cautelæ, quam tutores & adminiſtratores ab inexpertis juvenibus extorquere ſolent mediante confeſſione conſignationis librorum & ſcripturarum, quod ſcilicet apud peritum judicem, ubi dictæ confeſſionis, alia adminicula non concurrunt, potius comprobare debent ſuſpicionem magis circumſpectè procedendi; Ac etiam quia in materia uſuraria dicta & facta partium attendenda non ſunt, neque juſtificari poſſunt, atque licitas reddere uſuras aliàs illicitas, Attamen id procedit ubi confeſſio eſt ſola, ſecus autem concurrentibus adminiculis, ex quibus generaliter defertur confeſſionibus etiam in prohibitis, Ut habemus de confeſſione tutoris adminiculata præjudicante pupillo, confeſſione Prælati præjudicante Eccleſiæ, & frequentius de illa viri ſuper recepta dote in fraudem prohibitæ donationis; cum ſimilibus, ideoque pariter remanet quæſtio potius facti quàm juris, circà vim & efficaciam adminiculorum; Et in hoc juxta generalem regulam omnium conjecturalium, certa & determinata deciſio, ſeu regula dari non poteſt, ſed totum pendet à ſingulorum caſuum particularibus circumſtantijs prudentis judicis arbitrio diſcretè penſandis, præſertim attenta qualitate perſonarum, & an urgeat ſolum ſuſpicio legis, vel etiam concurrat ſuſpicio hominis & ſic circa probitatem, vel improbitatem creditoris & ſimplicitatem, vel peritiam debitoris cum ſimilibus, ex quibus reſultet veriſimile, vel inveriſimile, quod in hac materia totum facit, ut frequenter ſub titulo de dote in materia dotis confeſſatæ.

Applicando autem ad rem, nimium veriſimilis videbatur iſta confeſſio, nimiſque urgentia pro meo judicio videbantur concurrere adminicula, præſertim verò tria efficaciſſima; Primò ſcilicet qualitas ipſorum debitorum, qui erant viri diligentiſſimi, & ſagaces in iſta cambiorum materia valdè periti; Secundò, quia dicta confeſſio facta non fuit cum ipſo principali creditore, qui pecuniam dederat, undè propterea obſtare poſſet illa erubeſcentia, ſeù lex convenientiæ, quæ dari ſolet inter mercatores & negotiantes, ſed fuit cum ejus filijs & hæredibus pupillis, vel minoribus, in quibus non cadebat ſuſpicio calliditatis; Et tertiò, quia in ipſis debitoribus non cadebat illa potiſſima ratio, quæ deſuper conſiderari ſolet, timoris ſcilicet, nè alias à creditore ſuffocaretur ad reſtitutionem ſortis, ſed ita commoditatem haberet paulatim & cum diminutis ſolutionibus reſtituendi, quoniam ſi verè ſpaccia non interveniſſent, cambia ſoluta ab anno 1627. ad 1651. ad rationem novem pro centenario jam exuberanter ſortem extinxiſſent, undè propterea ſagaces & diligentes debitores non neglexiſſent de ſatisfactione opponere, Neque dici poteſt, quod urgeret timor ſuffocationis, ob quem debitores inducuntur, quamvis inviti ad facienda pacta & confeſſiones præjudiciales.

His autem ſpecialibus accedebant quoque plura adminicula generalia reſultantia ex taciturnitate debitorum vivente creditore informato, ut ponderatur in propoſito præſumptæ ſolutionis apud *Merlin. dec.* 124. *num* 21., Secundò, longævum ſilentium, Tertiò, præſumptio quæ aſſiſtit ſolutioni voluntariæ & reſiſtit indebito, ut in ſpecie fructuum cambij ſolutorum *deciſ.* 74. *par.* 1. *rec. in fin. dectſ.* 199 pariter *in fine*, poſt *Zacch. de oblig. cam.*, Et quartò, quod conſtabat de ſolutione pro certo tempore mercedis, cuidam Pagnino ſcripturali ab initio deputato ad retentionem ſcripturæ & girum cambiorum.

Ac etiam ponderabam, quod ſtante dicta novatione ſequuta de anno 1651. ob quam ex juris fictione cenſetur primum debitum ſolutum, atque alterum de novo initum, intrare videbatur diſtinctio, de qua in allegatis *Savonen. & Barcp. ſub tit. de uſuris diſc.* 12. & 17. an ſcilicet ageretur de probatione indebitæ ſolutionis uſurarum ad effectum obtinendi liberationem à debito mediante imputatione ipſo jure, aut ad effectum repetendi indebitum, & hoc ſecundo caſu perfecta & concludens probatio indebiti requiratur, & non intrent ea, quæ circà imputationem firmantur *d. dec.* 69. *par.* 9. *recent*, cum ita non eſſet allegare imputationem pro liberatione ab ipſo debito, in cujus cauſam cambia ſoluta fuerunt, ſed velle repetere mediante retentione alterius debiti diverſi, quod tunc videbatur continere acumen & advocatorum ſubtilitatem, dum attenta veritate erat idem debitum, ita ſolum novatum pro minorati ne uſurarum, & pro transfuſione oneris cambiandi in debitorem, quod in ſtricta juris cenſura importat quidem novationem, & ſucceſſivè ſolutionem fictam & intellectualem, ſed attenta naturali veritate erat idem debitum, quod continuabat.

De curſu verò cambiorum à dicta novatione citra nulla fuit habita dubitatio, quamvis non conſtaret de realitate ſpacciorum, cum hodie receptiſſimum ſit, ac extra controverſiam, debitorem teneri ad cambia ſi non tanquam cambia, tanquam damna & intereſſe ob non initum mutuum ab eo ſuſceptum, ut pluries alibi *hoc eod. tit.*, & in dicta hujus cauſæ deciſione.

---

# ROMANA

## CAMBIORUM DE SABELLIS

## PRO

## PRINCIPE SABELLO

## CUM

## HÆREDIBUS PETRI FRANCISCI BUSSI.

*Diſcurſus in congreſſu pro directione.*

**De cambiorum debito etiam abſque ſpaccijs, eorumque juſtificatione loco damnorum & intereſſe, ob cambiandi onus aſſumptum per debitorem per ſeipſum, vel perſonam ab eo deputatum, & quando id procedat.**

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti ſeries.*

2 *Diſtinguitur contractus cambij, quot contractus, vel ſpecies ſub ſe contineat, & de differentia inter unam ſpeciem & alteram.*

3 De

3 *De differentia quando ipse creditor cambiat, & quando deputatur mercator, & cujus damno cedat mercatoris negligentia.*
4 *De alia differentia quando mercator deputatur à debitore, & quando à creditore.*
5 *Ubi debitor suscipit in se onus cambiandi debentur cambia etiam sine spaccijs, eorumque cursu.*
6 *Quando debeantur fructus fructuum, & non obstet anathocismus.*
7 *De commodo resultante, debitore suscipiente dictum onus.*
8 *Quando dicatur servata una, vel alia forma, & an utraque simul stare possit.*
9 *In dubio qualis intellectus capi debeat pro interpretatione, an onus cambiandi sit debitoris, vel creditoris.*

## DISCURSUS VIII.

1 PRINCEPS Berardinus Sabellus de anno 1642., mediante eius speciali procuratore, accepit ad cambium à Petro Francisco Bussio Scuta 1500. juxtà frequentiorem formam cambij obliqui, id est quod indigens pecuniis acceptis pro aliis ejus usibus, facultatem dedit creditori æquivalentem summam accipiendi ad cambium & recambium in ejus damnum, pro cuius diminutione, circà provisiones campsori, seù scripturali dari solitas, conventum extitit, quod ipsi debitori liceret nominare, ac deputare mercatorem, seù scripturalem, qui girare deberet super cambiis pecuniam, quam Bussus creditor declaravit accipere velle, ac girari facere, ut de facto debitoris procurator deputavit quemdam Dominicum de Rubeis, seù ejus deficientis loco alterum, Undè cum, vel ex eius dicti scripturalis deputati morte, vel alio impedimento, de facto spaccia transmissa non essent, minusque tenta scriptura juxtà requisita pro cambiorum realitate ad præscriptum *constit* 118. *Pij V.* necessaria, post annorum 20. decursum, prætendente creditore, seù eius interim defuncti hæredibus consequi cambia importantia scuta sex mille & ultra, obtentoque ab A. C. contra Principem Iulium Sabellum dicti Principis Bernardini filium & hæredem inauditum, & indefensum mandato, in hoc statu controversia concorditer in duos benevolos compromissa fuit, Atque his aliquam dubitationem excitantibus contra Sabellum, quasi quod ejus pater in se assumpsisset onus cambiandi, quo casu ob non impletum susceptum mandatum, etiam sine spacciorum justificatione ille tenetur ad cambia non tanquam cambia, sed tantum damna & interesse juxta decisionem *in Rom. pecuniaria dec. 7. post Salga.* passim receptam in Curia, ubi circumfertur tanquam magistralis; Hinc convocato per dictum Sabellum Advocatorum congressu pro eruenda veritate, in hoc sensu discursum edidi, in quo licèt concluderem probabilius pro debitore respondendum videri, adhùc tamen oretenùs in ipso congressu dicebam punctum non esse omninò planum, sed aliqua honesta concordia dignum, quam etiam ex rationibus convenientiæ consulebam, atq; in hoc statu, adhuc indeterminato ex aliquibus impedimentis controversia reperitur, discursus autem tenor est.

Pro congrua & plana huius controversiæ resolutione, constituenda prius est juris theorica, quam in magis communi ac recepto sensu DD. & Rotæ habemus in hac materia, deindè verò videndum de illius applicatione ad factum.

Quicquid ergò sit de cambio directo, in quo unus tantum consideratur contractus, quem aliqui dicunt permutationis, alij emptionis & venditionis, alij mandati, alijque alias tenent opiniones, de quibus ad nos inspicere non pertinet, quia non sumus in casu.

Quatenùs pertinet ad cambium obliquum practicatum inter privatos, campsoriam artem seù mercaturam formalem non exercentes. Et de quo est casus nostræ quæstionis, in eo plures contractus intervenire ac actus geri dicuntur, atque sub diversis formulis concipi solent.

Primò etenim intervenit cõtractus mutui, quoniam debitor indigens pecunijs, eas suscipit non 2
pro eis cambiandis per nundinas vel plateas, sed pro eas erogando in dissolutionem æris alieni vel pro aliis eius occurrentijs, ut in præsenti factum est, undè hic primus actus dationis & respectivè susceptionis pecuniarum, aliud non importat nisi purum & simplex mutuum.

Secundò, quando contrahitur juxtà formulam magis antiquam & consuetam, accedit secundus contractus mandati, quod mutuarius præbet mutuanti, ut ab alijs, vel à se ipso tamquàm tertio suscipiat ad cambium & recambium ad ipsius mandantis damnum & interesse æquivalentem summam, ex qua mutuans de mutuo se reintegret.

Tertiò accedit contractus cambij, quod scilicèt creditor volens prædicta facultate uti, ac mandatum in rem & utilitatem propriam sibi concessum ad exercitum deducere, tamquam mandatarius debitoris suscipit ab aliquo mercatore vel etiam à seipso tanquam à seipso tanquàm tertio dictam æquivalentem summam ad cambium; Et iste contractus omninò ad exercitium seù perfectionem deducendus est, aliàs secundus contractus nullius est operationis, quià potest creditor nolle uti sibi concessa facultate,

Quartò demùm, his peractis, necessaria est transmissio ac respectivè giratio seù circulatio spacciorum cum formali & mercantili retentione scripturæ, cum sine spacciorum realitate dari non possit cambium reale, unde tertius contractus sinè isto quarto actu nullius remanet operationis, cum aliàs esset cambium siccum juxtà *Constitutionem Pii V.* 118.

Iste quartus actus, quando creditor exercet artem campsoriam, seù alias est mercator & scripturalis, ab ipsomet explicatur, ut practicatum fuit in *Rom. cambii prima Jul. 1658. Meltio, confirmata 24. Martii 1664. coràm Otalora* de qua supra *disc. 6, & in Romana cambiorum 10. Martii, & 4. Decembris 1662. & 28. Ianuarii 1664. coràm Verospio,* de qua supra *disc* 1. & 2. & in quibus ultimis optimè & magistraliter considerantur dictæ quatuor ac etiam quinque personæ diversæ in creditore, Una scilicet mutuantis, Altera mandatarij, Tertia suscipientis pecuniam ad cambium, Quarta campsoris dantis talem pecuniam, Et quinta scripturalis transmittentis spaccia, eaque consertantis & circulantis.

Quando verò creditor non est mercator seu scripturalis tunc dictus quartus actus explicatur ab aliquo mercatore seù scripturali, super quo diversimodè contrahi solet, Quandoque enim datur eidem creditori facultas illam eligendi, ac pro libito deputandi & variandi, Quandoque verò ipse debitor pro majori eius indemnitate; ac minori interesse circa provisiones eligit ac deputat mercatorem seù scripturalem prædictum.

Differentia inter istos duos casus deputationis

mercatoris seu scripturalis, consistit in periculo negligentiæ scripturalis prædicti non benè suum officium exercentis seù deficientis absque alterius subrogatione, quia si deputandus est per creditorem, in istius damnum dicti deputati negligentia vel deficientia cedit, ob quam respectivè cesset realitas spacciorum, sine quibus cambia non currunt, dicitur enim tali casu, quod mala electio est in culpa, atque sibi imputet creditor cur minus diligentem deputaverit, seù in locum deficientis alterum non subrogaverit; Et econverso ubi debitor suscipit in se deputationem ac operam dicti mercatoris seu scripturalis, ex eadem suprædicta ratione illius est damnum ob non transmissa spaccia, & non retentam benè scripturam, unde tenetur ad cambia, non tanquam cambia, sed tanquam damna & interesse ob non impletum mandatum ab ipso susceptum, ex eadem ratione, ex qua ad eadem damna & interesse teneretur, quando ipsemet debitor susciput in se totale onus cambiandi, juxta casum in notissima *Romana pecuniaria*, quæ est *septima post Salgad. in labyrint.* cum concordantibus.

Atque unius vel alterius formulæ effectus con-
4 sistit in utilitate seu respectivè minori interesse, quia quando id remissum est creditori, istius est utilitas provisionum, quas scripturales & correspondentes, modica mercede contenti, ipsi creditori condonant, undè cambia ratione dictarum provisionum sunt altiora, & Rota id sæpius approbavit, præsertim *in allegata Romana cambiorum coràm Verospio, de qua disc. 1. & 2.*, Et econversò quando deputatur per debitorem, hic sentit illud minus incommodum dictarum provisionum, quæ sibi à scripturali deputato, aliqua modica mercede recepta, condonantur.

Altera contrahendi formula est, quod præcedit primus contractus mutui, & deinde pro mutuantis revelatione mutuatarius suscipit in se omnimodum onus accipiendi pecuniam ad cambium, eamque cum debitis spacciis per se ipsum vel per mercatorem vel scripturalem ab eo deputandum girandi, itaut totum cambij negotium sibi incumbat, ut est propriè casus *in dicta Romana pecuniaria* quæ est *septima post Salgad.*, & in aliis concordantibus.

Et tunc etiamsi spacciorum cursus realis non
5 interveniat, debentur creditori cambia non tanquàm cambia, sed tanquam damna & interesse, non quidem ratione mutui vel retentionis pecuniarum mutuatarum, sed non adimpletum susceptum mandatum, cuius actione mandatarius tenetur mandanti, ad quanti interest illud esse impletum.

Eo modo, quo habemus in suscipiente mandatum ad investiendam aliquam pecuniam in dies maturandam in loca montium ad formam multiplici, quia licèt in jure sit damnatissimus anathocismus, atque juxta veriorem sententiam à Romana
6 Curia receptam, nunquam dentur usuræ usurarum seu fructus fructuum ex deductis per *Merlin dec.* 409. aliàs 301. *pa. 5 rec.* & latè *Andreol. controu.* 210. Nihilominus ita rectè dantur fructus fructuum investiendorum ad formam multiplici, non ratione debiti seu moræ in non solvendo, sed ob non impletum susceptum mandatum, ut *in Romana multiplici* 18 *Martij* 1654. *coram Meltio*, & in aliis præcedentibus in eadem causa editis *coram Pirovano in dicta decisione enunciatis*, quarum aliquæ sunt impressæ *par. 4. rec. tom. 2. decis. 85. & dec. 688. par. 4 tom 3. cum similibus*,

Juxtà quam secundam formulam, licèt debitor gravetur onere prædicto, itaùt etiam sine spaccijs contrà eum currant cambia, relevatur tamen ab expensis seù interesse provisionum debitarum scripturalibus & correspondentibus, quia de his ratio non habetur, sed solùm de eo, quod importat aggium auri seù monetæ de una specie ad aliam, in 7
quo aggio juxtà pretium quod currit in illis nundinis & in platea, verè & propriè consistit interesse cambij, quod quandoque potest nullum adesse, sed potiùs lucrum debitoris cum diminutione sortis Principalis, & cuius periculum unicè salvat istum contractum, quarum provisionum interesse currit in alio casu, in quo creditore suscipiente curam girandi verè currunt spaccia.

Posita ista theorica, quæ (nisi eam alteret aliqua moderna opinio mihi ignota), videtur hodiè in foro passim recepta, totus controversiæ punctus est applicationis & facti, in quo scilicet casu, vel contrahendi formula ex præmissis versemur, an in primo vel secundo; Si enim versaremur in secundo, contra debitorem pro cambiorum cursu respondendum esset; Si verò in primo secùs; dum supponitur spaccia non fuisse transmissa, neque illorum realitas iustificatur.

Tenor autem instrumenti ad oculum ostendere videtur nos versari in primo non autem in secun- 8
do casu, ibi, *Interim verò quia D. Bussus non est solitus &c. Ideo liceat & licitum sit d. D. Bussio totidem summam accipere ad cambia & recambia &c.*, totusque successivus instrumenti contextus, hoc themate retento, continuat in clausulis & cautelis concernentibus exercitium huius facultatis vel mandati concessi ipsi creditori absque eo quod nullibi legatur debitorem in se suscepisse onus vel curam inveniendi vel capiendi ab aliis ad cambium dictam æquivalentem summam ut ex lectura, quæ sola dirimere videtur quæstionem.

Admitto siquidem utrumque posse simul stare, quod scilicèt debitor dictum onus seù curam in se assumpserit, & nihilominùs creditori etiam volenti ipso debitore negligente detur hæc facultas itaùt utraque formula in eodem instrumento contineatur, compatibiliter tamen & subsidiariè non cumulativè, sed difficultas est in facto, cum id procedat, quando utrumque legitur in conventionem deductum, secùs ubi solum contractum fuit juxtà primam formulam, quia nullo pacto subintelligi potest secunda, atque in hoc est punctus hujus controversiæ.

Non obstat, quod in eodem instrumento vers. *Et quoniam dicti Cattulus & Lavaianus, &c.* debitor seù ejus procurator ex conventione præcedenti deputaverit mercatorem Dominicum de Rubeis, quoniam eiusdem instrumenti lectura evidenter ostendit hanc deputationem fuisse pro retentione spacciorum, retentione Scripturarum, & manutentione cursus seù giri juxtà stylum & usum mercantilem, quod etiam clarè repetitur, quando in casu deficientiæ dicti Dominici convenitur de deputatione alterius mercatoris.

Et sic ista conventio non alterat primum modum seù formulam mandati suscepti per ipsum creditorem, sed præsupponendo secundum & tertium contractum, de quibus suprà, percutit solùm quartum actum suprà explicatum, ut scilicèt mercatoris seù scripturalis deputatio non ab ipso creditore fiat sed à debitore.

Hoc autem respicit executionem seù exercitium & cursum tertii contractus cambii jam initi, sed non percutit ipsum contractum, qui de necessi-

tate per creditorem tanquam mandatarium fieri debet inveniendo pecuniam, eamque capiendo ad cambium, cujus successiva requisita deinde incumbant mercatori, nunquam vero legitur attributa ipsi mercatori facultas inveniendi & sumendi pecuniam, ac faciendi dictum contractum, undè istud creditoris fundamentum verè nullam subsistentiam habere videtur.

Et illa verba (*qui pecunias ad cambia & recambia sicut ipsi retulerunt, accipere velle declaravit,*) absolutè referenda veniunt ad ipsum creditorem, ut ostendit ad oculum non solùm ipse sensus grammaticalis, sed etiam totus contextus orationis, quia dicitur quod mercator cambiabit pro ipso creditore.

Ideòque ista verba per parentesim dicta, suffragantur quidem ad probandum voluntatem creditoris utendi dicta facultate, & capiendi pecuniam ad cambium, sed punctus est, quod ea nunquam deducta fuit ad exercitium, quodque deficit substantia illius tertij contractus, qui omninò præcedere debebat per ipsum creditorem ad id habentem facultatem, cum dicto Rubeo mercatori nunquam legatur dicta facultas attributa, non sufficit enim dicere, quod quis habeat animum capiendi tantam pecuniam ad cambium, nisi capiat à tertio vel à seipso tanquam tertio, cum de necessitate oporteat dare duo extrema, dantis, & recipientis.

Et quandò super his aliqua subesset difficultas itaut instrumentum remaneret ambiguum, adhùc pro debitore potius esset respondendum ex triplici fundamento, quorum unum sufficit. 2

Primò quia in dubio pactum interprætandum est contrà actorem in eo se fundantem juxta notissimum axioma deductum *ex leg. veteribus ff. de pact cum concord.*; Secundò quia in dubio semper capiendus est intellectus reo & debitori favorabilis & tendens ad liberandum, ubi præsertim agitur pro excludendis usuris vel interfurijs in jure odibilibus, Et tertiò demùm, quia in dubio regulanda est voluntas à potestate, ideoque pro interprætatione instrumenti gesti per procuratorem attendendum est præcedens instrumentum procuræ, in quo solum legitur per principalem debitorem concessa facultas Procuratori capiendi ad cambium juxta primam formulam, ut ex lectura dicti mandati in eodem instrumento inserti, Licet enim rigorosè ac in stricta juris censura, retento intellectu agentium pro creditore, prætendi posset nullitas actus ob non servatam formam mandati, nihilominùs, quidquid sit de hac via magis rigorosa, indubitanter defectus potestatis ac tenor mandati satis considerandi sunt pro regulanda voluntate ac interprætatione dubij contractus gesti per procuratorem, ideòque probabilius pro debitore in exclusionem cambiorum ob deficientiam spacciorum & realitatis respondendum videtur.

torem obligatum proindè ad cambia etiam sine spaccijs & justificatione realitatis loco damnorum & interesse, si est limitatum ad certum tempus, illo elapso duret, vel potius expiratum censeatur, itaut in futurum dicta damna & interesse amplius non debeantur.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Promissum ad tempus eo elapso non debetur.*
3 *Fallit ubi tempus non respicit terminationem obligationis, sed alium finem.*
4 *Non debet esse melioris conditionis morosus quam non morosus.*
5 *Contrarium quod multa conceduntur creditori impedito repetere creditum, quæ denegantur cessante impedimento.*
6 *Examinantur fundamenta, ex quibus debitor etiam sine spaccijs tenetur ad cambia.*
7 *Quando partium confessiones vel declarationes in hac materia attendantur nec ne.*

## DISCURSUS IX.

DEdit Junipera Manfrona ad cambium Francisco Columnæ scuta 500. restituenda infra biennium, quo durante nè creditrix damnum ex pecuniæ negotiationibus destinatæ otiositate pateretur, in se assumpsit debitor onus deputandi mercatorem accepturum tantumdem ad cambium, transmissurum litteras, tenturum scripturam, aliaque facere debentem ad cambij girum necessaria, undè cum nihil ex istis gestum esset, atque elapso biennio non restitutis dictis scutis 500. per plures alios annos continuatum esset, creditrice demum urgente debitorem ad solutionem, opposuit iste de solutione sequuta cum cambijs interim solutis, quæstanæ defectu spacciorum ac realitatis tanquã ficca & usuraria in sortem imputanda veniunt. 1

Et quamvis creditrix replicaret defectum transmissionis litterarum aliorumque ad cambiorum realitatem requisitorum, provenire à culpa ipsius debitoris, qui tale onus in se assumpserat, qui proindè ad cambia erga creditorem tenetur loco damnorum & interesse, perindè ac si verè cum debitis requisitis illa gitassent, cum actus in odio facere debentis pro gesto habeatur, nè morosо & contravenienti mora seù culpa prosit, ac lucrum tribuat in damnum & præjudicium innocentis, cui data fides impleta non est, ut ultra generalia, quæ frequenter habentur sub titulo de usuris, & sub altero de censibus, in specialibus terminis cambiorum, quoties debitor non docet omnes adhibuisse diligentias, & cambiandi occasionem invenire non potuisse, plenè firmatur per Rotam *in Romana pecuniaria 5. Junij, & 31. Julij 1648. coràm Corrado*, Et post *Salgad in labyrint. decis. 7.*, quæ in Curia circumfertur tanquam magistralis sæpissimè in aliis canonizata.

Replicabat debitor dictam conclusionem non impugnando eam procedere durante biennio, in quo ipse tale onus in se assumpserat, secùs autem eo elapso, quando remanente casu extra conventionem sub dispositione juris communis, hæc ad id eum non obligabat, atque ex hoc fundamento Vicarius Lateranensis judex competens rei conventi illius Basilicæ Canonici sententiam absolutoriam ad sui favorem protulit.

Introducta verò per appellationem causa *in Rota coram*



# ROMANA
## CAMBII
## DE MANFRONIS
## PRO
## JUNIPERA MANFRONA
## CUM
## FRANCISCO COLUMNA.

*Casus variè decisus per Rotam.*

**An onus cambiandi assumptum per debi-**

*Card. de Luca de Cambijs*

*coram Cerro, sub die 8. Aprilis 1658.* pro dictæ sententiæ confirmatione prodiit resolutio, confirmata *sub die quarta Decembris ejusdem anni*, ex generalibus solùm regulis & propositionibus, ut
2 promissum ad tempus eo elapso remaneat omissum, & extra promittentis obligationem, cum agatur de materia odiosa, in qua id quod litteraliter non legitur, consultò omissum censetur ex congestis *per Surd. cons.* 200. cum alijs deductis in decisionibus desuper editis, in quibus respondendo ad observantiam resultantem à continuata solutione cambiorum, per quam diversa partium voluntas probari videtur, dicitur quod partium voluntas vel factum reddere non potest licitum id quod est illicitum & usurarium, undè propterea censetur potius debitorem ita per diminutas solutiones sub fructuum nomine factas à sortis principalis debito se eximere voluisse *ex deductis decis. 69. par. 9. recent.* & in alijs, de quibus in dictis decisionibus.

In hoc statu ad causæ defensionem assumptus, atque ad dictas decisiones etiam cum sensu veritatis reflectendo,
3 credidi eas utpotè non benè fundatas subsistere non posse, atque de facili sperare posse recessum, prout de facto reassumpta disputatione ob concessionem novæ audientiæ *sub die 24. Aprilis 1662. coram eodem Cerro* recessum fuit à resolutis, in quibus deindè perstitum fuit, istæque ultimæ resolutiones justæ, ac melius fundatæ visæ fuerunt, quoniam benè inspecto instrumenti tenore constabat, biennij limitationem adjectam esse in gratiam debitoris pro ejus dilatione, & nè interim ad restitutionem sortis cogi posset; In reliquo verò, cum ratio assumpti oneris effet generalis percutiens totum tempus, in quo mutuata pecunia penès ipsum debitorem otiosa remaneret, ita generalis & indefinita remanebat ejus obligatio à sua ratione regulanda cum concurrente rationis identitate, oratio indefinita æquipolle, at universali, atque omne tempus complectatur ex deductis per *Menoch cons. 97. num. 35. & sequen.*, *& cons. 220. numero sexagesimo sexto, cum sequen.*

Alia etiam evidenti ratione concurrente, quod maximum absurdum esset, ut delinquens & morosus melioris conditionis esse debeat, quàm non
4 morosus nullum delictum vel culpam committens, ut alias retento sensu priorum decisionum sequeretur, quoniam durante biennio, ob conventionalem dilationem, debitor, neque de culpa, neque de mora redargui poterat, sicuti poterat eo elapso, undè si tunc dictæ obligationi subjectus erat, multò magis posteà.

Verùm contra istam rationem à me deductam, quæ magnam fecit impressionem, dubitabam ponderari posse, quod durante dilatione creditor im-
5 peditus est sortem repetere, suasque actiones exercere, undè non mirum si in hoc gravatus, in altero relevetur, & econversò debitor dilationis commodum sentiens, istud incommodum patiatur; Multa enim conceduntur creditori impedito creditum consequi, quæ denegantur, ubi talem habet facultatem, Ut habemus de legatario quantitatis, qui usuras seù fructus prætendere non potest, quamvis testatoris expressum præceptum accedat, quoties facultatem habet exigendi sortem, secùs istius impedimento concurrente; Ac pariter habemus in materia censuaria, ut non currant fructus census favore illius, qui liberè ac certitudinaliter sortem repetere potest cum similibus, ideòque cum in instrumento contineretur etiam pactum, ut elapso statuto termino, ac debitore non solvente, creditori licitum esset nedùm illum ad solutionem urgere, sed etiam æquivalentem summam ad cambium & recambium in ejus damnum sumere; Hinc proindè ponderabam, rectè dici posse creditori, quod sibi imputet, cur una vel altera facultate usus non esset, quodque debitor duplici oneri subjacere non deberet, & hæc mihi videbatur solidior ratio, cui inniti possent primæ decisiones, dictis regulis generalibus solùm innixæ.

Adhùc tamen eodem veritatis sensu retento, probabilius credidi contra debitorem responsum fuisse ex duplici fundamento, Primò scilicet, quod 6
ipse promiserat statim & infra biennium deputare mercatorem, qui curam & onus transmissionis litterarum haberet, aliaque gereret super giro pecuniarum per ipsum debitorem intrà dictum terminum sumendarum ad cambium; Quo posito dictum interesse pro toto tempore debitum remanebat ob non implementum in tempore, ex quo successivè debitoris damnum resultavit, quia si pecuniam tunc accepisset, ac deputasset mercatorem, iste deindè pro toto tempore cessantis restitutionis debiti continuasset, & sic totum malum provenit ab ipso initio, quod influit in tempus sequens.

Et secundò, quia negari non poterat ambiguam remanere partium voluntatem, an dicta obligatio per debitorem suscepta restricta esset ad solum biennium, vel esset indefinita durante tempore solutionis debiti, quo posito deferendum omninò erat observantiæ deductæ ex solutione fructuum, per quam partium voluntas declaratur, atque ambiguæ conventiones interprætationem recipiunt, Nil obstante præcedentium decisionum responsione, quod in materia usuraria & illicita partium conventio nihil faciat, quoniam id rectè procedit, 7
ubi defectus provenit ex intrinseco vitio actus, & ob cessationem illius requisiti, quod neque volentes poterant partes omittere, ut est, exempli gratia, conventio cambiorum etiam sine transmissione litterarum, ac non servata forma Constitutionis *Pij* cum similibus, secùs autem ubi defectus provenit à sola conventione, seù partium voluntate, qua concurrente actus remanet validus & licitus, cum tunc nil prohibeat, quod eadem voluntas aliundè deducatur, præsertim ubi non agitur de inducenda voluntate omninò nova, & quam certum sit in conventionis instrumento non contineri, sed agitur de voluntate ambigua, & quam probabiliter prætendi potest in ipsa conventione adesse, quoniam tunc facilius defertur observantiæ tanquam interprætativæ, quæ vel in terminis interpellationis pro cursu usurarum necessariæ, vel in alijs voluntatem probantibus satis attendi solet, ut præsertim advertitur *in Ravennaten. seù Faventina cambij hoc eod. tit. disc. 12.*

ROMANA

# ROMANA
## CAMBII
## DE MANUCCIIS
## PRO
## CAMILLO MANUCCIO
## CUM
## THEOPHILA ASCENTIANA DE BRUNORIS.

*Casus disputatus in Rota, incertus est exitus forsan per concordiam.*

**De eadem materia cambiorum debendorum per debitorem etiam sine transmissione litterarum aliisque realitatis requisitis loco damnorum & interesse, ex eo quod ipse debitor cambiandi onus in se susceptit, Quid ubi cum dicta susceptione oneris concurrit etiam facultas cambiandi data ipsi creditori.**

**Et aliqua de contractus cambii in validitate, ex eo quod creditori innotescat debitorem suscipientem pecuniam, illam in alios usus conversurum esse, nequè posse in nundinis litteras implere.**

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Cambia etiam sine spaccijs debentur loco damnorum & interesse à debitore in se assumente onus.*
3 *Declaratur quando id procedat nec nè.*
4 *An mandatum datum creditori ad cambiandum sit cumulativum, itaùt non liberet debitorem à susceptò onere.*
5 *Quando creditor eligendo mercatorem dicatur usus sua facultate.*
6 *De conclusione, ut cambia invalida sint, ubi creditor scit debitorem non posse cambiare.*
7 *An valeat conventio de solvendo merces datas de præsenti, ut valebunt tali tempore futuro.*
8 *Quod magis expediat debitori suscipere in se onus cambiandi, & solvere cambia sine spaccijs loco damnorum & interesse, quia evitat provisiones.*

### DISCURSUS X.

1 MUtuavit Bartholomæus Brunorus de anno 1642 Camillo Manuccio scut 700. eroganda in extinctionem æris alieni, quod hic habebat cum quodam Turcono, cui eadem pecunia incontinenti soluta fuit, reportata per Brunorum cessione, dictaque scut. 700. data fuerunt, juxta communem contrahendi usum, ad cambium obliquum, faciendi scilicet girare summam æquivalentem sub cambijs, cum istorum limitatione ad 7. pro centenario, ad quem effectum debitor in se suscepit onus & curam deputandi mercatorem spaccia transmissurum, aliaque necessaria, & oportuna gerere debentem, Et ulterius facultatem dedit eidem creditori sumendi æquivalentem summam ad cambium, ac deputandi mercatorem, qui scripturam teneret, aliaque necessaria faceret, atque in ipsomet instrumento Camillus nominavit & deputavit ad præmissa peragendum quemdam Annibalem Serenam mercatorem, cui eadem die Brunorus creditor ordinem direxit, ut continuaret, vel continuari faceret super cambijs usque ad ejus novum ordinem scut. 700. data ad cambium dicto Manuccio, sibi constituendo provisionem juliorum quatuor pro centenario, ad quorum solutionem, idem Brunorus ergà mercatorem in forma Cameræ se obligavit; Cum autem mercator deputatus litteras non transmisisset, neque alia gessisset ad cambiorum realitatem necessaria Manuccius verò spatio annorum 12. circitèr solvisset cambia seù fructus ad dictam conventam rationem septem pro centenario; Hinc petente Theophila Bartholomæi hærede restitutionem sortis, Camillo autem debitore opponente de illius satisfactione cum dictis cambijs, quæ utpotè indebita & usuraria sortem extenuaverant, introducta lite coram A.C., hic non obstante dicta oppositione mandatum executivum ad favorem Theophilæ relaxavit, & commissa per Signaturam causa in Rota *coram Albergato* cum clausula, *Si quid exequendum*, datoque dubio, *an dictum mandatum esset exequendum.*

Pro actrice scribentes non negabant cambia uti cambia ex defectu spacciorum, & ob non justificatam realitatem ad formam Constitutionis *Pij* non deberi, sed ea bene per creditorem percepta 2
esse dicebant loco damnorum & interesse, dum ipsemet debitor cambiandi onus in se assumpserat, ac deputandi mercatorem, qui scripturam tenere deberet, aliaque peragere, quibus non factis intrat dicta obligatio resultans ex non facto quod in odium facere debentis habendum est pro facto juxtà firmata *in Romana pecuniaria dec. 7. post Salgad.* passim in alijs recepta & canonizata.

Pro Camillo debitore scribens non negabam conclusionem, sed ejus applicationem ad factum, quoniam cum duo in conventionem deducta essent, Obligatio scilicet debitoris faciendi cambio- 3
rum girum, seù curandi, quod alter faceret, Et mandatum seù facultas data creditori idem faciendi, atque creditor hanc secundam viam elegisset, dum ipse dare voluit ordinem mercatori, erga eum pro mercede se obligando, ideò sibi patere debebat via, quam elegerat, eidemque proindè imputandum erat, cur valens dicta facultate non uti, sed obligationi debitoris acquiescere, eam ad exercitium deducere voluit, ut probant *idem Ramon. cons.* 4., cum quo processit *Rota in dicta decis. 7. post Salgad.*, dum *num. 18.* expressè dicit creditorem post datum mandatum ad cambiandum non debere se ingerere in negotio, alias videretur inducta novatio, de qua *in l. stipulatus est opus ff. de fidejuss.* atque istos casus distinguendo tanquam absolutum supponi videtur *in eadem dec.* § *primò, quia apoca*, & in ejus confirmatoria 14. *Junij 1649. coram Dunozetto* §. *tùm quia* inter suas *decis.* 829.

Licèt enim admitterem tanquàm veram con- 4
clusionem in eisdem decisionibus in proposito firmatam, quod mandatum datum creditori tanquam cumulativum, & ad majorem ejus cautelam non liberat debitorem ab assumpto onere; Dicebam tamen id rectè procedere, ubi creditor illo non utitur, secus in casu usus, quoniam hæc duo sunt alternativa, in quibus unius electio alterum



*Card. de Luca de Cambijs*

ceſſare facit, cum implicet eandem pecuniam per duos inſolidum girari, atque duplex cambium ſuper eadem re eodem tempore exerceri.

Motivum in abſtracto videbatur verum & ſolidum, dubitabam tamen de applicatione ad factum, quod ſcilicèt creditor voluiſſet uti dicto mandato, atque in ſe curam & onus cambiandi ſuſcipere, quoniam licet dederit ſupra inſinuatum ordinem mercatori, nihilominus cum hic jam in inſtrumento deputatus eſſet, à debitore promittente eumdem mercatorem præmiſſa adimpleturum eſſe, hinc proindè ordo prædictus continere non videbatur novationem, ſed potius quamdam approbationem, ac exequutionem, cum ſola ejuſdem mercatoris aſſecuratione pro ejus proviſionibus, pro quibus iſte maluit ſequi fidem creditoris quàm debitoris, Et in hoc erat mea difficultas.

Alij eaſdem debitoris partes defendentes, mordicus etiam inſiſtebant ſuper cambij invaliditate, ex eo quod creditori ab initio innoteſceret datam pecuniam tranſmitti non poſſe ad nundinas, neque ſuper cambijs girari, dum in alios uſus converſa fuerat, in extinctionem ſcilicet æris alieni juxta deciſiones *in Romana cambiorum 4. Junij 1642., 18. Aprilis 1644. & 16 January 1645. coràm Peuting.*, de quibus ſæpius in præcedentibus; Ego verò in congreſſu dicebam parùm tutum videri hoc fundamentum, ita ſimpliciter & indefinitè ſumptum, quoniam ut aliàs pluries dictum eſt, iſtæ deciſiones laborare videntur de æquivoco, non diſtinguendo cambium directum ab obliquo, in quo non in ipſa pecunia, ſed in alia ejus æquivalenti cambium exercendum eſt; Reflectendo tamen ad veritatem cogitabam, quod ubi creditor non ſuſcipit in ſe mandatum cambiandi ſecumferens pro curſu cambiorum præciſam neceſſitatem ſpacciorum, & juſtificationis realitatis, ſed utitur iſta moderna cautela transferendi onus in debitorem, per quam tutus redditur, quod ſivè litteræ tranſmittantur, & impleantur, ſivè non, uſuras ſeù cambia obtenturus eſt, atque qualitas debitoris eſt talis, quod non eſt mercator, neque correſponſales habet in nundinis & plateis, veriſimiliter ejus fidem ſequuturos ac litteras impleturos, itaut copulativè concurrant dictæ tres circumſtantiæ, ſcilicet proximè inſinuata debitoris qualitas, converſio pecuniarum in alios uſus, & cautela prædicta, tunc contractus videatur ſatis ſuſpectus utpotè continens certum cambium ſiccum ab initio, ità ſola verborum formalitate velatum, cum creditor certò ſciat cambij realitatem omninò abfuturam; Secus autem ubi ipſemet creditor dictum onus aſſumit quoniam tunc, licèt data pecunia in alios uſus converratur, attamen ipſe creditor ab vel à ſeipſo æquivalentiam habere poteſt, cum qua litteræ realiter tranſmittendæ implementum habeant, undè parum refert, quod debitor non habeat correſponſales ejus fidem ſequuturos, quoniam ſufficit id haberi per creditorem vel alterum girum cambij facientem.

Niſi ad ſalvandam iſtam ſpeciem contractus ratione illius uſus & frequentiæ, dicamus ab illo etiam uſuram abeſſe, ac lucri certitudinem in creditore, ob cambij realis naturam pluries in præcedentibus deductam, ut nullum certum lucrum ab initio continere valeat, ſed totum pendeat ab incerto eventu, qui damnum etiam, ac ſortis diminutionem cauſare poteſt cum lucro debitoris, licèt ſatis rarò contingente; Non videtur enim prohibita conventio, per quam unus det alteri pecunias, non girandas ſuper cambijs, ſed tenendas ſub lege, & eventualitate cambiorum tam ad lucrum, quàm ad damnum, itaùt videatur ſpecies ſocietatis, eo modo quo habens quis frumentum & aliam mercem rectè conſervabilem, illam alteri tribuit tunc vendere volenti, ut pretium in præſentaneos ejus uſus erogaret, ſub eo pretio, quo valebit, atque per alios mercatores contractabitur aliquo futuro tempore puta in menſe Aprilis vel Maij, quia ſi merces ſunt rectè pro eo tempore conſervabiles, & creditor erat conſervaturus, ut venderet eo tempore, in quo eventus dare poſſet majus pretium, quam de præſenti currat, itaut abſit fraus percipiendi lucrum certum ex temporis dilatione, nulla committitur uſura *ad notat. in cap. in Civitate de uſuris*, idque paſſim practicatur, & contractus, (concurrentibus tamen dictis requiſitis,) communiter licitus reputatur; Licet enim à frequentius accidentibus pretium ſoleat eſſe eo tempore magis alteratum, itaut veriſimiliter venditor magis lucro quàm jacturæ ſubjaceat, nihilominus poſſibilitas damni ſufficit, Atque tunc contractus eſt periculoſus, quando taxatur ab initio pretium; Ita à pari non videtur quid prohibeat conventionem ſuper hujuſmodi eventualitate regulanda à cambijs inter mercatores, vel alios verè currentibus cum omnimoda realitate,

Quinimò iſta ſpecies contractus videtur minus debitoribus damnoſa, minuſque creditoribus proficua, quoniam ut pluries habetur in ſequentibus *hoc eod. tit.*, iſto caſu, in quo debitor ob defectum ſpacciorum tenetur ad cambia non tanquàm cambia, ſed tanquam damna & intereſſe, exemptus remanet à graviori interſurio proviſionum, quæ frequentius pro majori parte cedere ſolent ad lucrum & commodum creditorum de aliqua modica participatione tantùm convenientium, correſponſalibus reliquum condonantibus eiſdem creditoribus, ideoque non adeò judaicè inhærendum eſt ſuper ſpacciorum interventu, qui in effectu in iſtis cambijs obliquis continere videtur ſimplicem formalitatem, quæ magis debitoribus præjudicialis eſt atque ratione majoris lucri creditorum propter proviſiones, potius majorem uſuræ ſuſpicionem inducit; Verùm præmiſſa ad formalem diſputationem quod ſciam deducta non fuerunt, itaùt maturius judicium ſuper indaganda veritate formari potuerit, quoniam fortè per ſubſequutam concordiam cauſa ſopita fuit, neque hucuſque alia occaſio præbuit hæc diſputare.

---

# ROMANA
## PECUNIARIA
## DE VECCHIS
## PRO
## VECCHIS
## CUM
## CARDINALI SFORTIA

*Diſcurſus in congreſſu ſuper caſu ſopito per concordiam.*

**De fructibus ſeù cambijs debitis abſque curſu & juſtificatione ſpacciorum loco damnorum & intereſſe ob non impletum**

**tum ònus ab ipso debitore susceptum, Et àn istud limitatum ad certum tempus remaneat ultrà illud operativum, Et de alijs ad hanc materiam,**

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Quando intret nec nè obligatio ad cambia loco damnorum & interesse etiam sine spaccijs.*
3 *Onus susceptum per debitorem ad certum tempus an duret eo tempore expirato.*
4 *Obligatus præstare speciem fructiferam, eam non præstando tenetur ad fructus.*
5 *In alternativis electio est debitoris durante dilatione, sed post moram est creditoris.*
6 *De interesse damni emergentis, & quando istud debeatur.*

## DISCURSUS XI.

1 ILLI de Vechijs creditores Ducis Marij Sfortiæ ex causa cambij initi de anno 1631. in summa scut. 23. m., hujus crediti satisfactionem obtinuerunt ex pretio Vallis montanæ, investita pecunia in tot loca montium loco cautionis, quam juxtà praxim Congregationis Baronum & chirographi Pontificij formam, creditores præstare tenebantur, primariò ad favorem emptoris in casu evictionis & molestiarum, secundariò autem de restituendo creditoribus anterioribus vel potioribus, seù contribuendo cum æqualibus. Cum autem sequuta morte Ducis Marij, Dux ejus filius pro anteriori credito dotis maternæ aliquam dictorum locorum montium partem à præfatis de Vechijs avocasset, atque isti pro eorum reintegratione molestias inferrent Principi Ludovisio creditori posteriori ex eodem pretio satisfacto, qui pulsatus molestare cœpit Cardinalem Sfortiam, tunc Prælatum, & in Civitate Avenionen. Prolegatum, in isto credito insolidum cum Duce Mario fratre obligatum; Hinc iste mediante persona ejus procuratoris ad impediendas dictas molestias per apocam de anno 1639. se declaravit obligatum ad favorem dictorum de Vechijs in supradicto cambio inito anno 1631. pro dicta rata avocata importante scuta circiter 6. m., cum obligatione solvendi interim cambia limitata ad rationem quatuor cum dimidio pro centenario, atque ita servatum fuit in exequutionem dictæ conventionis oretenùs factæ usque ad finem anni 1642., de quo tempore dictus Cardinalis in Urbe præsens per apocam ratificando omnia gesta ipso absente per procuratorem, promisit infrà aliud triennium tunc decurrendum solvere dictam summam, vel in tot locis montium vinculatis ejusdem pretij, vel in pecunia numerata, & interim solvere cambia ad dictam rationem scutorum quatuor cum dimidio, quamvis attento originario contractu, in quem subintravit, currere deberent ad majorem rationem, eo innovato quod quemadmodum in dicto primo contractu datur facultas creditori, cujus cura & onus erat transmittendi spaccia, aliaque agendi ad cambij realitatem necessaria, in futurum onus esset ipsius Cardinalis illud in se assumentis; Quia verò elapso triennio Cardinalis prædictus suam obligationem non adimplevit, idcircò post plurium annorum decursum orta est controversia, num deberentur cambia, tàm soluta, quàm solvenda, stante quod nulla intervenerat spacciorum transmissio, seù alia cambij realis requisita ad formam *Con. Pij V.* necessaria.

Et in congressu Advocatorum pro veritate examinanda ad instantiam prædictorum de Vechijs habito, controversiam distinguebam in tres inspectiones, seù tria tempora, Primum scilicet cambiorum decursorum in primo triennio conventionis oretenùs habitæ cum procuratore de anno 1639., Alterum secundi triennij, de quo in conventione habita cum ipso Cardinali de anno 1642. Et tertium successivè decursorum post istud triennium elapsum.

Quoad primum, absque dubio prætendi non poterant cambia, tanquam cambia, cum hæc nunquam debeantur, quoties non concurrunt realitatis requisita juxta *dictæ Constitutionis Pij* formam; Minusque eadem tanquam damna & interesse ob non adimpletum susceptum mandatum juxtà decisionem septimam *post Salgad. in labyrint.*, in hoc puncto magistralem, sæpius confirmatam, quoniam in apoca prædicta, in qua enunciabatur conventio cum procuratore oretenùs habita, de dicta oneris susceptione nulla mentio fiebat, sed solùm de subintrantia in cambium contractum de anno 1631, innovata tantum summa cambiorum, undè propterea cum referens in omnibus regulandum esset à relato, atque in isto cura & onus cambiandi esset creditoris, hinc resultabat, quod creditor non transmittendo spaccia, aliaque necessaria faciendo nil prætendere poterat; Solumque insinuabam dictorum cambiorum solutionem substineri posse in causam damnorum & interesse loco fructuum locorum montium ad eandem rationem tunc fructantium, quæ dicti creditores amiserant, ex ijs, quæ inferius in tertia inspectione, seù tertio tempore deducuntur; Verum adhuc dubitari poterat, stante quod conventio erat de cambijs relativè ad instrumentum prædictum, ad quod Cardinalis subintrare voluerat, undè stante diversa voluntate, intrare videbatur regula, *quod potui nolui &c.* & sic casus habebat suas difficultates.

Econversò altera inspectio super secundo triennio procedere videbatur de plano favore creditorum, stante expressa susceptione oneris cambiandi facta per debitorem juxta *d. dec. 7 post Salgad.*; atque in hoc omnes congregati concordabamus, neque per ipsum Cardinalem fructus, seù cambia pro hujus temporis rata controvertebantur, solumque illorum fortè non solutorum compensatio opponebatur cum illis triennij antecedentis, tanquam indebitis ut suprà.

Super tertio verò tempore, inter congregatos aliqua fuit discrepantia, cum omnes, me excepto, concluderent contra creditores, innixi decisionibus *in Romana cambij 8. Aprilis & 4. Decembris 1658. coram Cerro* editis in causa inter Manfronam & Columnam, de qua supra *discur. 9.* firmantibus obligationem à debitore susceptam in cambio contracto ad certum tempus, ultrà illud non operari; Et quamvis ego tunc, de anno scilicèt 1659. in quo dictus congressus habitus fuit, cum sensu etiam veritatis crederem dictas decisiones non esse tutas neque bene fundatas, ex eisdem rationibus & fundamentis, ex quibus deindè ab eis recessum fuit ut suprà, in ejusdem causæ discursu actum habetur, Nihilominus in Curia, quoties auctoritatum obstaculum habetur, fortius verò ubi illud decisionum Rotæ, contra stimulum calcitrare dicitur, qui per rationes, ac vera juris principia vult contrarium tueri, ex magna currentis sæculi infœlicitate, Undè si iste congressus fuisset habitus post

dictarum decisionum revocationem, res transiisset de plano, ex ea clara ratione, quod triennij præfinitio non erat ad limitandam, seù finiendam obligationem, sed in gratiam debitoris, ac pro sola dilatione, nè interim à creditore urgeri posset, cum de reliquo subintrantia in priorem contractum esset indefinita cum sola innovatione quantitatis cambiorum, seù interfuriorum, Ut scilicet quemadmodum prius in dicto primo contractu erant vel currentia & rigorosa, vel limitata ad longè tamen majorem rationem, sic ad istam minorem redacta essent, & cujus diminutionis intuitu rationabilis remaneret altera innovatio super susceptione oneris cambiandi facta per debitorem ex regula, ut qui in uno gravatur, in altero relevari debeat, & econtrà, ideoque putabam creditores bonum jus fovere; Sed quoniam in contrarium fuit plurium sententia, idcircò captivando intellectum, ut par est in obsequium majoris partis, in idem consilium deveni, ut creditores prædicti, eo quo possent modo meliori se concordarent, ut puto sequutum.

Discurrebam quoque, quod ubi etiam præmissa cessarent, quia nempè juxta sensum dictarum primarum decisionum, assumptio oneris facta per debitorem restricta esset ad solum triennium adjectum ad taxandam, seù extinguendam obligationem, Adhuc tamen dicta cambia, seù fructus deberentur tanquam damna & interesse ob non præstita loca montium, ad quæ principaliter restricta erat promissio subsidiariè facta in pecunia, quoniam promittens tradere speciem fructiferam, si eam non tradat, tenetur ad damna & interesse ad mensuram illorum fructuum, quos percepisset ille, cui promissio facta erat, si implementum se-
4 quutum fuisset, ac data fides servata, *Gratian. discept. 40. nu. 35. & seq. Romana fructuum census 24. Novembris 1649. Verospio, Bonon. nullitatis concordia 27. Januarij & 1 Julij 1648 Bichio, Romana multiplici 18. Martij 1654. Meltio & passim*, quoniam est propositio receptissima; quoties promissio speciei est pura & certa; Verùm difficultas in eo suberat, quod species stabat alterativè cum pecunia atque electio erat debitoris; Huic tamen difficultati responderi posse observabam, quod dicta electio procederet durante dilatione, qua expirata,
5 post moram contractam illa transfunditur in creditorem, ac debitor tenetur ut in deterius ex deductis *per Fab. de Ann consil. 54. n. 8 Apont. cons. 49. n. 75. Bellon. iun cons. 45. n. 2. Buratt. dec. 287. nu 7. adden ad Greg. dec. 316. nu. 3. Auximana dotium 6. Februarij 654. Albergato.*

Replicari tamen poterat in contrarium, quod
6 dum creditor potuisset eligere pecuniam infructiferam, dici non potest moram fuisse causam certam & immediatam damni emergentis juxtà *dec. Mohed 2. de usuris*, quæ recepta est in Curia, ut sæpius in sua materia *sub tit. de usuris*, licèt contrarium de jure verius probare conetur *Leotar. de usur q. 71. ex nu. 10.*; Sed nimium indiscretus rigor videbatur dictam conclusionem ad factum applicare, quoniam non agebatur de mutuo tunc, seù præcedenter contracto, itaut cadere posset in mutuante suspicio fœnerandi sub hoc pallio stipulandi potius speciem quàm pecuniam, sed constabat de sinceritate actus, quod scilicet illi possidebant loca montium, ex quibus de facto percipiebant fructũ ad conventam rationem, quo in gratiam debitoris se privarunt, dum pulsando creditorem posteriorem, in continenti poterant pecuniam ab isto avocandam dare creditori anteriori, atq; ita evitare dictorum locorum montium avocationem, undè potius fuit conventio de fructibus tanquam compensativis, seù restaurativis damni verè & certitudinaliter passi.

Eo etiam addito, quod ad evitandam necessitatem præstandi cautionem, seù faciendi obligationem de restituendo ut suprà, cujus vigore in dies denuò urgeri poterant ad restituendam pecuniam numeratam, quod solet esse magis molestum omnimoda verisimilitudo suadebat, dictos creditores, postquam electio in eos transfusa erat, potiùs eligere debuisse loca montium; Quinimò etiamsi durante termino, vel postea pecunias habuissent in eadem loca investire debuisse, Tum ex communi ferè observantia à prædicta ratione regulata, Tum ex observantia particulari eorumdem, dum in prima solutione, potiùs loca montium vinculata recipere elegerunt, quàm pecuniam numeratam cum dicta cautione, seù obligatione, undè propterea intrat recepta limitatio *dec. Mohed.* quando scilicet ex probationibus, etiam præsumptivis & adminiculativis, certitudinaliter constat pecuniam in eum usum fructiferum activum vel passivum converti debuisse, ut sæpius in dicta sua materia *sub tit. de usuris*, præsertim *in Esinat census disc. 14.* sed de his omnibus abfuit occasio formiter disputandi in judicio, dum controversia finem habuit per concordiam.

---

# RAVENNATEN.

## SEU

## FAVENTINA CAMBII

## PRO

## PETRO LEGA

## CUM

## HIERONYMO LUCATELLO.

*Casus variè decisus per Rotam.*

An facultas cambiandi data creditori operetur, ut iste cambiare possit cum se ipso sine speciali mentione Et quatenus hæc non adesset, an sufficiat præsumptiva probatio, deductapræsertim à solutione cãbiorum, & solidatione computorũ; Et an ad justificationem cambiorum sufficiant solum primæ litteræ nuncupatæ *dell' Andata* absque eo quod doceatur de aliis responsivis nuncupatis *del ritorno.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*

2 *Ad justificationem cambiorum sufficiunt litteræ accessus, licet non adsint illæ reditus.*

3 *Creditor cui data est facultas cambiandi non potest cambiare cum seipso absque speciali mentione.*

4 *Sed hæc voluntas probatur etiam posteriori, & per actus ratihabitionis.*

5 *Vel etiam per alias species probationis etiam conjecturaliter, quia id non percutit substantiam cambij.*

DIS-

## DISCURSUS XII.

1 FACTA inter Legam & Lucatellum de anno *1639.* ſolidatione computorum ſuper credito initium habente ab anno 1635., detectum fuit Legam remanere debitorem in libris 12600. circitèr, ſuper quibus initum fuit cambium ad rationem octo pro centenario. Cumque deindè inter partes ortæ fuiſſent controverſiæ ſuper cambiorum curſu, ob non juſtificationem ſpacciorum, tàm ab anno *1635.* ad *1639.*, quando verè nulla dabatur juſtificatio, quàm abindè citrà, quando illa dabatur, ſed prætendebatur non eſſe legitimam & ſufficientem, Ac etiam, an ſumma in ſolidatione computorum de anno *1639.* conflata quoque eſſet ex cambijs decurſis ab anno *1635.*, ut erat debitoris prætenſio, vel augmentum prioris debiti proveniret ab alijs cauſis, itaut pro eo primo tempore de aliqua cambiorum exactione, vel converſione in ſortem non conſtaret, ut creditor prætendebat, Hinc introducta cauſa *in Rota coram Bichio* per appellationem à ſententia Legati *Ravennaten. ſub die 16. Junij 1653.* prodijt reſolutio debitori favorabilis, quod ſcilicèt ob non juſtificationem ſpacciorum ab anno *1653.* ad *39.* nulla debita eſſent cambia, tanquam ex deficiente omninò neceſſario realitatis requiſito juſtificando per litteras ſaltem reſponſivas, vulgò nuncupatas *del ritorno*, proindeque cambia decurſa non potuiſſe converti in ſortem, ut Rota præſumptivè credidit factum eſſe ob ſummarum correſpondentiam, latè in deciſione deſuper edita firmando aliàs firmata *in Romana cambij coràm eodem Bichio dec. 69. par. 9. rec.*, & in alijs, tam circa omnimodam neceſſitatem juſtificationis ſpacciorum, quam circa concluſionem non attendendi in hac materia ſolidationes computorum & confeſſiones, aliaque facta partium.

2 Et quoad ſecundum tempus poſt dictam ſolidationem, quamvis doceretur de juſtificatione per primas litteras, quæ vulgò dicuntur *dell' andata* quas juſtificabatur verè & non fictè tranſmiſſas fuiſſe ad locum nundinarum cum earum ſincera & reali effectuatione, proindeque firmatum fuerit eas ad id ſufficere, quamvis non doceretur de litteris reſponſivis, cum iſtæ non ſint intrinſecè neceſſariæ de ſubſtantia cambij, ſed ſolùm ad juſtificationem proſint ſubſidiariè, quando ſcilicet non exhibentur primæ litteræ *dell' andata* in quibus melior, ac magis directa probatio conſiſtit, ut firmaverat Rota *in Romana, ſeu Florentina cambiorum 11. Januarij 1615. coràm Dunozetto ſeniore inter ſuas deciſ. 69.* & deindè dixit *in Romana, ſeu Januen. cambij 16. Januarij ejuſdem anni 1653. coràm eodem Bichio.*

3 Nihilominus pro ſumma verè debita, neque dictum fuit cambia deberi, cum illud giratum fuerit cum ipſomet creditore, quod abſque expreſſa debitoris mandantis voluntate fieri non poteſt ex deductis *dec. 31, 32, & 33. poſt Turr. de cambijs*, & in alijs in eadem deciſione deductis, & non ſemel habetur in alijs *hoc tit.* rejiciendo limitationem traditam per *Turr. in annot. ad d. dec. 31. litt. F.* ubi ſcilicet in mandato expreſſum eſſet pretium & platea, quaſi quod tunc nihil intereſſet debitoris mandantis, an cambium creditor mandatarius cambiaverit cum ſe ipſo, vel cum alio, quia ſemper in dubio deficere dicitur voluntas mandantis, quæ potiſſimum ſpectanda eſt, ob rationem deductam *in d. deciſ. 31. & 32 poſt Turr.*, quod in mandato quantumvis generali non venit perſona creditoris, niſi exprimatur *ad text. in l. ſi mandavero tibi §. ſi tibi centum ff. mandati.*

Et quamvis tunc ſcribentes pro creditore deducerent limitationem canonizatam *per Rotam dicta dec. 33. poſt Turr. num. 7.*, ubi ſcilicet debitor deindè in ſolidatione computorum cambia decurſa ſolviſſet, ſeù admiſiſſet tanquam debita, Adhuc tamen, non impugnando dictæ limitationis veritatem, ea rejecta fuit ex defectu applicationis, quod ſcilicet non conſtaret debitori innotuiſſe creditorem cum ſeipſo cambiaſſe, undè opinari potuit cambium initum fuiſſe cum tertio, ex regula, quod ad effectum inducendi ratificationem, ſeù approbationem actus geſti, requiritur ſcientia certa & explicita, & non ſufficiant actus æquivoci. 4

Ad formam hujus deciſionis prodiit ſententia, quæ ob non interpoſitam in tempore appellationem tranſitum fecit in judicatum, atque ob ſubſequutam mortem Lucatelli creditoris, aliaque impedimenta, ſilivit cauſa uſque ad annum *1663.*, de quo tempore dicti creditoris filius & hæres curavit committi in eadem *Rota coram Cerro* cauſam reſtitutionis in integrum, Atque me in hoc ſtatu aſſumpto ad defenſionem debitoris, qui rem judicatam pro ſe habebat, cum reliqua omnia, præſertim circa crediti augmentum proveniens ex aliis cauſis potius quam ex cambijs decurſis in primo tempore conſiſterent in nudo facto, in quo nullæ ſunt Advocatorum partes, Quatenus pertinet ad ultimum punctum dictæ limitationis, ad quam ex parte creditoris reſtringebatur rei judicatæ injuſtitia, cujus ratione locum eſſe reſtitutioni in integrum contendebat.

Inſpecta dicta deciſione, ſatis de ejus viribus in hac parte dubitavi, proindeque, juxta ſtylum, requirenti inſinuavi, timendum magis eſſe de ſuccumbentia, prout diſputationis eventus in hac parte docuit *ſub die 4. Decembris 1663.*, Et reſolutio mihi quamvis in contrarium ſcribenti, viſa eſt probabilis, quoniam ut pluries *hoc eod. tit.* habetur, licet in Rota & Curia receptiſſimum ſit, facultatem cambiandi cum ſeipſo indigere nota ſpeciali, Nihilominus hoc non eſt vitium intrinſecum quod percutiat cambij naturam vel ſubſtantiam, quo caſu voluntas vel factum partium non attenditur, neque eſt operativum, ſed eſt defectus proveniens à veriſimiliter deficiente mandantis voluntate, quæ nedùm expreſſè probari poteſt, ſed etiam conjecturaliter & adminiculativè, ſive à priori, ſive à poſteriori per actus inducentes ratihabitionem, quæ mandato æquipollet, ejuſque vim habet; Et quamvis vera ſit propoſitio, ut ad effectum ratificationis requiratur ſcientia, ſinè qua non datur animus, nihilominus iſta, inſpecta qualitate debitoris viri induſtrij, & in rebus mercantilibus verſati, videbatur veriſimilis, cum probabile non eſſet notabilem ſummam cambiorum decurſorum ſolvere voluiſſe non viſis & recognitis ſpaccijs, ex quorum inſpectione deveniri potuit ad notitiam, quod cambium creditor cum ſeipſo inijſſet, præſertim quia in facto alia dabantur hujus ſcientiæ indicia & adminicula; Ubi verò non agitur de ſanando vitio intrinſeco & ſubſtantiali, ex quo reſulret uſura, ejuſque fraus, tunc in ſolutionibus jam factis; & ſubſequutis ſolidationibus, ratione publici boni reſultantis à facilitate commercij, ac etiam ratione bonæ fidei, quæ inter mercatores & negotiantes exuberare debet, ſatis benignè in his materijs procedendum videtur, undè reſolutio fuit juxta votum, quamvis tanquam Advocatus ſcriberem in contrarium. 5

RO-

# ROMANA
## PECUNIARIA
## SEU
## CAMBIORUM
## PRO
## RATIONE BANCARIA ILLORUM DE VALENTIBUS
## CUM
## CAMERA APOSTOLICA.

*Casus disputatus coràm Thesaurario & in Camera, & sopitus per concordiam.*

**De probatione mandati seù facultatis accipiendi ad cambium, & girandi seù continuandi super cambijs, quomodo sufficienter facta esse dicatur, ut cambia debeantur.**

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Non potest quis subijci cambijs nisi sequatur intimatio, & quando hæc non sit necessaria.*
3 *Remissio intimationis quomodò probetur.*
4 *De pluribus modis cum quibus id probatur.*
5 *Approbata videntur computa transmissa, si recipiens non contradixit, vel contradixit in aliquibus partitis*
6 *Quando in cambijs solutis intret potiùs terminus repetitionis indebiti quam ille usurarum.*
7 *Procurator seu institor generalis, cui negotij generalis administratio data est, an possit sine speciali facultate sumere ad cambium.*
8 *Quid in socio vel participe.*
9 *De privilegio fisci avocandi pecuniam solutam creditori posteriori.*
10 *De notabili declaratione dicti privilegij avocationis competentis fisco vel alteri privilegiato.*

## DISCURSUS XIII.

1 POstquàm Adrianus Honoratus susceptit in appaltum ad novennium Thesaurariam Marchiæ, admisit pro quibusdam ratis vulgò *soldi* nuncupatis, ad participationem utilium Philippum Valentem in Urbe negotiatorem, quem etiam deputavit ejusdem Thesaurariæ & negotii in ipsa Urbe depositarium & institorem seù administratorem, per cuius manus solutiones pensionis seù census iuxta statuta tempora ipsi Cameræ seù Montistis aliisque assignatariis fierent; Cumq; sæpius, ut huiusmodi negotiorum consuetudo est, ex effectibus non haberetur pecunia dictis solutionibus prompta, Philippus prædictus, ut dictas solutiones promptè impleret, plures notabiles summas, vel ab aliis, vel à seipso accepit, præsertim sub die 9. Maji 1644. scuta 20. m., sub die 4. Martij 1645. alia scuta 20. m., & sub die 18. Octobris ejusdem anni scuta 10. m., de quibus tractu temporis unà cum cambijs decursis ex pecunijs transmissis se reintegravit; Sequuta verò morte Adriani dicto novennio durante, ac prætendens quod Camera remaneret in notabili summa creditrix, duas excitavit prætensiones contra Valentem, seù ejus interim defuncti hæreditatem & rationem bancariam, Unam nempè communem quoque Sachettis, ut ob admissionem ad participationem utilium effecti essent socij appaltus, proindeque ex fisci privilegio possent insolidum conveniri.

Alteram super repetitione dictorum cambiorum tanquam indebitè exactorum, stante quod in prædicta deputatione talis facultas attributa non erat, unde propterea quando sibi incumbebat necessitas solvendi Cameræ vel assignatarijs, dicebant Camerales eum debuisse interpellare, suasque facere protestationes ad effectum ut principalem sub cambijs ponere potuisset juxta decisionem *in Anconitana cambiorum coràm Carillo* inter suas *decis. 282.* aliàs *decis. 224 par. 9. recent. & in eadem coram Peutingero decis. 346. par. 10. recent.*, de quibus sæpius *hoc tit.*, præsertim *in Romana partitorum discurs sequen.* Et hoc stante Thesaurarius more Camerali, non obstantibus ijs, de quibus infra, mandatum executivum relaxavit, à quo interposita appellatione ad Cameram, & assumpta disputatione dubij, *An & quomodò esset inhibendum*, vel sequuta ista disputatione absque resolutione, vel ea pendente (quod memoria non suggerit) tàm ista quàm altera superius insinuata controversia sopita fuit per concordiam, qua mediante dicta ratio bancaria certam summam Cameræ solvit, cessione reportata ejus jurium, Et subintrando in universum jus activum & passivum Honorati

Improbabilis tamen mihi pro Valente scribenti, videbatur ista Cameræ prærensio, quoniam licet 2
vera esset dicta propositio per Camerales deducta, quod scilicet fidejussor vel administrator pro principali solvens, illum sub cambijs vel usuris ponere non potest, nisi prævia interpellatione, per quam ille sciat, nedum solutionis casum evenisse, sed etiam usurarum vel cambiorum oneri subjectum fore, nihilominùs id cessat, quando concurrit attributa facultas seù mandatum cum remissione intimationis prædictæ, cum tunc receptissimum sit id explicari posse, ut *decis. 274. num. 3. & 4. par. 5. recent.*, & habetur sæpius in præcedentibus præsertim *disc. 2.*

Quamvis autem de dicta expressa facultate seù mandato non constaret nisi respectu primæ partis, 3
tæ, Adhuc tamen receptum est, non esse præcisè necessariam expressam probationem per scripturam, quia mandatum etiam sine scriptura per alias probationis species justificari potest, Quinimò etiam ex præsumptionibus & conjecturis deductis vel à priori vel etiam à posteriori ob subsequentem approbationem, quæ mandatum probat, seù illi æquipollet, Ut ultra generalia, quæ frequenter in jure habentur circa probationem mandati præsumpti, in his specialibus terminis benè firmat *Rota decis. 32. & 33. post Turr. de cambijs, in Romana cambiorum 28. Aprilis 1651 coràm Verospio*, admittitur *in Ravennaten. seu Faventina cambij 16. Junij 1653. coràm Bichio*, de qua *discursu præcedenti* & in aliis *Turr. in addit. ad dictam decis. 32. litt. E. fol. 549.*

Ex pluribus autem ista probatio nimis evidenter deducebatur, quæ ubi singulariter difficultates 4
pati possent, attamen unita ponebant rem in claris

claris ex vulgari regula, *ut singula quæ non prosunt unita juvent*, Potissimè quia non agebatur de justificatione realitatis cambiorum, & pro sanando eorum vitio intrinseco, itaut intrare posset difficultas, an libris alijsque scripturis seù factis partium deferendum esset ad excusandam usuram, cum omnia realitatis requisita benè justificata concurrerent, itaut cessante peculiari rigore, qui in materia usuraria habetur, quæstio esset super simplici & indifferenti probatione voluntatis seù mandati.

Primò igitur de dicto mandato constabat ex libris ejusdem Honorati & Thesaurariæ, in quibus, juxta indigentiarum tempora, adnotata erat facultas dicto Valenti attributa accipiendi pecuniam sub cambijs, qui libri plenè probant contra scribentem *ad text. in l. Publia §. ultimo ff. depositi Caputaquen. dec. 166. p. 2. Buratt. dec. 344. n. 3 dec. 212. n 2. post Zacch. de obl.*, ubi in specie verificationis cambiorum; Secundò ex libris mercantilibus ejusdem Valentis legalissimè tentis, qui licet pro scribente non omninò concludenter probant, attamen vel magnum faciunt adminiculum, vel efficacibus adminiculis concurrentibus ad sufficientem probationem idonei reputari solent ex deductis in terminis librorum mercantilium *per Rotam in Rom. mercium 1642. coram Meltio*, Et in fortioribus terminis libri privati *in Rom pensionis palatij 26. Ian. 1651. & dec. 179. p. 11. rec. coram eodem*, & in alijs frequenter; Tertiò ex quadam epistola ejusdem Honorati, per quam Valentem rogabat, ut traheret per nundinas quantum minus fieri potest, & ad solos limites necessitatis, qui loquendi modus præsupponebat præcedentem facultatem trahendi; Quartò ex qualitate personæ mandatarij, qui ad omnia alia Thesaurariæ negotia deputatus erat, cum de facili præsumatur mandatum in ea persona, quæ alia negotia tanquam mandantis gerere solet *Menoch. lib. 2. præsumpt. 33. num. 13. cum alijs in Avenionen pecuniaria 15. Januarij 1618. coram Dunozetto* inter suas *decis. 786.* & habetur frequenter præsertim *in Romana extinctionis Census pro Domo Professa Societatis Jesu sub tit. de Censibus.* Quintò fortiter ex communi usu Curiæ & mercatorum, ex quo maxima verisimilitudo resultabat, quoniam ubi Barones, vel Appaltatores deputant in Urbe Depositarios ad solvendos præsertim singulis bimestribus fructus locorum montium Montistis, communis consuetudo est, eis tribui facultatem capiendi pecuniam, quæ promptè non submini-straretur ad cambium; Verisimilitudo autem seù communis usus satis in hac materia præsumptivæ probationis mandati attendi debet ex deductis *per Mantic. de tacit. lib. 7. tit 6. num. 1. & alios*; Et sextò demùm fortiter ex subsequuta ipsius principalis approbatione, quæ mandato æquipollet ex deductis *in Ravennaten. seù Faventina Cambij*, & in alijs; Potissimè quia non solùm Philippus transmiserat Adriano partitas istorum cambiorum quibus non constabat contradixisse, quod sufficeret ad approbationem, *ut benè Matthesillan. singul. 22. Ciarlin lib. 1. controv. 44. num. 16. cum sequen. Rota decis. 811. num. 9. part. 1. diversi. Adden. ad Buratt. decis. 486. nu 7.*, sed potius constabat de subtilissima contradictione aliquibus partitis modicæ considerationis, ex quibus evidenter constabat, Adrianū satis accuratè vidisse & considerasse computa transmissa, undè tanquā mercator peritissimus, si in minutijs advertit & contradixit, multòmagis circa notabilem partitam istorum cambiorum contradixisset, nisi mandatū, ac sufficientem facultatem tribuisset; Contradicens autem scripturæ in una re, in alijs probare videtur, ut in terminis computorum *Munnoz. de ratiocin. cap. 32. num. 31.*; Et his addebatur generalis præsumptio, quæ militat pro cambijs jam solutis approbata *per Roan. in Romana pecuniaria 7. Junij 1647 coram Corrado §. finali.*

Ponderando etiam, quod ubi non agitur de cambiorum solutorum infectione intrinseca redolente usuram, quo casu, juxta opinionem à Rota & Curia receptam, non intrant termini repetitionis indebiti, sed imputationis ipso jure, quando illi locus est, vel cessante materia imputabilitatis, adhùc nè usuris fraus fieret, semper creditor, qui ex pecunia accessiones recepit, de illarum titulo justificativo docere debet; Sed indebitum prætenditur ex alio defectu indifferenti extra usurariam labem, Tunc ubi non agitur de coacta solutione judiciali, sed de voluntaria extrajudiciali, quia indebitum non præsumitur, cum nemo præsumatur jactare suum, onus est agentis ad illius repetitionem illud concludenter probare, ut admittitur in eadem *decisione 69. par. 9. recent.*, quæ in hac materia cambiorum indebitè solutorum circumfertur tanquam magistralis, & est receptissima propositio, de qua sæpius *sub tit. de credito &c.*; Undè propterea dicebam Cameræ actrici ex persona dicti Adriani sui debitoris venienti incumbere onus concludenter probandi negativam dicti mandati, cujus negativæ probatio, quoties non allegatur ab ipso principali, sed à creditore, vel alio tertio, videtur impossibilis, quia cum agatur de re pendente ab animo principalis, isto defuncto, vel aliàs contrarium non asserente, non de facili ad talem probationem deveniri potest, Multomagis tot adminiculis, & præsumptionibus concurrentibus, undè inspecta etiam veritate, casus videbatur extra omnem dubitationem. 6

Ex abundanti quoque dicebam, quod ubi etiam de isto mandato non constaret, Adhùc tamen cum dictus Philippus generalis institor, seù administrator deputatus esset ad explenda omnia Thesaurariæ negotia in Urbe, præsertim ad solutiones Cameræ, vel Montistis debitis temporibus faciendas, ob quas non sequutas negotium longè majora damna pati poterat, Hinc non improbabiliter de jure dicendum videbatur, sub dicto mandato seù institoria generali istam quoque facultatem conineri, quoniam procuratori constituto ad aliquid agendum, demandata censentur omnia ea, quæ pro eo negotio explendo necessaria sunt, illa præsertim quæ de communi usu fieri solent, & quæ verisimiliter idem principalis pro eodem negotio explendo faceret *Afflict decis. 340. num. 5. Capyc. Latr. consult. 108. num. 11. & sequen.*; Et in specialibus terminis procuratoris, ut pro liberando ejus principali à gravioribus usuris, seù à majori damno, vel incommodo, accipere possit pecunias sub usuris etiam à seipso, ad litteram probat *text. in l. & in contraria 37. ff. de usuris; & in l. si verò 12. § si mihi ff. mandati*, quæ jura licet hodie ita indefinitè non procedant in illis usuris, quæ de jure civili permissæ, de jure canonico in utroque foro damnatæ sunt ex deductis *per Leotar. de usuris quæst. 34. num. 14.*; Nihilominus adhuc illorum dispositio vel ratio rectè procedit in actibus licitis & permissis, ut sunt cambia realia formam Pianæ Constitutionis habentia, ut in specie procuratoris capientis ad cambium exemplificat *Leotar. dicta quæst. 34. n. 26.*, & habetur deductum *in Romana partitorum disc. sequenti.* 7

Ea potissimè circumstantia accedente, quod
8 non agebatur de simplici mandatario, seù institore qui nudi ministri personam gereret, sed de eo, qui erat negotij ejusque utilium particeps, undè vel propriè, juxta Cameræ prætensionem, socius dici poterat, vel saltem impropriè, itaut caderet illa facultas, quæ pro explendis negotiis socialibus uni sociorum attributa est accipiendi pecuniam sub usuris *ad text. in l. si unus §. si quid unus ff. pro socio*, cujus dispositio etiam hodie viget in actibus licitis & de jure canonico permissis, prout est accipere sub cambijs realibus ex deductis *per Leotar. de usuris quæst. 31. n. 44.*

Videntes Camerales ex præmissis se quodam-
9 modo convictos, ad alterum convolabant fundamentum avocationis pecuniarum ex privilegio fiscali sibi competente contrà creditorem posteriorem, quamvis essemus in casu, in quo privato creditori anteriori talis avocatio non competeret ex deductis *per Fontanell. de pact. claus. 5. glos. 8. par. 7. n. 67. & alios*; Verùm & hoc fundamentum, neque subsistentiam habebat, quoniam quicquid esset de hujus fiscalis privilegij intelligentia in genere, attamen in præsenti difficultas cessabat, quoniam omnes DD. istam avocationis materiam tractantes
10 præsupponunt existentiam crediti anterioris de tempore factæ solutionis posteriori actu & habitu, itaut tunc anteriori per debitorem solvi debuisset, proindeque malè gessisse diceretur, neglecto Fisco seù alio anteriori privilegiato, privatum posteriorem gratificari, Secus autem ubi Fiscus vel alter privilegiatus est anterior creditor habitu non autem actu; *ut ex Bald. in l. ubi adhuc Cod. de jur. dot.* benè observat *Trentacinq. lib. 1. var. tit. de jur. Fisci c. 7. n 17.*; Et quando auctoritas deficeret, id evidenter probari dicebam ex ipsa naturali ac necessaria ratione commercij, cum alias illis, qui camerales appaltus suscipiunt ad longum tempus, seù alias cum Fisco contrahunt, vel fiscalia negotia administrant, omninò interdictum esset commercium, in eorumdem negotiorum, seu appaltuum explicatione adeò necessarium, si etiam pro debitis, & terminis in futurum maturandis practicabile esset istud privilegium avocandi pecunias solutas illis, cum quibus medio tempore contractum fuit, & quando fiscus actu creditor non erat, sed quia non expedit negotiatoribus cum fisco contendere, idcircò expediens fuit, eo meliori modo, quo fieri potuit, concordiam ut supra me etiam consulente amplecti.

---

# ROMANA
## PARTITORUM
## PRO
## ANTONIO FRANCISCO FARSETTO
## CUM
## HORATIO FALCONERIO.

*Casus decisus per Cameram pro Falconerio cum temperamento.*

**De facultate data Socio administratori accipiendi pecunias ad cambium pro negotio sociali explendo in certo casu. An exerceri possit absque intimatione consocij, quod casus evenerit, quem ille credere poterat non evenisse.**

**Si Socius ut extingueret cambium limitatum iniit in præjudicium negotii socialis cambium rigorosum, An substineatur actus ad limites prioris cambii limitati, itaut ad eam rationem cambia deberentur; Et an facultas accipiendi ad cambium in solo casu indigentiæ possit exerceri prius quàm indigentiæ casus veniret, ac præventivè, ut eveniente casu pecunia esset prompta. Et aliqua de clausura nundinarum.**

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *De institore, vel alio administratore, ut sibi data facultatem in subsidium sumendi ad cambium exercere non possit sine interpellatione.*
3 *De differentia mandati ad capiendum ad cambium dati per debitorem creditori, vel simplici administratori, seù socio.*
4 *In cambio reali nullum dari potest lucrum certum, sed creditor potest esse in damno, & debitor in lucro.*
5 *Socius non debet subjacere damno, si non sperat lucrum, alias dicitur Societas leonina.*
6 *An socius in causam negotij socialis possit girare cambia sub suo nomine privato.*
7 *Facultas capiendi ad cambium non potest exerceri cum seipso.*
8 *De regula* quod potui, nolui *&c.*
9 *De materia aquitativæ actionis de in rem verso, quando intret nec ne.*

## DISCURSUS XIV.

INierunt Falconerius, & Farsettus in Urbe negotiatores partitum cum Camera Apostolica super decem millibus locis montis salis vacabilis fructan-
1 tibus octo pro centenario pro pretio decies centies millies scutorum, in illis belli necessitatibus, singulis mensibus in Urbe, ac Civitatibus Bononiæ & Ferrariæ respectivè submini strandis pro certis ratis in singulos menses distributis, à mense scilicet Februarij ad totum mensem Septembris anni 1643., conventione inter ipsos negotij socios habita, quod ejus administratio tota esset penès Falconerium, qui ad effectum faciendi statutis temporibus conventas pagas, liberam haberet facultatem vendendi loca montium, ex quorum pretio id impleri destinatum erat, & quandò ex emptorum deficientia id sequi non posset, quod tunc in casu indigentiæ, cum eo minori quo fieri posset negotij detrimento, sumere posset pecunias ad cambium, & recambium ab alijs, & quando neque hoc modo pecuniæ reperirentur, tunc Farsettus interpellatus concurrere deberet ad supplendas summas deficientes ad pagarum complementum de proprio, aliàs ad omnia damna; Postmodum verò Falconerius cum eadem Farsetti participatione de mense Martij 1644., quando dicti alterius computi solidatio cum Camera jam sequuta fuerat, aliud cum eadem fecit partitum locorum 300. pro scut. *29 10.* in pecunia numerata.

Super utroque partito inter dictos socios in computorum solidatione multæ exortæ fuerunt contro-

controversiæ, quarum plures in nudo facto potius quàm in jure consistebant; Inter cæteras autem ea fuit acerrimè disputata in Camera prius *coram Cesarino*, deindè *coram Gaetano subrogato*, ubi adhuc pendet, super intersuriis cambiorum, sub quibus Falconerius dicebat accepisse, pecunias partim ab alijs, partim à seipso, ut pagas impleret; Hic autem punctus tres habebat inspectiones, Unam scilicèt, àn deberentur cambia cum mercatoribus Januensibus & alijs inita ad limitatam rationem quinque, vel quatuor cum dimidio pro centenario, Alteram, num Falconerius potuerit sumere pecunias ad cambium à se ipso ad rationem cambij currentis, ut pecunias ut suprà ab aliis habitas restitueret, & quatenùs non potuerit, (ut quodammodo ijdem pro Falconerio scribentes admittebant,) àn saltem ei bonificaride berent cambia ad dictã limitatam rationem quam aliàs solvere opus fuisset dictis mercatoribus; Et tertiam stante quod facultas tributa legebatur in casu indigentiæ, num sumi potuerint pecuniæ ad cambium pro illis nundinis, pro quibus negotium claudebatur per plures dies antequàm tempus solutionis cederet, si vè pro summis anticipatè solutis Cameræ; Plura etenim alia præsertim super legalitate librorum ac multarum partitarum subsistentia, quæ disputata fuerunt, in facto potiùs ut supra dictum est, quàm in jure consistebant.

Assumptis igitur separatim de ordine Cameræ disputationibus, Quatenùs pertinet ad primam, Alij quamvis doctissimi scribentes pro hac eadem parte Farsetti cambia impugnantis, pro qua ego etiam scribebam, in congressibus desuper habitis, legalium conclusionum rigori mordicus ac judaicè inhærentes, omninò verius credebant cambia non deberi, atque facultatem Falconerio attributam ad exercitium deduci non potuisse absque nova ejusdem Farsetti interpellatione, per quam ad istius notitiam deductum esset evenisse casum indigentiæ, quodque ob venditionem locorum montium non sequutam ad effectum complendi pagas oporteret sumere pecuniam super
2 cambijs, Innixi quibusdam Rotæ decisionibus editis *in Anconitana cambiorum prima Julij 1643. coram Carillo, 18. Junij 1646., octava Martij & secunda Augusti 1649. coram Peutingerio*, quarum prima est inter suas *decis. 282. & repetita decis. 224. pa. 9. rec., & ultima est decis. 346. par. 10. rec.*, earumque casus erat, quod institori, seù ministro ad certum negotium deputato, pro illo explicando data fuerant quædam assignamenta, cum facultate, quatenus illa in toto vel in parte deficerèt, accipiè di pecuniam ad cambium & recambium; Cumque per dictorum assignamentorum defectum administrator ita egisset, Rota decidit cambia non deberi, ex eo quod priusquam ad hujusmodi facultatis exercitium deveniretur, præcedere debebat mandantis interpellatio, qua mediante iste sciret evenisse casum indigentiæ pecuniarum, ac subjacere debere cursui usurarum seù cambiorum, cui occurrere potuisset providendo aliundè de pecunia, cum interim credere potuerit ex assignamentis factis remanere provisum, dictumque votum magnum plausum habebat apud ipsum principalem acutissimi ingenij, & in negociorum materia peritissimum, qui subjungebat, quod si dicta interpellatio sequuta esset, ipse providisset pro ejus rata de pecunia, qua otiosa affluebat etiam in nundinis.

In contrario voto eram Ego, qui proindè in mea sententia remansi singularis, sed causæ eventus aliter docuit, & meo judicio benè, ex duplici fundamento, cui discurrendo ut suprà innitebar; Primò ex verisimili scientia, quæ in Farsetto concurrebat de statu negotij, & de quantitate locorum montium, quæ in dies vendebantur, an corresponderet necnè summæ necessariæ pro complendis paghis, quæ singulis mensibus fieri debebant, dum ipse erat Cameræ Depositarius Generalis, atque per ejus Bancum omnes dictæ venditiones fiebant; Et secundò, quoniam quicquid sit in eo casu de subsistentia dictarum decisionum *Anconitan. coram Carillo & Peutingerio*, quæ aliquam exorbitantiam continere videntur, in præsenti cessare videbatur omnis difficultas, dum socius administrator utile negotium gesserat, atque consocij intererat, potius pecuniam ad cambium habitam esse, quàm si vendita fuissent loca montium, cum ista fructarent ad rationem octo pro centenario, interesse verò cambiorum esset limitatum ad solam rationem quatuor cum dimidio, vel ad summum quinque.

Quoties enim socius vel mandatarius gerit rem utilem, & quam verisimilitèr ipse principalis faceret, si per seipsum administraret, tunc non dicitur mandati fines excedere, Atque in hac materia magna differentia est inter illud mandatum, quod datur creditori, qui duas gerat personas, unam scilicet creditoris, alteram mandatarii, & illud mandatum quod datur simplici administratori nullam utilitatem ex cambiorum cursu reportanti, & qui aliàs ab exercitio mandati in gratiam mandantis recepti damnificatus remaneret, solvendo tertijs cambia verè decursa pro pecuniis in causam principalis erogatis; Primo enim casu strictè ac rigorosè proceditur, cum creditor licet juris fictione duas diversas personas ita repræsentet, attamen in veritate contendat de lucro captando, debitor verò de damno vitando, cujus totum oppositum sequitur in secundo casu; Et fortius ubi agitur de socio, in quo, ut in præsenti, duplex concurrebat mandatum, unum datum ab homine ex dicta conventione, alterum datum à lege, Undè quando super primo caderet difficultas, de qua in allegatis *Anconitan.*, illa cessabat in secundo; Concurrente præsertim, ut dictum est scientia & verisimili approbatione consocij, undè in hac parte causa mihi videbatur plana super puncto in genere, qualem etiam absque discrepantia censuit Camera, solaque difficultas cadebat super verificatione qualitatis, sub qua mandatum, sive legis sivè hominis concessum erat, ac exerceri poterat, an scilicèt de tempore, quo pecuniæ acceptæ fuerunt ad cambium à tertiis, adesset necnè indigentia, ut infra.

Alicujus autem relevantiæ circà istam primam partem cambiorum, mihi videbatur illud fundamentum, quod non benè constabat dictas pecunias acceptas esse ad cambium, atque sub eis giràsse sub nomine dictæ societatis seù negotij socialis, potiùs verò constabat de contrario, totum scilicèt gestum esse sub nomine proprio ipsius Falconerij socij administratoris, dum ita tenor spacciorum importabat; Et licèt scribentes pro altera parte insisterent, quod id probaretur ex libris, nihilominùs cum illi supponerentur non benè & mercantiliter tenti, cum temporum distinctione, ac præcedenti libro nuncupato *Giornale*, nulla videbatur fides adhibenda, qualis etiam circa libros prædictos fuit sensus Cameræ.

In hoc enim poterat adesse aliqua captio, quia cum de natura cambij realis sit, ut nullum certum

lucrum in eo dari possit, sed potiùs creditor subjaceat damno diminutionis sortis cum lucro debitoris, *Roman. cons. 238. numero sexto & nono Rota decis.204.par.2.recent.& in alijs hoc tit.sæpius* Hinc resultat, quod dictus socius administrator ita stare poterat semper in lucro, nunquam verò in damno, cui absque spe lucri negotium sociale subjacebat, quod societati repugnat, cum sit
5 species societatis leoninæ ex deductis in proximis terminis *per Burat. decis.336. num. 4. & Millin. decis.293.num.1.*, Si enim cambia in nundinis redibant debitori lucrosa & utilia, poterat ita socius utilitatem sibi ipsi applicare tanquam de negotio cantante sub nomine proprio, si verò redibant damnosa, applicabat societati; Verùm licet istud motivum in stricta juris censura videretur considerabile, nihilominùs, reflectendo ad veritatem, mihi videbatur non improbabiliter fuisse rejectum, Tùm ex æquitativo motivo utilitatis, quam negotium ut supra reportavit ex non venditione montium plus fructantium, Tùm ex altero dictæ verisimilis scientiæ consocij, & fortius ex illo necessitatis, quæ administratori incumbebat, ut cambia currerent sub nomine proprio ob majorem
6 facilitatem inveniendi pecunias, quas mercatores facilius credebant Falconerio viro ditissimo, non de facili autem credidissent negotio sociali, cum ob illius bellicosi temporis qualitatem loca montium reputarentur periculosa, potissimè quia licèt in contractu cambij realis, cum totum pendeat ab eventualitate, adsit dicta possibilitas lucri ex parte debitoris cum diminutione sortis principalis, nihilominùs est casus fortè unquam vel satis rarò contingens, non verisimiliter cogitatus, ut proindè in dicto socio administratore inferri posset ad dictum fraudandi animum.

Quia verò dictus Falconerius mutato consilio, vel restituendo pecunias dictis mercatoribus, vel illas ad cambium retinendo in causam seù computum proprium & particulare pecunias debitas à negotio sociali posuerat & giraverat sub cambijs currentibus cum seipso, constituendo negotium debitorem ad rigorosam rationem cambiorum currentium longè excedentium quantitatem di-
7 ctorum limitatorum cum alijs; Hinc assumpta fuit disputatio, an ista cambia deberentur, Et negativa videbatur plana, nedùm ex regula generali, quod sub mandato regulariter non venit persona ipsius mandatarij, qui propterea absque explicita vel implicita mandantis voluntate cambiare non potest cum seipso, juxta opinionem in Rota & Curia receptam firmatam *decis. 31. & 32. post Turr de cambijs, in Ravennaten. seù Faventina cambij 16. Junij 1653. coràm Bichio, & hoc titulo sæpius*, Sed etiam quia in apoca conventionis facultas expressè restricta erat accipiendi pecunias ad cambium ab alijs. Et licèt scribentes pro altera parte urgerent, quod illud verbum *ab alijs* verificari poterat in ipsomet socio cambiante, qui tertij & extranei personam ita repræsentabat, ob pluralitatem personarum, quæ in ista materia datur in eodem subjecto, Attamen ista juris subtilitas destruebatur ex facto, dum occasione venditionis locorum montium in eadem apoca contradistinguebantur tertij cum dicto verbo *alij* ab ipso socio administratore, quamvis proprio & particulari nomine dicta loca emere volente, undè propterea discretiva erat manifesta; Urgente etiam ratione, ob quam Rota in his terminis rationabiliter firmavit & tenet, quod sub generali mandato seù facultate non veniat persona ipsius mandatarij nè scilicet ob proprium & particulare lucrum, minùs diligenter ac fideliter mandatum expleat, atque gravioribus interfurijs principalem suppo-
nat.

Et quod in proposito omnem difficultatem de plano removebat, erat, quod non solùm lex socium administratorem obligat ad bonam fidem & diligentiam, utiliter, vel minùs damnosè administrandi, sed concurrebat etiam expressa conventio, dum in apoca concedebatur facultas accipiendi pecunias ad cambium, dictumque negotium administrandi cum eo minori damno, quod fieri posset, Ideòque in mala fide hic videbatur, creditoribus non urgentibus restituere pecunias, quæ sub satis moderatis cambijs habebantur; Et fortius illas in computum proprium retinere, supponendo negotium majori damno cambiorum currentium, ideòque quod hæc non deberentur per Cameram habitum fuit pro absoluto.

Censuit tamen Camera, illa deberi ad eamdem limitatam rationem cum alijs ut supra, innixa fundamento æquitatis ex utili negotiorum gestorum dictione, quasi quòd licet negotium non esset debitor in ratione cambiorum, ex quo illa cum tertijs in causam negotij verè non cucurrerant, atque illa cum seipso ex deficiente potestate verè indebita erant ex regula *quod potui nolui &c.* Attamen quia negotium ita erat in lucro, reportando fructus locorum montium, quæ aliàs vendere opus fuisset, consideratum fuit intrare, Vel æquitatem *text. in l.curabit C.de action.empti*, nè penes eumdem 8
remaneret res & pretium, Vel alteram æquitatem de utili in rem verso, judicando indiscretum rigorem esse illum resultantem ex dicta regula, in qua ego & cæteri pro hac parte scribentes insistebamus *quod potui nolui &c.*

Reflectendo autem ad veritatem, quando non obstaret in faciente motivum malæ fidei, mihi præmissa placebant, quoniam judaismi speciem regula prædicta continere videtur, quoties aliàs unus esset in lucro, alter vero in damno; Dicebam tamen dicta æquitate indignum esse eum qui in mala fide versetur, cum dictæ æquitatis beneficium impartiendum videatur ei, qui bona fide utile negotium pro altero gerere voluit, secus autem si mala; Ad quod probandum deducebam in proximis terminis firmata *per Spad.* 9
*cons* 149.*n.5 & sequ.lib.*1. super limitatione textus *in l.incivile Cod.de furtis*, quod scilicet quamvis de juris rigore, juxtà dicti textus dispositionem, furtivæ rei domino jus competat rem propriam vindicandi à quocumque possessore nullo restituto pretio; licet hic jam bona fide emerit, atque pretium esset rei valore inferius, itaut utile negotium pro eo qui furtum passus fuerat, gestum dicatur, Attamen si ille tertius possessor eam rem à manibus latronum vel aliorum viliori pretio emere curavit ut domino restitueret, ac utile negotium pro eo gereret, tunc rigor dicti textus non procedit, sed eatenùs rei domino vindicatio conceditur, quatenus restituat id quod à tertio solutum est, dummodò tamen id sincerè atque cum dicto bono animo gestum sit, secùs autem si ut faceret negotium proprium, cum tunc dicta æquitas non intret, quamvis ita rei dominus utilitatem cum ipsius possessoris damno reportet, cum dictæ æquitatis fundamentum consistat in bona fide facientis, ut habetur deductum *in Romana cessionis usurarum sub titulo de usuris*, Atque fundamentum in puncto juris reverà erat solidum, sed Camera credidit

conti-

continère nimium rigorem, ideoque censuit spectari debere effectum utilitatis, quam exindè negotium de facto reportavit.

Aliquod hujus partis gravamen, inspecta veritate, adfuisse videbatur circà punctum indigentiæ ac admissionem cambiorum intempestivorum, quoniam debitum maturabat in fine mensis post cujus terminum, adhùc aliquorum dierum spatio debitores & partitantes gaudere solent, & tamen negotium positum erat sub cambijs illarum nundinarum, pro quibus octo diebus antecedentibus clausum erat negotium; Et quod magis est, positum ac tentum fuit sub cambijs pro summa scutorum 17.m. excrescente debitum & anticipatè soluta, & deindè pro altera scutorum 30. m. soluta de mense Julij, ideoque posita sub cambijs nundinarum Augusti pro debito maturante in fine mensis Septembris, quibus casibus omnes juris regulæ resistebant dum facultas data socio, præcisè restricta erat ad casum indigentiæ, & quando cum venditione locorum montium aliàs consuli non posset. Verum in his Camera egrediendo fortè cancellos legales processit cum quadam non cripta æquitate, ex eo quod partitarius urgentibus belli necessitatibus & per Summi Pontificis nepotem rogatus & requisitus, denegare non poterat dictam solutionem quamvis in parte anticipatam, cum Principum & Dominantium preces vim jussionis habere videantur, ex ijs, quæ in terminis precum & instantiarum ejusdem Nepotis regnantis habentur *in Romana legitimæ 22. Junij 1640. Dunozetto inter suas decis.* 584 multò magis ubi belli necessitas & publica ratio urgebant; Licet autem ista consideratio in abstracto haberet probabile fundamentum, in concreto tamen cessabat ex facto, cum dictæ anticipatæ solutiones aliæque urbanitates fuissent ultroneæ ad captandam gratiam, ac facilitandam aliquam socij fortunam, ut eventus docuit, ideoque justum non videbatur ut id licitum esse debuerit cum aliena jactura, atque in hoc mihi verè videbatur consistere gravamen; quoniam Princeps habet quidem jus cogendi debitorem ad solutionem antè tempus, sed subducto eo quod interest anticipatam solutionem fieri, ergò tantum abest quod negotium potuerit pati cambiorum damna, quod potius debitum debuerit minui.

# ROMANA
## CAMBII
## DE VANNINIS
## PRO
## JOANNE MATTHÆO OLIGNANO
## CUM
## PETRO VANNINO.

*Casus disputatus coram A.C., & in Signatura resolutus ut infra.*

**Stante pacto, quod super cambiorum justificatione stetur libro & scripturæ ipsius creditoris, An hic teneatur suum librum seù scripturam exhibere, atque exindè justificare cursum & realitatem cambiorum, quamvis exhibeat spaccia, & faciat iustificationem per litteras reditus.**

*Card. de Luca de Cambijs*

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Quando exceptio usurarum retardet repetitionem sortis.*
3 *Ad justificationem cambiorum sufficiunt litteræ reditus.*
4 *An admittantur aliæ species justificationum sine litteris.*
5 *An ex pacto justificatio fieri possit cum solis libris creditoris.*
6 *Et quatenus id non sufficiat, nùm data aliundè justificatione, teneatur creditor stante, dicto pacto justificare etiam cum libris.*
7 *An facultas cambiandi vel mandatum susceptum ad cambiandum expiret per mortem.*

### DISCURSUS XV.

RElaxato mandato per A.C. ad instantiam Olignani contra Vanninum pro sorte principali scutorum mille aurei, & quodam residuo cambiorum, prævia istorum justificatione cum litteris responsivis vulgò nuncupatis *del ritorno*, interposita per debitorem appellatione in Signatura ad effectum gustandi de justitia vel injustitia, ex cujus respectivè fumo resultare solet rescriptum cum clausulis translativis exequutionis vel sinè respectivè, deducebatur per eumdem appellantem injustitia ex defectu justificationis, vel quia litteræ non essent benè recognitę, vel quia illæ non sufficerent, nisi etiam exhiberentur ex parte creditoris libri, ex quibus illæ adminiculatæ remanerent, vel saltem alia concurrerent adminicula tollentia suspicionem antidatæ, & quod de præsenti confici potuerint, potissimè dum in instrumento cambii aderat pactum, ut super eorum realitate & cursu stari deberet libris ipsius creditoris, quem ita dicebant scribentes in contrarium in se assumpsisse onus conficiendi ac retinendi librum proindè exhibendum. 1

Et huic exceptioni addebant alteram expirati mandati seù facultatis datæ ad cambiandum per mortem Joannis Andreæ Olignani, cum quo contractus initus erat, & ex cujus persona Joannes Matthæus nepos tanquam hæres agebat.

Objectum non benè factæ justificationis litterarum de facil. sublatum fuit, quoniam in hoc Signatura rescripsit A. C., ut iterum audiat, & denuò recognoscere faciat spaccia pro tollendis suspicionibus, quæ dabantur adversus testes super dicta recognitione examinatos, qua recognitione plenius & clarius sequuta, cum judex iterum decrevisset mandati expeditionem, denuò adita fuit Signatura super dictis alijs punctis, quæ rescripsit de appellatione in Rota, cum clausula, *si quid exequendum*, quod rescriptum in effectu aliud non produxit nisi dictam dilationem, quoniam debitore vel ejus hæredibus non curantibus infra biennium acta transportare, ob appellationis desertionem exequutio consumata fuit, adversus quam se opposuit ejusdem debitoris uxor creditrix pro ejus dote quamvis posterior potioritatem prætendens in bonis exequutis tanquàm postea quæsitis, & hoc reddidit de facto inanem dictæ exequutionis effectum, atque in hoc statu causa pendet.

Pro creditore scribens, cum sensu etiam veritatis, parùm probabile dicebam hoc rescriptum saltem circa sortem principalem, quoniam vel

exceptiones verè nullam subsistentiam habebant,
2 vel negari non poterat esse satis turbidas, quod sufficit, ut exceptio imputationis cambiorum jam solutorum in sortem principalem retardare non possit istius restitutionem; Licet enim juxta firmata *dec.69.par.9 rec.*, Rota & Curia in ea resideat opinione, quam ego quoque probabiliorem censeo, quod usuræ indebitæ repetendæ non sint cum ordinaria actione condictionis indebiti, ut aliorum est opinio, sed extenuent sortem ipso jure, quoniam in materia usuraria compensatio non intrat ope exceptionis, neque expectat debitoris oppositionem, quæ juris ministerio illicò inesse dicitur, Attamen id procedit, ubi certum est usuras seù accessiones solutas esse usurarias & indebitas ex ipsorum actorum inspectione, quia nempè in proposito cambiorum nulla detur eorum justificatio; Secùs autem ubi id prætenditur per exceptiones dubias & altioris indaginis, cum tunc præsumptio potiùs urgeat pro validitate cambiorum solutorum, quia nemo præsumitur jactare suum, ideoque talis turbiditas operativa solum est circa ipsa cambia decursa, & non soluta, super quibus creditor processum exequutivum intentasset, secùs autem circa sortem principalem certam & liquidam, quoniam esset retardare exequutionem debiti liquidi & certi per exceptionem turbidam & illiquidam, ut ita distinguendo firmatur præsertim per *Rotam in Romana pecuniaria* 18. *Junij* 1646. *& 7. Junij* 1647. *coràm Corrado, utrobique in fine* 23. *Martij* 1648. *coràm Meltio & in alijs*, & hæc est consueta praxis Signaturæ.

Revera tamen neque turbidæ dici poterant
3 exceptiones, sed potius clara videbatur earum insubsistentia, quoniam quatenus pertinet ad punctum justificationis, nimis receptum est in Rota & Curia, ad illam sufficere solas litteras responsivas seù redditus vulgò nuncupatas *del ritorno*, quæ per necessarium antecedens præsupponunt alias missivas vulgò nuncupatas *dell' andata*, penes correspondentes remanere solitas, ideò non de facili habentur. *ut dec.304. num.2. in fine par.4. recent., dec. 274.n.6.par.5.dec.171.num.1.par.7 Romana discussionis* 26. *Junij* 1630. *coràm Coccino*, *Romana cambij* 19. *Junij* 1651. *coram Rojas* inter suas *decis.*457. in quibus in specie absque libris vel alijs adminiculis; cum solis litteris prædictis justificatio admissa fuit.

Et licèt apud *Burat. decis.*603. *Merlin. dec.* 636. *Romana cambij prima Julij* 1658. *Meltio*, alia *Romana cambiorum* 14. *Junij* 1660 *coràm Verospio*, & in
4 plerisque alijs, quæ per scribentes cumulabantur, ad ejusdem realitatis justificationem habita fuisset ratio de libris creditoris vel mercatoris, qui cambia giravit, legaliter & mercantiliter tentis, sivè de alijs adminiculis, quorum plura in proposito ponderata habentur *in Romana cambij de Sfortijs disc.* 6. Attamen id fuit ad superabundantiam, ac forsan ad supplendam aliquam exceptionem, quam juxtà individuorum casuum particulares circumstantias litteræ pati possent, non tamen inde sequitur id esse præcisè necessarium, quoniam *Pius V.* in ejus Constitutione 118. sola litterarum transmissione cum subsequuta effectuatione per litteras responsivas probata contentatur neque ullibi cautum est, creditorem teneri ad libri confectionem.

Insistebant scribentes in contrarium super pacto, per quod dicebant creditorem suscepisse istud onus, quod aliàs de jure sibi non incumbere admittebant, sed verè vanum fundamentum erat, quoniam cum juxtà plurium opinionem extrà Curiam Romanam fortè magis communiter receptam, stante pacto, soli libri creditoris vel camp- 5
soris deputati sufficiant ad justificationem, ut *latè firmant Rovit cons.*103. *lib.*2. *Turr. disp.*3. *q.* 10. *n.*12. & habetur sæpius deductum *hoc titulo*; Idcircò ex consueto notariorum formulario istud pactum pro majori cautela & in gratiam creditoris adjici solet, qui potuit non uti, ut punctualiter practicatum habetur *apud Merlin. d. dec.*636. *post num.*1. *vers. Nec in præsenti*, ubi in puncto hoc objectum tollitur; Esset enim aliàs contra principia retorquere in odium & præjudicium id quod pro favore, ac majori cautela creditoris in pactum deductum est, & 6
sic libri quatenus per creditorem vel scripturalem conficiantur, satis quidem prodesse possunt etiam retenta opinione Rotæ & Curiæ, pro supplendis quibuscumque exceptionibus vel defectibus, quæ circa litteras adesse possent, Nullatenus verò dicendum est eos esse necessarios, quoniam rectè negligere possumus id quod ad nostram potiorem cautelam introductum est.

Quoverò ad aliud objectum expirationis mandati per mortem creditoris, deducebam eadem, quæ *in Romana cambiorum disc.* 2. *& in Camerin.* 7
*disc.*4. & in alijs hoc titulo sæpius deducta sunt, distinguendo scilicet inter mandatum voluntarium, quod in solam gratiam mandantis principaliter suscipitur, itaut mandatarius, institoris & ministri potius personam gerere dicatur, & mandatum necessarium datum à debitore creditori in rem propriam, Istud enim est irrevocabile, donec sequatur debiti restitutio, undè si non suffragatur revocatio expressa, minùs suffragari potest tacita & præsumpta resultans ex morte debitoris, quia nunquam majoris operationis potest esse tacitum & præsumptum quàm expressum, Atque hæc est distinctio plana, cum qua passim in foro proceditur, potissimè quia hujusmodi facultates cambiandi, quæ creditoribus dantur ut plurimum continent clausulas cæteratas importantes stipulationem pro hæredibus &c.

---

# ROMANA

## CENSUS

## PRO

## FRANCISCO SAULIO ET CONSORTIBUS.

## CUM

## DUCE SFORTIA.

*Casus decisus per Rotam pro Sfortia.*

**De cambijs limitatis cum pacto, ut debitore aliquid non adimplente cesset limitatio, ità ut debeantur cambia currentia, nùm valeat, Et quatenus sic, àn facto casu non implementi, requiratur nova debitoris interpellatio, vel An per subsequentem receptionem implementi censeatur id remissum, ità ut non debeantur cambia nisi ad rationem limitatam.**

SUM-

## SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ubi cambia limitata reducuntur ad currentia, num requiratur nova interpellatio.*
3 *De præsumpta solutione ex* l. quicumque.
4 *Quando per litteras non justificetur realitas cambiorum.*
5 *Declaratur conclusio, de qua num. 2.*
6 *De validitate reductionis usurarum cum pacto, ut debitore non solvente debeantur adrigorosam rationem.*
7 *Per implementi receptionem videtur remissum pactum resolutivum.*
8 *In pacto resolutivo non datur purgatio moræ.*
9 *An valeat pactum in cambijs limitatis, ut si currentia importent minus, adhuc debeatur creditori summa conventa.*
10 *Pacta non resipientia substantiam cambij vitiantur & non vitiant.*

## DISCURSUS XVI.

1 DUcissa Eleonora Sfortia de anno 1628. recepit à Saulo & Bezio ad cambium limitatum ad septem cum dimidio pro centenario scuta 10. m. auri, & pro satisfactione cambiorum & recambiorum necnon ratæ sortis de semestri in semestre solvendæ in summa scutorum 600. assignavit annua scuta 1200. consequenda in majori summa ab Alexandro Pallavicino ejusdem Ducissæ debitore occasione census in sorte scutorum 50. m., dictæque obligationi accessit & consensum præstitit idem Alexander, cum pacto, quod si hic etiam irrequisitus deficeret à solutione unius semestris, tunc alio mense elapso, & solutione non sequuta, debitrix subjacere deberet cambijs currentibus, quem casum creditores prætendentes factum esse, constituere cœperunt eam debitricem ad dictam rationem cambiorum currentium, pro quibus ac pro sorte detractis aliquibus solutionibus, cum remanerent creditores scutorum 8645., pro istis de anno 1640. obtinuerunt ser. ser. sibi deliberari ratam dicti census scutorum 15. m., ex eo, quem in majori summa scutorum 50. m. dictus Pallavicinus consequi debebat à Duce Alexandro Sfortia cum obligatione Ducis Marij, qui recognoscendo prædictos in dominos, eis solvit scuta 2750., undè redacta sorte ad 12250., pro istorum fructibus ac etiam pro sorte ad effectum deponendi ob sion præstitam cedulam bancariam obtinuerunt ab A. C. mandatum exequutivum, adversus quod commissa causa per Signaturam in Rota cum clausula *si quid exequendum*, & assumpta disputatione *coram Dunozetto* sub die 30 *Aprilis* 1655. negativa prodiit resolutio ex negato actorum dominio dicti census, utpotè indebitè subhastati ac deliberati ratione excessus, quod scilicet de eo tempore calculando cambia ad rationem limitatam scut. 7. cum dimidio juxta formam conventionis non essent creditores in tanta, sed in longè minori summa, non obstante quod ex parte creditorum responderetur cambia justè calculata fuisse ad rationem currentium stante pacto, de quo suprà, ex decisione inter illas *Dunozetti decis. 962.*

2 Credidit enim Rota, quod ad effectum ut fieret locus dicto pacto, requiratur nova debitoris interpellatio, per quam sciret purificatam esse conditionem transitus de una cambiorum specie ad alteram, nec non debitor certificaretur de voluntate creditoris utendi pacto seù facultate prædicta, cum aliàs in bona fide continuando credere potuerit casum pacti non e venisse, seù quatenus evenisset, creditorem noluisse dicta facultate uti, innixa decisionibus *in Romana cambiorum 24. Junij 1618. coràm Manzanedo, & in Anconitana cambiorum coram Carillo* inter suas *decisiones* 282. aliàs *decis 224. par 9. recent.*, *& in eadem* 10. *Martij*, *& secunda Augusti 1649. coram Peutingerio*, quarum ultima est impressa *dec. 346. par. 10. recent.*

Item quia ut tali pacto locus fieret, opus esset, quod constaret de mora, seù cessata solutione, de 3
qua sequuta potius constare credidit ex præsumptione resultante à dispositione *text. in l. quicumque C. de apocis publicis lib. 10.*, cujus dispositio in decisione desuper edita plenè exornatur, ut locum habeat etiam in censibus, & quibuscumque alijs annuis præstationibus; Ac demum dixit omnem desuper difficultatem cessare ob non justificatam realitatem cambiorum, cum litteræ redditus ex parte 4
debitorum tunc exhibitæ crederentur nimium suspectæ ob attestationem plurium affirmantium nunquam in Civitate Lugdunen. adfuisse de eo tempore illum mercatorem Oliverium, cui supponebatur litteras transmissas fuisse.

Hoc ultimum fundamentum consistens in nudo facto, quandò subsisteret, itaut ex parte creditorum cum facti justificationibus ista suspicio non dilueretur (reflectendo ad veritatem) reddere videbatur resolutionem probabilem, atque eo, occasione scribendi prius pro dictis creditoribus in Signatura, quando id per alteram partem motivatum fuit, insinuavi de causæ exitu posse satis timeri; Reliqua verò duo motiva mihi videbantur parùm tuta, undè quando istis tantùm resolutio innixa esset, potiùs improbabilis pro meo judicio videbatur.

Quatenùs enim pertinet ad illud non factæ interpellationis, dicebam idem, quod deindè post aliquos annos repetij ac firmari obtinui *in Romana cambij de Sfortijs supra disc. 6.* conclusionem sci- 5
licet firmatam in dictis decisionibus coram *Manzanedo, Carillo, & Peutingerio*, procedere, quandò debitum alias non usurarium in usurarium converti debet, itaut novam ac diversam naturam assumat, cum creatione novi contractus, in quibus terminis procedunt allegatæ decisiones, præsertim prima coram *Manzanedo*; Secus autem in hoc pacto, quod non continet transitum de uno contractu in alium seù diversam cambiorum speciem, hoc enim dicebam videri laborare de æquivoco, dum in jure non habentur cambia limitata, quæ differant à currentibus, sed una est species cambij realis, cujus interfuria pendent ab eventualitate, quæ potest etiam creditori damnum, ac debitori utilitatem causare; Illud verò cambium, quòd per modum loquendi dicimus limitatum, ita nuncupatur, ob pactum per quod convenitur, quod si cambiorum interfuria certam limitatam summam singulis annis excederent, illud plus debitori remissum censeretur juxta præcisum casum *textus in l. pecuniæ 9 ff. de usuris*, & quam conventionem 6
validam indubitatè firmant *Rodriquez de annuis redditibus lib. 2. cap. 14. num. 7. Cenc. de cens. quæst. 57. n 28. Duard eodem tract. §. 4. quæst 35. nu. 1.*, & in terminis pensionis *Buratt. dec. 528.*

Quo posito resultat, nullam aliam interpellationem requiri, quoniam hæc non est pœna, vel caducitas, seù alter moræ effectus, aut conversio debiti in novam diversamque speciem seù naturam, sed

est cessatio donationis seù remissionis illius pluris, ob cessatam seù non purificatam conditionem, sub qua illa facta erat juxta terminos *textus in l. 1. Cod. de donat. quæ sub mod cum similibus*, ut benè probat *text. in d. l. pecuniæ*, & est deductum *in dicta alia Romana disc. 6.* Ista etenim videtur certa veritas, quoniam si ab initio absque alia interpellatione poterat creditor convenire de cambijs currentibus atque dictam remissionem non facere, hinc proindè nulla subest ratio, cur si poterat totum negare, non potuerit quod dabat sub certa conditione auferre.

Alterum fundamentum fuisset considerabile, quando per veras probationes justificaretur id, quod præsumptivè Rota firmavit, quod scilicet 7 creditores post factum casum pacti, adhuc perseverassent in exactione semestruali ad formam conventionis, tàm pro eo semestri, ob cujus defectum dicto pacto factus erat locus, quàm in alijs subsequentibus, idque non ratione purgationis moræ, in qua pro altera parte scribentes insistebant cum illis terminis generalibus, quos habemus in materia emphyteutica, quoniam hæc non est pœna moræ, sed est purificatio conditionis; Et ex qua ratione recepta est propositio, quod adversùs pacta resolutiva dicta purgatio non intrat, cum agatur de 8 non consequendo commodo ex deficientia consensus *Gratian. discept. 786. in fine Greg. dec. 559. n. 6. decis. 203. n. 19. & 20. par 6. rec.*, sed tanquam ex observantia declarativa voluntatis, quod scilicet ille, cui adimplendum erat in tempore, recipiendo post tempus, & ad formam primæ conventionis, continuando non curaverit de resolutione, atque non implementum ita remittere voluerit.

Sed cum dicta solutio deduceretur præsumptivè, non poterat exindè ad dictum alium effectum inferri, quoniam ita esset multiplicare specialia seù præsumptiones, quod in jure non conceditur *ad notat. in l. 1. C. de dotis promissione*, cum concordantibus *per Barbos. axiom. 211.* defuit tamen occasio ista maturius examinandi, cum vel ob subsequutam concordiam, ut est probabilius, vel quod creditores non potuerint dictam spacciorum suspicionem tollere, causa ulteriorem progressum, quod sciam non habuit.

In proposito autem hujusmodi limitationis cambiorum, consueta formula est, quod limitatio respicit solum excessum, quod scilicet si interfuria excederent certam summam, illud plus censeatur debitori remissum, Econversò autem, si ad eam non ascenderent, non posset creditor exigere, nisi id, quod verè illorum cursus importat; Verùm *in Romana cambij pro Vecchijs cum Parisano* disputata coram A. C., pacti formula erat diversa, dum 9 conventum erat, quod si cambia excederent septem pro centenario, illud plus cederet ad damnum creditoris, si verò essent minus, cederet ad damnum debitoris, Ex hac enim pacti forma contendebat debitor cambium esse siccum & usurarium, utpotè continens lucrum certum, undè propterea prætendebat ad nulla cambia teneri, etiam ad eam minorem rationem, sub qua in nundinis cucurrerant; Verùm contrarium, me pro creditore scribente, judicatum fuit, pro illorum scilicet debito, ad eam tamen minorem rationem, quæ in nundinis curriisse justificabatur, dum ex subsequuta observantia particulari cum eodem debitore, atque ex generali eorumdem creditorum in multis, ac multis contractibus, qui exhibebantur cum diversis, detegebatur id tribuendum esse errori Notarij, non autem ipsorum creditorum depravatæ voluntati.

Et ulterius dicebam, quod cum cambia, posita illorum realitate, in substantia sint licita, hujusmodi pacta alternativa utpotè formam vel substantiam 10 non percutientia, non vitiant, sed potius vitiata remanent, ut receptum habemus circa pacta rescissoria & similia in censibus, ex pluries deductis in sua materia *sub eo tit.*, Ac etiam in excessiva vel aliàs alterata conventione fructuum recompensativorum, seù interfuriorum lucri cessantis, vel damni emergentis *sub tit. de usuris*, Et in specialibus terminis cambiorum habetur *in Romana locationis venæ ferri infra disc. 24.*

Dicebam etiam tanquam Advocatus, quod non esset ponere os in Cœlum in substinenda hujusmodi conventionis validitate, quia cum incertum sit quantum cambia interfuriorum importare possint, prohibitum non videtur contrahentibus super hujusmodi incertitudine inire concordiam, per quam uterque æqualiter potest se habere ad commodum, & ad damnum, dum cambia possunt importare multò pluris, undè propterea debitor ita reportaret commodum compensandum cum damno, quatenus importaret minus, ad generaliter notata *in l. de fideicommisso, & l. Præses Cod. de transactionibus*, & in specialibus terminis usurarum, seù interfuriorum, ut quoties eorum substantia in universum est licita, prohibita non sit concordia super futuro incerto eventu *Leot. de usuris q. 90 n. 41*, & habetur pluries *sub tit. de usuris*; Verùm istud fundamentum mihi videbatur periculosum, quoniam ità esset sub sola verborum figura introducere cambium siccum, atque dare in creditore pecuniario lucrum semper certum absque periculo damni, & diminutionis sortis principalis, qualis enim esset conventio, illa percutit solùm quantitatem lucri, per creditorem assequendi, unde sivè plus, sivè minus obtineat, semper est lucrum certum, quod licet Morales admittant sub illa specie trium contractuum, de qua *in Firmana sub dicto tit de usuris, disc. 1.* attamen in foro externo recipiendum non videtur ex ibi deductis; Ideoque in præsenti quamvis pro creditoribus scribens, stante præsertim istorum observantia tam generali cum aliis debitoribus, quàm speciali cum isto, dabam manus, ut aliud eis non deberetur, nisi id quod verè importarent cambia secundùm cursum nundinarum, ut sequutum fuit.

---

# ROMANA

## CAMBIORUM

## SEU

## REPETITIONIS

## PRO

ALEXANDRO MUSCA ET CÆSARE COLUMNA

## CUM

MARCHIONE GINETTO

*Casus disputati coram A. C. & resoluti ut infrà.*

**De cambiis ab initio limitatis ad certam summam, & ità exactis, An restitui debeant,**

beant, quatenus cursus nundinarum tanti non importasset. Et quid ubi super dicto cursu esset diversitas inter nundinas & plateas, cujus sit electio, An debitoris, vel creditoris.

Et debitore in se assumente onus transmittendi spaccia & girandi cambia, quatenus id non sequatur, ità ut cambia debeantur loco damnorum & interesse, An in istorum calculo haberi debeat ratio provisionum, vel potius istæ sint detrahendæ.

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Cambium limitatum intelligendum est, si currens excedat, non autem si sit minus.*
3 *A cambijs, quæ sine spaccijs debentur per debitorem loco damnorum, & interesse detrahuntur provisiones.*
4 *De validitate conventionis, ut provisiones cedant commodo creditoris, vel deputantis scripturalem.*
5 *Quomodo probetur cambiorum cursus, & quod non excesserint certam summam.*
6 *Pœna conventionalis de jure canonico non exigitur ultrà quod interest.*
7 *De ratione substinente cambiorum validitatem & ob quam admittenda non est platearum incertitudo.*
8 *Quando creditor excusetur à restituendis cambijs excessivis per debitorem sponte solutis.*
9 *Bona fides seu credulitas quando in materia usuraria excuset.*

## DISCURSUS XVII.

1 PRO Alexandro & Cæsare, diversis tamen temporibus, & coram diversis ejusdem Tribunalis A. C. judicibus, eumdem punctum cum eodem creditore disputavi, cum aliqua tamen diversa circumstantia; Cum enim Marchio Ginettus aliquas respectivè pecuniarum summas prædictis dedisset ad cambium limitatum septem pro centenario, cum cautela seù formula moderna liberante creditorem ab onere & curâ transmittendi spaccia, & justificandi cambiorum realitatem, transfundendo tale onus in ipsos debitores, qui se obligarunt cambiare per nundinas *Novarum* & *Placentiæ*, & in istarum defectum per quascumq; plateas & nundinas Italiæ & extrà, Alexander per plures annos, absque aliqua litterarum transmissione, vel cambiorum giro sponte solvit singulis annis cambia ad dictam conventam limitatam rationem. Cæsar verò ad illorum solutionem una cum sorte pulsatus, opponens de diminutione, ex eo quod intersuria cambiorum per dictas nundinas, detractis expensis provisionum, ad tantam summam non ascenderent, cum in promptu id non justificaret, atque reputaretur exceptio altioris indaginis non habilis ad retardandam exequutionem obligationis Cameralis, coactè de mandato Judicis, & cum protestatione solvit, deindè verò uterque respectivè diversis temporibus, & sub diversis judicibus ejusdem Tribunalis A. C. opposuit de repetitione ejus, quod excessivè solutum erat.

Et scribens pro utroque debitore, dicebam eorum intentionem esse fundatam in pacto claro (de natura etiam contractus & communi observantia subintelligendo, quatenus non adesset pactum) ut cambiorum limitatio intelligeretur respectu excessus, quem ita creditor debitori condonare dicitur, non autem ubi cambia verè ad tantam summam non ascenderent, cum tunc nullus subesset legitimus titulus exigendi dictam summam excrescentem, quæ ita remaneret, tanquàm cambium siccum. 2

In calculo verò hujusmodi cambiorum, dicebam habendam non esse rationem de expensis provisionum solvendarum correspondalibus, vel scripturalibus, quoniam stante defectu transmissionis litterarum, ac realitatis cambiorum ad formam *Constitutionis Pij V.*, absque dubio cambia exigi non potuerant tanquam cambia, sed solum tanquam damna & interesse ob non impletum susceptum mandatum *juxta decisionem 7. post Salgad.*, de qua *hoc tit. sæpius*, ideoque creditor prætendere non potest, nisi quanti sua interest, ac si factum promissum verè sequutum & impletum esset *ad text in l. 1. Cod. de eo quod interest*, ubi communiter scribentes, *Leotar. de usuris quæst. 75. num. 9 & 11.*, & omnes, ideoque si debitores verè curassent cambia girari, passi quidem essent etiam intersuria provisionum, quas solvere debuissent correspondalibus & mercatoribus, qui scripturam tenuissent, nisi aliter cum eis conveniissent: sed hoc nihil intererat creditoris, ad cujus commodum aliud cedere non debuisset, nisi id quod importabat interesse cambij pendens ab aggio seù valore auri. 3

Et quamvis scribentes pro creditore replicarent prohibitum non esse creditori ex conventione cum correspondali in ejus gratiam modica portione contento, sibi ipsi, & ad ejus commodum applicare provisiones, quas nihil debitoris interest ad unius vel alterius commodum cedere, dum semper ipse est illarum debitor juxta *decisionem 45. par. 4 rec. tom. 2.*, & *in Romana cambiorum 28. Novembris 1659 coram Vorospio* §. *provisiones*, de qua causa *supra disc. 1. & 2.*, Attamen hoc potius retorquebam, dum id clarius debitorum intentionem fundabat, cum enim eis incumberet correspondales, seù scripturales sibi benè visos eligere & deputare, idcircò ex eadem ratione, ex qua quando creditor id agit, potest ita cum eis convenire, potuissent quoq; id facere ipsi debitores, cum ratio esset eadem, proindeque dicebam imputandum esse creditori, cur accedente pacto ex communi formulario apponi consueto, quod debitore susceptum mandatum non adimplente, esset in facultate ipsius creditoris id agere, usus non sit tali facultate, qua mediante ipse reportare potuisset istud majus lucrum, quod videtur compensandum cum eo incommodo, quod creditor patitur super spacciorum transmissione, ac onere, quod tali casu habet justificandi formiter requisita realitatis, à quibus omnibus ut in alio casu relevatur, Et ob quod onus evitandum inolevit dicta cautela transfundendi idem onus in debitorem, sed pariter cum rationis fundamento inolevit usus tam dicti Tribunalis quàm aliorum & Signaturæ, detrahendi ab hujusmodi cambijs debitis loco damnorum & interesse dictas expensas provisionum, quas debitor ita evitare potuisset, etiamsi verè cambia girata essent, dando aliquam modicam recognitionem correspondali. 4

Major disputatio fuit super dictæ negativæ probatione, quoniam licet ex parte debitorum cum attestationibus mercatorum, & extractionibus partitarum à libris nuncupatis *Squarcia foglio*

*dificra*, benè justificatum esset cambia per dictas nundinas *Novarum* & *Placentiæ*, facta nundinarum, seù annorum peræquatione, importare ad rationem quatuor cum dimidio circitèr pro centenario, Replicabant tamen scribentes pro creditore, id non sufficere stante pacto in instrumento adjecto, quod in casu non implementi, teneretur debitor ad damna & interesse ad rationem cambiorum juxta pretia quarumcumque feriarum vel platearum creditori magis placitarum, ideoque inferebant, quod ita poterat creditor dicere velle assequi ea majora cambia, quæ decurrerunt per plateas Venetiarum, Neapolis, Lugduni, &c.; itaut hæc sola possibilitas sufficeret pro excludenda repetitione indebiti, ad cujus effectum ejus perfecta & concludens probatio requiritur, excludens contrariam possibilitatem.

Hoc fundamentum, licèt quandoque in isto Tribunali admissum, & à Signatura canonizatum sit, mihi reflectendo etiam ad veritatem non videbatur tutum, quia cum susceptum onus cambiandi esset per dictas nundinas *Novarum* & *Placentiæ*, non potest fictio excedere veritatem, neque creditor ob non implementum plus prætendere potest, quàm si verè illud sequutum esset, cum aliud non sit interesse, nisi ficta suppletio veritatis, Undè cum debitoris electio esset cambiandi per dictas nundinas, atque si id sequutum esset, aliud lucrum creditor reportare non potuisset, nisi quantùm verè dictarum nundinarum intersuria importassent; Hinc proindè absolutum videtur damna & interesse hujusmodi veritatis suppletiva, non posse plus importare, nil obstante pacto prædicto, quoniam ita continere diceretur meram pœnam, obligando debitorem ad solvendum plus quàm creditoris interesset implementum ad formam conventionis sequutum esse, quæ pœna de jure canonico, præsertim ubi usuræ suspicio cadere potest, non exigitur ex deductis per *Sperell. de. 131. Leotar. de usuris quæst. 18.*, & plenè *in Romana appaltus venæ ferri sub tit. de Regalibus disc. 117.*, ubi de hac materia pœnæ conventionalis.

Aliam item ponderabam rationem dicti pacti improbativam, quoniam ratio, quæ hujusmodi contractum cambij substinet, unicè consistat in eventualitate, ex qua creditor, ac respectivè debitor ad lucrum & damnum se habere possunt *juxta conf. 238. Romani*, & habetur *hoc tit. sapius*; Hoc autem requisitum ita omninò cessaret, quoniam si in destinatis nundinis intersuria cambiorum currerent magna, itaut creditor esset in lucro, istud ille obtineret, Econversò autem ejus damnum resultaret, illi non subjaceret, undè debitor esset semper in damno absque spe lucri, quod propriè facit cambium siccum, & usurarium, ut advertitur infrà *in Romana locationis venæ disc. 24.*

De plano hæc procedere credebam respectu Columnæ, qui de his opposuerat, atque coactus de mandato judicis cum protestatione solverat; Difficultatem autem habebam, qualem etiam habuit judex, atque eventus causæ docuit cum Musca, qui sponte solverat, quoniam ut alias super eodem puncto & coram eodem Judice deduxeram *in Romana cambij pro Petrò Marchesio*, de qua causa actum habetur *sub tit. de credito* (ita etiam Signatura probante) quandò debitor sponte solvit, atque id, quod solutum est amplius non extat, nec in specie, nec in æquipollenti, itaut de tempore detectæ malæ fidei dici non possit creditorem remanere locupletiorem, tunc dictæ repetitioni locus denegandus videtur, quoniam creditor potuit justè credere tanti cambia importasse, cum non sit verisimile debitorem voluisse sponte solvere indebitum, nisi ipse esset mercator, qui cambia verè gi, rasset, itaut illorum cursus certam notitiam haberet.

Quamvis enim in materia usuraria in foro externo non admittatur excusatio bonæ fidei seù diversæ credulitatis *juxta decis. Seraph. 1006. & passim*, Attamen id procedit, ubi actus peccat in forma, atque est de per se illicitus & usurarius, quamvis à creditore legum ignaro licitus crederetur, cum juris ignorantia in proposito non excuset, puta quia credat cambia posse deberi etiam sine justificatione realitatis cum spacciis, vel credat censum esse validum quamvis non servata forma Bullæ *Pij* cum similibus, secùs autem ubi actus in substantia est licitus, ac sola differentia est in majori, vel minori quantitate, cuius certitudo pendet ex facto creditori verisimiliter ignoto, & quod ex debitoris observantia justè credere potuit esse tale, itaut ignorantia sit facti, & non juris, ex ijs quæ habentur *sub tit. de usuris*, præsertim *in Baren. census disc. 17.*, & in alijs ac infra *in Romana pro Piffero, & Marescotto.*

---

# ROMANA

## CAMBII DE BISCIIS

## PRO

## JOANNE PAULO SANSONIO.

## CUM

## FRATRIBUS DE BISCIIS.

*Casus decisus per Rotam prò Biscijs.*

**An contractus cambii sit licitus Clericis, Et quatenus non, An id impediat cursum cambiorum, nè à debitore peti valeant**

**Si campsor, qui deputatus est ad transmittenda spaccia, aliaque gerenda cambii girum concernentia, efficiatur ex cessione creditoris eiusdem cambii dominus, seù utilitarius, An ex hoc cessata dicatur eius facultas, stante quod in contractu data non est facultas creditori cambiandi cum seipso.**

### *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Facultas cambiandi non censetur data cum seipso.*
3 *Data uni, an prosit ejus cessionario, & quandò non.*
4 *Clericus an possit facere contractum cambij, & num. 7.*
5 *De eadem conclusione, de qua num. 3.*
6 *Quando in hac materia dicatur electa industria persona.*
7 *De eadem conclusione, de qua num. 3., Et de negotiatione clericis prohibita, vel permissa.*
8 *Quod cambij contractus non veniat sub negotiatione clericis prohibita, Et de ratione.*

DIS-

## DISCURSUS XVIII.

1 VANNIUS certam pecuniarum quantitatem scutorum 1700. dedit ad cambium Bernardino Biscię in Romana Curia Prælato cum obligatione matris & duorum ejus fratrum, atque pro dicti cambij giro deputatus fuit Samsonius in Urbe negotiator; Vannius autem deindè declaravit dicti cambij commodum & incommodum spectare ad Larizzam, de cujus pecunia initum erat, ipsumque habere nudum nomen, atque Larizza post aliquod tempus illud cessit Sansonio, qui ab A. C. pro sortis & partis cambiorum restitutione mandatum executivum obtinuit contrà dicti Bernardini interim defuncti matrem & fratres coobligatos, & commissa causa *in Rota coram Bevilaqua* cum clausula, *Si quid exequendum*, pro denegatione executionis contrà creditorem responsum fuit sub diebus *7. Junij 1662., 5 Martij 1663., 28 Februarij 1664. & 29. Januarij 1665.*; Plura verò fuerunt dictarum resolutionum fundamenta, illud præsertim causæ, vel falsæ, vel ineptæ, seù non utilis, vel saltem non damnosæ, quæ ex Statuto Urbis 151. requiritur in contractibus minorum & mulierum ex deductis in hac eadem causa *sub tit. de contractibus in genere*, Quatenus verò ad istam cambiorum materiam pertinet, ex duobus fundamentis dictum fuit cambia non deberi, respicientibus tamen ipsa cambia, non autem debitum sortis principalis, Primò nempè ex defectu facultatis cambiandi in Sansonio, postquam ex cessione Larizzæ
2 effectus est creditor, seu cambij dominus, ob regulam, de qua *decis. 31. & 32. post Turr. de cambijs*, & in alijs sæpius, ut facultas cambiandi etiam cum se ipso egeat nota speciali; Quamvis enim dicta facultas cambiandi etiam cum se ipso data esset Vannio cum quo contractus initus fuit, dicitur tamen
3 illam restringi ad personam, neque potuisse alteri cedi, potissimè dum idem Vannius neque aliquam cedendi potestatem habebat, minusque cambiare poterat, dum declaraverat se nudum nomen habere, undè eo ipso, quod talem declarationem fecerat omne suum jus cessaverat, illudque ab initio residere censebatur in persona Larizzæ; Et secundò ex inhabilitate creditoris mandatarij, qui tanquam clericus, qualis erat Larizza cambiare non poterat, vel jus cambiandi alteri cedere, dum clericis potissimè in sacris negotiatio & mercatura interdicta
4 est *cap ejiciens, & cap. negotiatorem 88. distinct. cap. fin. de vita & honest. cleric. cum alijs per Graff. de effect. Cleric. effect 6. num. 1.*

Quicquid autem sit de primo fundamento circà defectum causæ per statutum requisitæ, sub cujus velamine forsan resolutiones non omninò improbabiles dici possent ex facti circumstantijs resultantibus à qualitate Bernardini debitoris, & ab illa aliorum fratrum in ejus causam obligatorum, & quod fuit potissima causa resolutionum.

Quatenus tamen pertinet ad alia fundamenta, reflectendo etiam ad veritatem, parum probabilia videbantur, tùm quia percutiebant solum impedimentum cursus cambiorum, non autem restitutionem sortis principalis pro qua etiam executio denegata fuit in toto, cum in eam dicta motiva nullatenus influerent nisi pro ea rata, quæ ex cambijs solutis tanquam indebitis diminutionem pateretur, Tùm clarius, quia quoad primum motivum deficientis potestatis cambiandi cum se ipso, ut dictum est *in Ravennaten. seu Faventina cambij d. 12.*, & in alijs sæpius, hoc non est vitium intrinsecum ipsius contractus respiciens ejus naturam vel essentiam, itaut illum reddat illicitum & usurarium, sed est solum præsumptio deficientis voluntatis, quæ non solùm expressè, sed etiam conjecturaliter & præsumptivè, sive à priori sive à posteriori probari potest, Quorum utrumque in præsenti concurrebat, quoniam in ipso contrahendi initio, 5
debitor ei quem putabat creditorem, dedit expressam facultatem cambiandi etiam cum seipso, ergo id non abhorruit; Et ulterius postquam scivit cambium non ad primum, sed ad alios respectivè pertinere, adhuc cambia persolvit, ergo declaravit nullam habere repugnantiam, cur magis uni quàm alteri talem facultatem præstare voluerit, quæ repugnantia in dubio non præsumitur, Undè propterea receptum habemus damnatam non esse simulationem personarum utpotè debitori non præjudicialem, cum facultas directa videatur in eam personam tanquam creditorem, non autem ratione alicujus particularis affectionis, sive ob electam industriam personæ.

Ideoque motivum personalitatis cum regulis & doctrinis generalibus fortè extraneis deductum in 6
decisionibus desuper editis parùm subsistens videtur, cum id procedat in eo mandatario, qui in gratiam mandantis tanquam nudus administrator electus est, & cui mandans suam pecuniam trafficandam confidere voluit, alteri fortè non creditu-
rus, quod in hac materia cambiorum applicari forsan posset illi contractui, per quem quis alteri sub nomine institoriæ seu alterius tituli dat pecuniam ad traficandum super cambijs, juxta casum, de quo *in Mediolanen. cambij dec 304. & dec. 556. par. 2. rec.*; Sed ubi mandatum est necessarium, atque in gratiam ipsius creditoris pro ejus reintegratione seu indemnitate, tunc verè non videtur, ubi hoc personalitatis motivum figat pedes.

Quoverò ad alterum fundamentum clericatus, 7
illud pariter minoris ponderis videbatur, quoniam prohibitio mercaturæ in clericis non importat inhabilitatem ad assequendum, sed solùm pœnam circa retentionem, quod scilicet quicquid ex mercatura & negotiatione acquisitum est per clericum, ab isto tanquam indignè & turpiter quæsitum aufert *fiscus* ecclesiasticus jure spolij ex illicita negotiatione resultantis juxtà Constitutionem *Pij IV.*; Ut enim firmant *Abb. in cap. relatum* il secondo *de testam. num. final. & cæteri*, de quibus *Azor. de spol. cap. 2. in secundo quæsito post tract. Redoan. de spol.* in illis parvæ impressionis *fol. 605. Molin. de contract. disp. 342. num. 1. Molphes. in summa de contract cap. 4. num. 128 Gait. de credito cap. 2. tit. 7. num. 2134. & sequen. Carol. de Graff. effect. cleric. 5. num. 16. & 17.* acquisita per clericum ex negotiatione alias laicis non prohibita, sed illicita ratione clericatus, fiunt de ejus dominio, sibique acquiruntur, quamvis deindè tanquam malè quæsita: Ecclesiæ, vel hodie Cameræ Apostolicæ applicentur *ex dicta Constitutione Pij IV.*, quæ alias iniqua remaneret, si sibi applicaret id, quod non esset clericorum, sed veniret restituendum eis, cum quibus negotiatio inita est, quod utique non est dicendum.

Præterea, tam istud quam præcedens objectum non percutiebant qualitatem usurariam, cujus peculiaris natura seu privilegium est, ut quicquid sub nomine usurarum seu accessionum solvitur, illicò in sortem imputetur, sed solùm prætendi posset quædam indebiti species, itaut debitor ad cambiorum solutionem adstrictus, jure exceptionis possit se tueri, non autem ut voluntariè solutum

repeti

repeti posset, sive prætendi imputatio in sortem, undè propterea quatenus resolutiones istis fundamentis essent innixæ, semper remanerent improbabiles saltem respectu denegatæ executionis pro sorte principali.

Ponderabam ulterius auctoritates in ijsdem decisionibus deductas percutere regulam generalem de prohibita clericis negotiatione & mercatura, nullam verò adesse in terminis specialibus probantem contractum cambij illicitam negotiationem continere, cum re vera talis dici non possit, nam aliàs clericis habentibus pecuniam in uno loco interdictum esset illam pro altero loco cum mercatore, vel quocumque altero cum suo aggio seu valore unius monetæ cum altera cambiare, quod importaret commercij privationem, & cujus contrarium passim per quoscumque ecclesiasticos etiam Regulares & observantes, qui sint in communi capaces, observatur; Et licet ubi non agitur de cambio, quod consumatur pro prima vice, sed girare seu continuare debet in cambijs & recambijs usque ad pecuniæ mutuatæ resolutionem, videatur actus mercatoribus potiùs congruus, undè propterea saltem de facto, atque in communi opinione reputatur species mercaturæ clericis illicitæ, ob quam Camerales desuper manus apponunt tanquam ex illicita negotiatione, Nihilominus id potius sequi videtur, vel ex quadam vulgi opinione, vel ratione scandali, quo cessante non videtur subesse ratio prohibitiva, undè propterea *Scaccia de cambijs* §. *Primo, quæst 7. par. 2. ampl. 11. num. 6.* advertit prohibitum non esse clerico mediante alio laico, & sub istius simulato nomine suam pecuniam dare ad cambium, quia concurrentibus realitatis requisitis juxta Bullam *Pij V.*, dicitur actus licitus & honestus; Et quemadmodum clericis & Ecclesiis prohibitum non est dare pecuniam ad censum, ita non videtur, cur dici debeat prohibitus dare ad cambium cum in censu, magis certa videatur accessio salva sorte, quàm in cambio, in quo sors diminutionem pati potest: Licèt enim in censu sors sit demortua & perpetuo irrepetibilis, in cambio verò elapso statuto termino possit repeti, nihilominùs istud creditoris & respectivè debitoris commodum vel incommodum compensatum remanet à dicta alia differentia securitatis sortis principalis & uniformis accessionis seu utilitatis in fructu quæ concurrunt in censu, & cessant in cambio, undè propterea alia urgere non videtur ratio prohibitionis, nisi illa scandali ac opinionis vulgi, quibus rationibus consultum remanet, quandò sub aliorum nomine isti contractus celebrantur; Et consequenter nulla videtur subesse congrua ratio, cui assumptum innitatur.

# ROMANA

## CONTINUATIONIS CAMBII

## PRO

## THOMA CARENA.

*Discursus pro veritate.*

**An post restitutam sortem possit creditor continuare sub cambijs & recambijs fructus seù cambia quæ remanerent debenda.**

*SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *In censibus & societatibus officij solutio in parte non facit cessare contractum in residuo non soluto.*
3 *Cambia non dicuntur fructus sed pars sortis.*
4 *De conclusione de qua num 2.*
5 *Ponderantur conjecturæ ex quibus in proposito partium voluntas desumatur.*
6 *Cambia limitata quomodo sint intelligenda.*
7 *Observantia multum in proposito attendenda est.*

## DISCURSUS XIX.

THOMAS Carena hæres Christophori patris, ad effectum solvendi quoddam debitum hæreditarium, accepit de anno *1635* scuta mille ad cambium, data creditori facultate cambiandi & recambiandi tam sortem quam cambia usque ad restitutionem; Cum autem Thomas partem cambiorum, ac etiam dictam sortem principalem solvisset; Creditor autem pro quodam residuo cambiorum prætenderet potuisse continuare eamdem facultatem cambiandi, desuper ex parte Thomæ pro veritate consultus; Respondi ut sequitur. 1

In terminis præcisis cambij quæstio mihi non contigit in foro disputanda, neque adhuc memoria suggerit tractantes; Verùm firmata per DD. & Rotam in terminis census vel societatis officij, rectè his terminis congruere videretur, cum pariformiter agatur de materia pecuniaria, in qua tanquam in materia dividua eadem est ratio totius quoad totum, ac partis quoad partem, tantamque affert utilitatem totum respectu totius, quàm pars respectu partis, ideoque satisfactio in parte non tollit totum contractum, qui in parte remanente subsistere potest, ut quicquid aliqui dubitaverint, in terminis census firmatur *per Cenc. de cens. quæst. 107. num. 4. & seq., & quæst. 110 num. 1. & seq., ac per tot. Rot. apud Merlin. decis. 822. & 841. Adden. ad decis. 454. par. 4. rec. tom. 2.*; Et in terminis societatis officij *d. decis. 454.* repetita apud *Merlin. decis. 69.*, Et his stantibus videtur pro creditore respondendum, ut scilicet mandatum datum ad cambiandum continuari potuerit pro residuali summa sibi debita ex causa cambiorum. 2

Contrarium tamen in proposita facti specie mihi verius videtur ex ejus particularibus circumstantijs; Omissa enim inspectione, an dictæ decisiones & auctoritates loquentes de restitutione partis sortis principalis, alia sortis parte in suo esse remanente, applicari possint nostris terminis, in quibus non agitur de parte sortis, sed de parte cambiorum, quæ fructuum loco haberi videntur, de quo tamen dubitari posset, quia data realitate, cambia & recambia verè non sunt fructus & accessiones, sed habentur loco sortis principalis, quæ in qualibet nundina unà cum antiquo debito transmittitur, ex deductis per *Surd. cons. 540 n. 35. & seq. Turr. de Camb. disp. 3. q. 2. & pluribus seq.* & habetur pluries in alijs hoc eodem titulo, dum alias recambia passim admissa salvari non possent, quia esset dare fructus fructuum, & accessiones accessionum, quod ex veriori sententia est damnatum, salvantur tamen ex dicta ratione, quod illæ accessiones efficiuntur sors principalis tanquàm pretium monetæ cambiandæ, ut alibi supra & infra advertitur. 3

Omissa

Omissa igitur dicta inspectione, moveor ad sen-
4 tiendum contra creditorem, quia in hoc puncto, an scilicet per solutionem partis debiti cesset in totum contractus, verius est spectandam esse verisimilem partium voluntatem, & an per solutionem, ejusque respectivè receptionem intellexerint à toto contractu recedere, remanente residuo in puris terminis debiti *Cenc. d quæst. 107. num. 2 & 4. Merlin. d. decis. 69. num. 29. & dec 822. num. 5. & seque. Adden. ad dictam dec. 454. par. 4. rec. tom. 2. n. 61. & seq.*

5 In casu autem de quo agitur, plura concurrere videntur, ex quibus verisimilis partium intentio fuerit resolvendi totum contractum, & præsertim quia integra sors principalis scutorum mille prout accepta fuit, ita restituta, & de ea reportata quietantia, itaut nil penitus remaneret debendum de ea, quæ verè & originaliter est sors principalis, pro qua contractus initus fuit; Residuale verò debitum ex causa cambiorum, licèt ex juris subtilitate & fictione loco sortis ad effectum recambiandi habeatur, de facto tamen & omnium opinione habetur tanquam debitum fructuum, ac etiam Rota sæpius tanquam fructum habere seu nuncupare solet, Unde non intrat illa ratio, quæ militat in casu dictarum decisionum, in quibus, vel major, vel satis notabilis pars sortis remanebat non restituta.

Clarius quia ubi aliqua veræ & originariæ sortis portio debenda remanet, debitor est certus se esse illius debitorem, atque non solvendo dicitur in mora inexcusabili, ex qua æquum non est, ut commodum reportet in præjudicium creditoris nolentis illam sortem tenere otiosam, ideoque non mirum si Rota ex æquitate hanc sententiam in dictis casibus sequuta est; Non sic in isto residuali debito cambiorum & recambiorum, quod incertum remanet ac illiquidum, itaut justè debitor credere potuerit se non esse illorum debitorem, ideoque, vel non intrat mora, vel ab ea excusatur, quia semper excusandus est debitor, qui antè non solvit quam sciret quantum deberet *l. 3. ff. de usur. l. non potest de regul. jur. cum concord per Leotar. de usur qu. 84. num. 1. & seq.*, & est in jure vulgaris propositio.

Licèt enim cambia sint limitata ad rationem de-
6 cem pro centenario, hæc tamen limitatio facta est ad effectum, ut dictam summam excedere non valeant, secus autem si sint minora, quia tunc in minori summa debentur, ut expressè conventum legitur in instrumento, & est de jure indubitatum, nam aliàs esset cambium siccum & usurarium, cum iste contractus eatenus ab usura salvetur, quatenus sub se contineat periculum, ut nulla accessio, quinimò sortis principalis diminutio & creditoris jactura adesse possit, ut habetur sæpius hoc eodem titulo; Undè propterea dum debitor à creditore certificatus non fuit, quid & quantum in singulis nundinis cursus cambiorum importaverit justè credere potuit, se ad aliud non teneri nisi ad cambia soluta.

7 Accedente præsertim contraria observantia deducta ex longævo creditoris silentio, per quod, per argumentum à contrario, rectè intrant ponderata *apud Merlin. d. decis. 822 num 7. & seq & decis. 851. num 5. & 6. Cenc. d. qu. 107. num. 7. & 8. Adden. ad d. decis. 450. num 64. & seq. par. 4. rec. tom. 2.*, Atque iniquum esset ut debitor, qui ex longævo creditoris silentio putat totum solvisse, ac nihil debere, patiatur supplantationem cum longo cursu cambiorum & recambiorum, quem de facili ab initio evitare potuisset solvendo residuum fructuum, dum totam veram sortem restituere curavit.

Considerandus quoque venit sensus mercatorum, quod in cambijs limitatis non datur recambium, ut alia occasione à pluribus mercatoribus peritis & fide dignis audivi; Sed super hoc nihil firmandum duco, cum puncti necessitas non postulet.

---

# ROMANA SEU BONONIEN. LITTERARUM CAMBII PRO FEDERICIS FLORENTIÆ CUM MONTHIONE & ALIIS MERCATORIBUS URBIS.

*Discursus ad veritatem in Congregatione.*

**Cuius periculo cedat decoctio, An mandantis seù scribentis litteras cambii post illarum acceptationem, Vel mandatarii qui litteras acceptavit & adhùc non implevit, Vel eius in cuius gratiam scriptæ sunt.**

## *SUMMARIUM.*

1 *Facti series.*
2 *Quando decoctio scribentis litteras cambij cedat damno mandatarij acceptantis, vel adjecti, distinguitur.*
3 *Quis in proposito dicatur mandans, & quis mandatarius, & de personarum diversitate in hac materia concurrente.*
4 *Consideratur casus novus in quæstione de qua num. 2.*

## DISCURSUS XX.

CAtalanus Bononiæ mercator quasdam tractas fecit Federicis Florentiæ mercatoribus, de quibus jam ab eis impletis dedit manibus, ut se reintegrare deberent suprà se à Monthione Urbis mercatore ejus corresponsali, cui iidem Federici duas tractas fecerunt de æquivalenti aliis eorum corresponsalibus solvendas, per d. Monthionum per Catalanum certioratum acceptatas, unam scilicet sub die 3. & alteram sub die 10. Martij *1663.* Cum autem hoc intermedio tempore inter dictas duas acceptationes, sub die scilicèt septima ejusdem mensis sequuta esset dicti Catalani mors, quæ ex improviso eius insperatam decoctionem, vel detexit vel accidentaliter causavit, Hinc Monthionus de his certioratus, priusquam etiam primæ tractæ usus maturaret, recusavit eas implere; cumque dictis Federicis principaliter eas impleri interesset, dum aliàs ipsi reintegrare tenerentur eos, quibus erant directæ, Idcircò in Advocatorum con-

congressu pro eruenda veritate desuper habito distinguebam tractas prædictas, atque super prima dicebam illos bonum jus fovere, malum verò super secunda.

Cum enim prima tracta acceptata esset sub die 3. Martij, & sic per quatuor dies antequam sequeretur decoctio, ita dicta acceptatio sequuta dicebatur in tempore habili, quando mandatum per mortem civilem mandantis non expiraverat, & consequenter decoctionis periculum erat mandatarij, qui litteras acceptaverat juxta *decis. 303. Franchi*, quam cæteri communiter sequuntur, ut constat ex deductis *per Capyc.latr.consult.42.num. 10.& seqq.* ubi benè *& decis.196.num. 24. & seqq.* (licet hic incidenter ad aliud propositum ac non multum digestè,) *Rocc respons.17. num.1. lib.1.* optimè *Rota in Romana litterarum Cambij 16. Martij 1640. coràm Coccino, in Romana seu Neapolitana litterarum cambij 9. Junij 1653. coràm Dunozetto inter suas decis. 940.* in quibus agitur de casu converso, & admittitur *in alia Romana seu Neapolitana de qua infrà.* 2

Clarius verò ac indubitanter, quia decoctio non proveniebat vivente mercatore ex illa bonorum & effectuum deficientia, quæ per plures dies præcedentes prævideri potest, & frequentius solet quo casu pro ratione dubitandi intrare potest aliqua fraudis & collusionis suspicio inter mandantem, & eum, cui solutio facienda est ad supplantandum mandatarium seu correspondalem ut est casus *de quo infra in dicta Romana seu Neapolitana*, cum Catalanus prædictus pro toto tempore quo vixit, non solùm communi hominum opinione, sed etiam ipsa re idoneus esset, ejusque decoctio sequuta esset per mortem, quæ causa fuit, ut ejus ministri vel domestici [ut publica fama erat) pecunias, gemmas, & alia, quæ negotio parata tenebat, occuparent, undè propterea casus remanebat planus.

Super secunda verò tracta, cujus acceptatio sequuta fuerat re non integra, & post jam expiratum mandatum per dicti mercatoris mortem, tam naturalem quàm civilem ex decoctione resultantem; Quamvis *Scacc., Amat., Monac., Mastrill.*, & cæteri allegati in supradictis Rotæ decisionibus, & per *Capic. Latr. dicta consult. 42. Rocc. cons.10 lib.1. Merlin. lib.2. controv.11.*, indistinctè teneant contra acceptantem, quasi quod ita pro scribente fideiussisse potius videretur, atque debeat esse periculum decoctionis illius, qui decocti fidem sequutus est; Atque agentes pro dictis Federicis constanter assererent Florentiæ, & in alijs Civitatibus mercantibus talem esse mercatorum opinionem & usum, quoties ille, cui tractæ implendæ sunt, non esset decoctionis actualis vel imminentis conscius, itaut fraudis & collusionis suspicio absit; Nihilominùs juxta magis communem & receptam opinionem, de qua apud proximè allegatos, qui alios cumulant, & in dictis Rotæ decisionibus, distinctio est, quod Aut de tempore acceptationis verisimiliter cognitus esse poterat, & tunc sibi imputandum est, itaut dicto casu non obstante, ad solutionem litterarum cambij quas acceptavit, teneatur, Aut cessat dicta verisimilis notitia, & debeat excusari, cum ejus acceptandi animus censeatur rebus in eadem statu permanentibus, & cum præsuppositio integritatis mandantis: Undè propterea quando essemus in isto casu præciso, quia nempe litteræ scriptæ essent ab ipso Catalano postmodùm decocto, juxta hanc secundam opinionem in Curia Romana receptissimam, concludebam desperatum opus videri super hac secunda tracta judicialem controversiam assumere, sed contentari debere implemento primæ, ad quam ex ejus sapientum consilio Monthionus se offerebat, dummodò liberationem ab hac secunda concorditer obtineret.

Difficultas tamen erat, quod reverà non versabamur in casu præciso, de quo allegatæ auctoritates & decisiones loquuntur, ubi scilicet tres tantùm personæ sunt in scena, nempè scriptor litterarum, qui mandantis personam gerit, ille cui sint directæ earum acceptator, qui mandatarius dicitur, & adjectus, cui solutio demandata est, sed quatuor personæ interveniunt ut suprà, atque illa scribentis seu mandantis directi seu immediati gerebatur per Federicos in bono statu existentes, qui propriè in sensu omnium dicuntur mandantes, ex deductis per *Fab. de Ann. cons. 82. Surd. cons. 528. Gait. de credito cap.2.tit.7. num. 2396. & sequen., & alios*, de quibus suprà, Undè propterea insinuabam potius esse in casu de quo agunt *Burs. att. cons.39.num.5.& sequen.*, *& Gait. dicto cap. 2.tit.7 num.2391.& sequen.*, ubi scilicèt Titius scribit Sejo, quod solvat Cajo supra se ad computum Sempronij, Tunc enim licet directè & propriè Titius sit mandans, & Sejus sit mandatarius, Attamen quoad istum in substantia mandantis persona potius geri dicitur per Sempronium, cujus nomine tanquam medium seù instrumentum & organum, Titius mandatum dare dicitur, itaut periculum decoctionis Sempronij mediati mandatoris damno Sejj mandatarij non autem Titii cedere debeat, nisi acceptatio, vel solutio fiat sub protextu. 3 4

Et hoc stante dicebam prætendi posse evitari strictam applicationem dictarum auctoritatum, & decisionum, atque non omninò improbabiliter aleæ experimentum in iudicio tentari ex diversitate, ac novitate casus; Verùm adhuc dubitabam, ideoque mea fuit opinio; cui cæteri adhæserunt, quod Monthiono implente primam tractam, super qua res videbatur plana, super hac secunda non respuerent eam qualem qualem concordiam quam obtinere possent, ut credo sequutum esse, quoniam licet casus sit diversus, attamen eadem est ratio, atque in effectu idem concursus trium tantùm personarum inesse videtur, illa scilicet mandantis repræsentata per Catalanum, in cuius computum solutio facienda erat, & illa mandatarii repræsentata per Monthionum: Federici verò, qui litteras scripserant, in effectu gerere dicebantur personam adjecti, cui facienda erat demandata solutio, quamvis hæc per istos tanquam per speciem giratæ alteri demandata esset, Undè casus parùm diversificare videbatur, atque eadem vigebat ratio expirationis mandati, & deficientis voluntatis in acceptante.

# ROMANA
## LITTERARVM CAMBII
## PRO
## BENEDICTO COSTALDO
## CVM
## FRANCISCO VIVARIO

*Casus disputatus coram A.C. & resolutus pro Castaldo, postea, ut credo, concordatus.*

An & quando adjectus cui litteræ Cambij solvendæ sunt in casu non implementi à mandatario teneatur protestari aliasque diligentias facere contra istum, ut contra scribentem, seu mandantem habere possit regressum: & de differentia Litterarum Cambij, quæ scribuntur per Italiã ab illis, quæ scribuuntur per Hispanias; & de voto Cordubæ, super Cambiis Hispaniarum.

*SVMMARIVM.*

1 *Facti series*
2 *Haberi non potest regressus contra scribentem litteras cambii, nisi factis diligentiis cum eo cui sunt directæ.*
3 *De termino litterarum cambii per plateas vel nundinas.*
4 *De ratione ob quam requiruntur dictæ diligentiæ.*
5 *De differentia inter litteras cambij per Hispanias, & de illarum termino, ab illis per Italiam, ut in primis non sit docendum de diligentiis.*
6 *Tenor voti* Cordubæ *super cambiis per Hispanias.*

### DISC. XXI.

1 BENEDICTUS Castaldus de anno 1648. & 1649. diversas pecuniarum summas dedit ad cambium pro Hispaniis Vivario, qui consignavit solitas litteras ejus correspensali directas Matritum Francisco Paravicino, pagabiles infrà certum terminum in eisdem litteris præscriptum, cum promissione infra alium terminum docendi in Urbe de subsequuta solutione, alias teneri solvere in eadem Urbe, tam sortem quam cambia, seu interesse; Cum autem Castaldus à dicto Paravicino certioratus esset solutionem sequutam non esse, hinc elapso utroque termino, in vim obligationis cameralis, exequutivè pulsavit Vicarium excipientem contra ipsum haberi non posse regressum, nisi doceatur de protestationibus, ac diligentiis contra eum, cui litteræ directæ sunt ex deductis per *Scacc. de cambiis* §. *7. glos. 2. n. 3. & §. 2. glos. 5. n. 201. 318. 376. & 447. Turr. de cambiis disp. 3. quæst. 12. n. 13.*
2 *& disp. 2. q. 13. n. 9, cum sequen.* qui per scribentes pro Viario debitore allegabantur.

Pro actore scribens dicebam, quod quicquid esset de dicto assumpto in suis casibus, de quibus allegati loquuntur, difficultas cessabat ex facto, ac defectu applicationis, cum loquantur de litteris cambii, quæ scribuntur per Italiam, sive sit per plateas, sive sit per nundinas; Licet enim utroque casu litteræ implicitum terminum habere videantur, quoniam ubi sunt per plateas, vel sunt, ut dicitur,
3 *à vista*, & solvendæ sunt in continenti eadem die, qua præsentantur, vel sunt ut dicitur, *ad uso*, & solvendæ sunt intra illum terminum, qui ex consuetudine frequentatur inter mercatores, in Italia est dierum 15. à die acceptationis, nisi ex particulari conventione in eisdem litteris brevior, vel longior præscribatur in nundinis verò sit pro eorum tempore, quo est jam præfinitum & certum.

Nihilominus cum in contractu cambii, juxtà magis communem & receptam opinionem non detur pœnitentia, id circo ille, qui dedit pecunias, molestare non potest recipientem, ac respectivè scribentem litteras, ni si ex capite non implementi, quod habet pro fundamento moram, ad cujus effectum necessarium, est docere de interpellatione; Sive ex alia regula, quod cessionarius acceptans alium in debitorem quamvis pro solvendo & non pro soluto, regressum habere non potest contrà cedentem, nisi prius factis diligentiis contra nomen cessum, ut ita satisfactum dicatur saltem mandato, quod cessionarius à mandante susceptisse dicitur ad exigendum, ut *decis. 44. par. 11. rec. num. 12.* & pluries *sub tit. de credito*; Ea etiam ratione accedente, quod ubi solutio facienda est in alio loco quam in illo domicilii utriusque contrahentis, ut est præsertim in nundinis, in quibus omnes sunt forenses, ad hoc ut creditor convincere possit debitorem de mora, docere debet se vel suum correspensalem fuisse statuto tempore in loco præscripto promptum recipere solutionem juxta communiter receptam doctrinam *Bart. in l. Item illa n. 11. ff. de constit. pecun. Scacco dicto* §. *2. glos. 5. n. 201. &*
4 *204. cum sequen.*

Non sic est in cambiis, quæ fiunt per Hispaniã, quoniam cum in eis certus terminus præscribatur
5 ut plurimum trium mensium, ut in præsenti faciendi solutionem, & deinde alter terminus aliorum duorum mensium ad docendum de solutione in Urbe, Hinc dictis terminis elapsis contracta dicitur mora juxta terminos *textus in l. magnam Cod. de contrahen. & committen. stipul.* atque dum ipse scribens juxta communem stylum susceptit onus docendi de sequuta solutione, sibi potius incumbit probare suæ moræ excusationem, ostendendo fecisse diligentias; & non invenisse in loco adjectum, seu correspensalem, cui solutio facienda erat, quoniam ubi præscripta est certa dies, quæ pro homine interpellat, & constituit in mora, tunc non tenetur creditor ire ad domum debitoris, sed è converso debitor ire debet ad domum creditoris *Scacc. dicto* §. *2. glos. 5. n. 195. &* 205. Atque ita alias in istis cambiis Hispaniæ censuit Rota juxta votum, quod desuper habetur *Cordubæ sub die* 10. *Ianuarii* 1602. approbatum à *Clemente VIII.* quod cum pluribus exemplis docebatur sæpius practicatum in eodem Tribunali A.C. atque à Signatura Justitiæ probatum, cujus voti, cum illud non habeatur impressum tenor talis est.

*Nos DD. Andreas Fernandez de Corduba Rotæ Auditor fidem facimus, & attestamur, quod introducta vigore specialis commissionis causa appellationis in Sac. Rotæ Auditorio coram Nobis ad instantiam R.D. Francisci de Porris appellati à decreto mandati contra eum*
6 *per A.C. relaxati pro sorte principali plurium partitarum cambiorum, ac pro fructibus cambii ad rationem scutor. 13. pro primo anno, & septem pro sequentibus annis contra filios quondam Philippi Ravennæ, in qua causa prætendebat D. Porres instrumentum cambiorum & recambiorum cum eo per dictum quondam Philippum celebratum, & in judicio productum fore & esse declarandum injustum ex pluribus & præsertim quia tenerentur mercatores docere de præsentatione litterarum cambii, ac eorum diligentiis penes*

eos, quibus litteræ dirigantur in partibus appretiationem monetæ in eis contentam esse injustam taxationem, atque ad rationem 13. pro centenario 7. pro sequentibus annis esse excessivam, neque uniformiter taxari potuisse & exequi contra Bullam fel. rec. Pii V. ac per liquidationem interesse servanda esse requisita Paul de Castr. alias sæpè à Rota in similibus sequuti, Et ex parte dictorum filiorum replicabatur instrumenta esse licita, quia in cambiis intervenit realis solutio, transmissio litterarum Cambii eorum corresponsalibus; ac intentio & credulitas, quod pecunia illis in Hispania solvi deberet, & promissio solvendi interesse est in casu non solutionis prævia judicis taxatione, & post moram in qua sunt per idem instrumentum debitores absq; litterarum præsentatione & protestatione de non facta solutione, aut alia interpellatione, & diligentia constituti, appretiationemque monetæ in contractu conventam esse justam, quia talis pro tempore fuit usus & valor, quiin appretiatione monetæ attenditur, & dictam taxationem ad 13. pro primo anno. & 7. pro sequenti nedum esse justam ac debitam, sed potius in eo debitores relevari, & mercatores gravari, quia cum ipsis mercatoribus deberetur interesse lucri cessantis, certum est, quod si juxta debitoris obligationem pecuniæ solutæ fuissent in Hispania tempore debito, & Romam transmissæ, multopluris quàm ad rationem 13. pro centenario tam pro primo quàm sequentibus annis lucrati fuissent, ideoque dicta taxatio pro primo anno sit in eo, quod ad minimum lucrari potuissent. Pro aliis verò annis habetur potius ratio contra jus ipsorum mercatorum damni emergentis, quam lucri cessantis sibi debiti, dum enim ex mora & culpa debitoris non possunt efficere suas pecunias coguntur, ut alii quas præ manibus habent negotiis supplere valeant, pecunias alienas ad cambium alio modo accipere, pro quibus ad minus septem pro centenario damnum pati coguntur, & ideo taxationem posse semper præsumi formaliter hoc pacto fieri, discussisque promissis aliis, quam hinc pluries à dictis partibus deductum fuit attenta gravitate causæ continente in se universum negotium similium cambiorum de ordine DD. factum verbum cum Sanctissimo DD. PP. qui ad plenum de meritis & statu hujusmodi causæ, ac de similibus cambiis, quæ passim per mercatores residentes in Curia, & Curiales Hispanos fiunt certificatus, mandavit procedi in causa in Rota, & justitiam fieri partibus, & die 23. Iunii 1601. in Congregatione, quæ fuit tenta in Sapientia facto verbo & discusso, an dicta instrumenta cambiorum, quæ communiter inter dictos mercatores & Curiales celebrari solent sub dictis contractibus, appretiatione ac certa taxatione ac aliis quam præfatis essent licita, vel illicita stante dicta Bulla Pii V. & aliis, quas partes deducebant, fuit firmatum, instrumenta fuisse & esse licita, neque posse de aliqua illicita possessione redargui.

Cumque pro parte D. Porris post istam resolutionem fuisset porrectum memoriale eidem Sanctissimo, & per Sanctitatem suam remissum Reverendissimo D. Seraphino Decano, ad effectum ut Beatitudinem suam super resolutione capienda in hujusmodi negotio cambiorum alloqueretur, resolutione per eum facta, Annuit nihil esse innovandum, & ideo dicta cambia inter mercatores & curiales juxta dictum consuetum stylum in instrumento cambii coram nobis producto, & solito in Curia celebrari, posse continuari, quod si aliquis contractus cambii aliter quam præter stylum qui nunc viget factus detegeretur censeatur illicitus, & quia propterea de ordine Sanctissimi nihil erat in præmissis innovandum, res remansit integra, prout ante litem motam absque eo quod in causa amplius procederetur.

In quorum omnium & singulorum testimonium Nos Auditor & Iudex antedictus ad instantiam eorumdem subscripsimus, & sigilli nostri impressione muniri fecimus. Datum Romæ in Ædibus nostris die 10. Ianuarii 1602. Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ Octavi anno XI. A. Cordubia Rotæ Auditor manu propria.

---

# NEAPOLITAN.

## LITERARVM CAMBII

## PRO

## HIERONYMO CASTALDO CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICO

## CUM

## GVBERNATORIBVS ARRENDAMENTI OLEI ET SAPONIS NEAPOLIS

*Responsum in causa extra Curiam, incertus est exitus.*

De regressu competente contrà scribentem litteras cambij ob illas non impletas à mandatario, An & quãdo cesset ob protestationem non factam in tempore præsertim, in Regno Neapolitano stante dispositione *pragmaticæ 6. de litteris Cambij*, & de processu exequutivo desuper competente.

*SUMMARIUM.*

1 Facti series.
2 Pro litteris cambii competit via executiva, tam contra acceptantem, quam contra scribentem in casu regressus.
3 In Regno clarius per Regiam pragmaticam.
4 Quando exceptio turbida admittatur adversus actionem claram, & quando replicatio sit potius turbida.
5 De intelligentia pragmaticarum Regni super litteris cambii.
6 De non usu legis eiusdem interpretativo, ad differentiam non usus præscriptivi.
7 An dictæ pragmaticæ afficiant Ecclesiasticos, quibus litteræ cambii solvendæ sunt.

### DISC. XXII

CUM quidam minister seu corresponsalis Gubernatorum Arrendamenti olei & saponis Regni Neapolis existens in Civitate Licien. seu alio Hydruntinæ Provinciæ loco non impleviſſet quasdam tractas ab eis per litteras cambii factas in computum Hieronymi, seu ejus auctoris pro totidem acceptis in ea Provincia solvendas Costaguto Archiepiscopo Carthaginen. Hinc proinde Hier. prædictus, ex proprio, vel ejus auctoris jure, judiciũ instituit exequutivũ in Magna Curia Vicariæ seu corã judice delegato cõtra Guber- 1

Gubernatores prædictos pro solutione summarum in eisdem litteris contentarum, sed opponebatur per reos conventos de carentia actionis ob protestationem non factam in tempore præscripto *per pragmaticam 6. de litteris cambii* §. 4.

Replicantibus vero agentibus pro actore pragmaticam non habere locum, seu non servari in dicta Civitate *Licien.* seu aliis illius Provinciæ locis, cum forte citra præjudicium satis proborum & doctissimorum, quibus illa tribunalia adeò abundant, aliquorum defensorum major cura consistere videatur in exceptionibus dilatoriis & causarum protractionibus in longum, quod ibi dicunt *causæ gubernium*; Hinc proindè principaliter insistebatur super concessione termini in causa ad probandum dictum usum, ac respectivè non usum *pragmaticæ*, quod idem est ac vulnerare processum summarium & exequutivum, & facere causam ordinariam; Cumque actor in Curia Cameræ Apostolicæ clericus me requisiisset ad scribendum in causa, atque non obstante replicatione, quod satis incongruum esset, ut qui diversa Tribunalia diversi Principatus practicat, scribere deberet in articulis consistentibus, non in puncto juris communis, quod ubique est idem, sed intelligenda juris municipalis, seu praxi Tribunalium diversi Principatus, à quibus post aliquam praxim in adolescentia, tunc absens eram spatio annorum circiter 25. potissimè quia etiam in iis, quæ in mero puncto juris communis, circumscriptis statutis, & legibus municipalibus consistunt, adhuc satis diversa esse videtur eiusdem juris veritas ob diversas opiniones, quas Tribunalia diversimodè tenent, adhuc oportuisset adeo qualificati & benevoli requirentis desiderio obsequi.

Hinc proinde scribendo, duas constituebam inspectiones, Unam ordinis super processu exequutivo, ac denegatione termini, Alteram justitiæ super meritis negotii principalis; Et quatenus pertinet ad primam dicebam non esse dubitandum de regula super competentia viæ executivæ, quæ ex magis communi, & ubique recepta DD. opinione competit pro litteris cambii, non solum contra mandatarium acceptantem, sed etiam contra scribentem in casu regressus ob illarum non implementum, cum de communi omnium Europæ Tribunalium consuetudine ratione commercii id receptum sit ex deductis *per Gratian. discept. 569. num. 25. Seraph. decis. 530. & 562. Otthob. decis. 118. & in aliis cumulatis per Adden. ad decis. 282. num. 39. & sequen. par. 9. rec.* & ex Regnicolis latè *Thor. voto 55. Capyc. latr. consult. 14. n. 15. & 17. Rovit. pragm. prima de litteris Cambii*, ex quibus & aliis passim liquet, id procedere etiam ex dispositione vel intentione juris communis seu communis consuetudinis; Multomagis indubitanter in eo Regno per expressam dispositionem *pragmaticæ primæ de litteris cambii & pragmaticæ 3. §. 12.* expresse disponentium rejectionem exceptionum altioris indaginis, atque tanquam absolutum supponitur *apud Rocch. consil. 15. n. 7. & sequen. l. 1.*

Quo posito, cum intentio actoris esset clara & liquida, quia docebatur de non implemento, hinc proindè nisi exceptio rei conventi esset etiam omninò liquida & clara, itaut actionem elideret, unde actor replicaret de re dubia & requirente extrinsecas probationes, omninò incongruam dicebam prætensionem dationis termini in causa, cum hic supponat necessitatem extrinsecarum probationum, quæ nunquam admittuntur in reo ad probandam exceptionem pro impedienda actione clara & exequutiva, sed solum ubi turbiditas consistit in actione vel in replicatione actoris adversus exceptionem claram rei conventi.

Ad ostendendum autem quoad dictæ verissimæ ac vulgaris theoricæ applicationem, quod versaremur in casu exceptionis turbidæ adversus actionem claram, non autem in casu turbidæ replicationis adversus exceptionem claram, ut per alteram partem prætendebatur, congruum censui assumere inspectionem super justitia seu meritis negotii principalis, dependente ab intelligentia *d. Regiæ pragmat. 6. §. 4. de litteris Cambii & pragm. 3. §. 10. eod. tit.* quoniem aut dictæ pragmaticæ vel earum altera obstabant, vel complectebantur casum, aut non, Si inspecto earum tenore non obstabant, inane opus erat velle probare earum non usum in Civitate *Licien.* & in aliis dictæ provinciæ locis ex parte actoris allegatum & cum aliquibus negotiantium attestationibus justificatum, dum id erat ad superabundantiam; Aut obstabant, itaut attenta earum dispositione clarè elisa remaneret intentio actoris, qui replicando allegaret non usum, & tunc, cum iste in dubio non præsumendus exigat formalem probationem, admittebam congruam esse dationem termini pro dicta probatione faciendâ, cum hæc potius incumberet actori ad justificandam suam actionem seu replicationem.

Pragmaticas autem prædictas disponentes, ut recipientes litteras teneantur infrà quatuor vel respectivè octo dies post acceptationem seu maturatum acceptationis terminum facere debitas & cõsuetas protestationes, sine quibus regressus competere non possit contra scribentem, dupliciter non obstare dicebam; Primò quia constabat in facto, ministrum seu correspõsalem, cui litteræ erant directæ, per diem antequam illarum usus maturaret, detectum fuisse decoctum ac latitantem, unde propterea eramus extrà casum pragmaticarum, quæ pro fundamento principali habent adjecti negligentiam, cum hęc adesse non dicatur, quando certum ac notorium est diligentias non fuisse profuturas, ut per *Rotam Genuen. decis. 91. num. 27. cum sequen.* Decoctus enim assimilatur mortuo ac non existenti in rerum natura, atque ita notoria effecta est eius insufficientia ad litteras implendas & solutiones faciendas, quia cum interdicta sibi dicatur administratio illorum bonorum, quæ fortè etiam haberet, utique nec volens posset id facere.

Et secundo quia inspecto dictarum pragmaticarum tenore præsertim *pragmat. 3. §. 10.* quæ loquens intra Regnum magis proximè obstabat, illa loquitur de termino currere debente in ipsa Civitate Neapolis, & inter mercatores ibi residentes circa litteras, quæ ab intrà vel extra Regnum respectivè eis diriguntur, ut liquet ex eius verbis, ibi. *L'uso de i pagennati s'intenda in questo modo cioè, per lettere che vengono di Regno otto giorni, Roma, Fiorenza &c. 15. giorni*; Et sic Regnum stat solum tanquam terminus à quo, non autem ad quem, qui est

solum verificabilis in ipsa Civitate, & consequenter in casu converso, litterarum scilicet, quæ ab ipsa Civitate ad alias eiusdem Regni partes diriguntur, casus remanet omissus, ac extra dictam pragmaticæ dispositionem, cadens proindè sub illa juris communis.

Quod evidenter comprobari observabam ex eadem *pragmatica* § 1. ubi mandatur pretia taxari, aliaque mercantile commercium concernentia singulis hebdomadis fieri per sex mercatores ab illorum foro deputandos in certo eiusdem Civitatis loco consueto vel præscripto, Igitur pragmatica clarè agit de litteris ad ipsam Civitatem ab extra directis ibi implendis, non è contra.

Hinc proinde dicebam, attestationes mercatorum & proxenetarum dictæ Civitatis *Licien.* super dictæ pragmaticæ non usu, non percutere illum non usum, qui tanquam formalis consuetudo præscriptiva esset claræ legis abrogativus seu probativus non acceptationis populorum, juxtà notata per Canonistas *in cap. 1. de tregua & pace*, & alios de quibus plenè *Farin. in fragment.* verbo *lex num. 1. cum seq. Rovit. pragm. 1. de extract. n. 5. Sperell. decis. 15.* sed attendenda videbantur pro clariori dicti intellectus comprobatione seu interpretatione, ad quem effectum etiam tales imperfectæ probationes sufficiunt, atque ex hac distinctione repetebam resultare decisionem, an esset dandus necne terminus in causa.

Demum ad complacendum potius principali, quam quod crederem istud aliud motivum solum & de per se recipi debere, deducebam quod dictum jus municipale non obstaret d. Archiepiscopo Carthaginensi, cui litteræ implendæ erant tanquam ecclesiastico, ab hujusmodi laicalibus legibus exempto, cum paria sint forum sortiri ac legibus ligari, ex plene deductis *per Otthob. decis. 149.* & passim, & in terminis specialibus *de Marin. in addit. ad Reverter. decis. 232. in fine.* Dubitabam tamen quin hoc motivum haberet plausum? Tum ratione publici commercij, quod in istis præsertim mercantilibus materiis uniformem observantiam exigere videtur, Tum etiam quia non agitur de obligando Clericum passivè in persona & bonis propriis, sed de liberando laicum & proprium subditum, atque de canonizando istius exceptionem ab ipsius juris communis dispositione vel intentione resultantem, circa diligentias, quas cessionarius seu adjectus facere tenetur; Cum enim id sit in jure dubium, atque diversas habeat opiniones, idcircò ad hujusmodi quæstionem dirimendam, ita pragmatica canonizare voluit unam opinionem, quamvis fortè minus communem & receptam, per quam eius subditus exceptione tutus redderetur, ac liberationem obtineret, quæ tamen ita incidenter & discursivè oretenus cum ipso principali dicebam ad insinuandum motivum pati posse suas difficultates, ideoque in aliis duobus principaliter insistendum esse credebam, nullo tamen super his dictum ultimum motivum concernentibus efformato judicio, sed relinquendo integrum locum veritati.

# BONONIEN.
## CAMBII
### PRO HAEREDIBVS DOMINICI COMELLI CUM HAEREDIBVS ZANIBONI ET GRATI.

*Responsum pro veritate.*

Onus cambiandi susceptum per debitorem seu receptorem pecuniæ ad certum tempus seu certas nundinas, An duret in futurum donec pecunia restituatur, potissimè dum partes, verbis & factis id agnoverunt.

Onus prædictum an cesset per mortem debitoris, seu suscipientis; Et qualem contractum contineat hæc susceptio pecuniæ ad cambiandum.

An sit illicitum cambium, ubi dator pecuniæ scit illam per recipientem in alios usus esse convertendam, Et de expensis provisionum An & quando cedant necne ad commodum creditoris, vel potius à cambiis defalcari debeant. Et si aliquid plus ob cambia solutum est, an ipso jure imputetur in sortem.

*SVMMARIVM.*

1 *Facti series cum quæsitis seu dubiis.*
2 *Cambia assumpta per debitorem debentur etiam post elapsum tempus conventionale, in quo fuit in mora restituendi pecuniam.*
3 *Clarius accedēte declaratione partiū, & de ratione.*
4 *Declaratur conclusio, quod confessiones & facta partium non attenduntur in hac materia quando procedat.*
5 *Ubi datur alicui pecunia ad cambiandum, qualis species contractus iste dicatur.*
6 *An mandatum vel onus susceptum ad cambiandam pecuniam expiret per mortem, & de differentia inter mandatum voluntariū & necessariū.*
7 *Quod hæc oneris susceptio sit transitoria ad hæredes.*
8 *An cambium sit licitum, ubi dator pecuniæ scit receptorem eam convertere debere in alios usus.*
9 *Qualis scientia ad hunc effectum requiratur.*
10 *Ex interfuriis cambiorum, an detrahendæ sint provisiones.*
11 *Quomodo probandum sit, quod cambia non ascenderint ad summam taxatam.*
12 *Si de facto solutum sit aliquid ultra summam taxatam, an imputetur in sortem ipso jure.*

### DISC. XXIII.

DE mense Jan. 1649. Marsilius de Zanibonis & Cæsar de Gratis habuerunt à Dominico Comello libras 28. m. cum obligatione eas cambiandi per 4. proximas futuras nundinas Bisuntinas, vel alorū locorū, cū utriusq; respectivè libertate in qua libet nūdina, & sub cōventione ut cābiorū interfuria ad cōmodum Comelli excedere non possent sex

ex pro centenario & anno, ita ut excessus cederet commodo ipsorum recipientium, quatenus verò ad talem summam non ascenderent, debeatur solum id quod vere importarent.

De mense autem Junii 1652. factâ præmissorum narratione, ac etiam quod ex tacitâ prorogatione ad alias subsequutas nundinas in eodem contractu continuatum fuerit, Comellus de intersuriis seu Cambiis usque ad illud tempus decursis fatetur se satisfactum, conveniendo indefinitè super ejusdem contractus continuatione in futurum usquequò ab eo de alicujus partium conventione recessum esset; sub eisdem pactis in primo contentis, eademq; cambiorum seu intersuriorum limitatione.

Atque in hoc secundo instrumento (dicto contractu etiam quo ad clausulas executivas jam perfecto,) Gratus per novam periodum recognovit erga Zanibonum bonam fidem, recepisse scilicet ab initio dictas libras 28. m. ut eis uteretur in negotio datiorum per eos & alios socios susceptorum, unde promisit de illis debito tempore reddere rationem.

Obierunt de anno 1658. Zanibonus, & de anno 1664. Gratus, unde inter istorum hæredes seu creditores, ac prædicti Comelli etiam defuncti hæredes, circà data & accepta de pluribus dubitari contigit, super quibus dicti Comelli hæredes consilium pro veritate petierunt; Primò scilicet circa cambia decursa & soluta de annis 1651. & 1652. in spatio intermedio post terminatas quatuor nundinas in priori conventione contentas usque ad diem 20. Iunij 1652. in qua dicta nova conventio inita est, an illa debeantur, dum de spaciorum transmissione atque cambiorum realitate non constabat; Secundo num cambia in vim secundæ conventionis deberentur ex tempore mortis Zaniboni vel mortis Grati respectivè, stante quod per tales casus prætendebatur dissoluta societas seu alias resolutus contractus, Tertio, stante quod constabat dictas libras 28. m. susceptas esse, ut erogarentur (ut de facto erogatæ fuerunt) in dictum negotium datiorum, unde certum erat per nundinas cambiari non potuisse, an contractus proindè redderetur illicitus & usurarius; Et quartò, quid dicendum esset de illis annis, in quibus cambiorum intersuria, detractis correspondentium provisionibus, non ascenderunt ad dictam conventam summam 6. pro centenario super quibus respondi.

Quoad primum, de plano & absque dubio pro hæredibus Comelli creditoris respondendum censui, quoniam etiamsi nulla haberetur probatio voluntatis partium continuandi, minusque cambia postmodum decursa soluta essent, ut erat casus de quo in infra allegandis decisionibus *coram Cerro*, adhuc deberentur ex duplici clara ratione Una quod tempus adjectum non censetur gratia terminandæ seu extinguendæ obligationis, sed solum gratia illius differendæ, Et altera quod non debet esse melioris conditionis morosus & deficiens à data fide, quam non morosus & non delinquens, quoniam esset dare commodum ex delicto & mora contra principia juris naturalis & scripti. Unde si durante termino conventionali, quando debitor dici non poterat in mora, neque fidei violator, tenetur ad interesse cambiorum, fortius teneri debet in tempore sequenti, ut me obtinente decisum fuit *in Romana Cambii* 24. *Aprilis* 1662. *& 23. Februarii* 1663. *coram Cerro*, per quas revocantur duæ præcedentes editæ 8. *Aprilis & 4. Decembris* 1658. *coram eodem, & de quibus in dicta causa hoc eod. tit. disc. 9.*

Multomagis in præsenti casu, in quo dupliciter constabat de voluntate partium continuandi in eodem contractu etiam post quatuor nundinas ad solam debitorum dilationum conventas, Primò scilicet verbis, ut dicitur in secundo instrumento, ibi. *stante la tacita proroga fattali per l'altre fiere scorse*, Et secundo factis, per solutionem cambiorum, per quam solventes id agnoverunt.

Clarius verò ac indubitanter procedendo cum lectura agentium ex personis debitorum, ac prætendentium juxta secundum proximè sequens dubium, istum contractum esse societatis, quia sive dicatur, sive susceptio mandati, sive locatio operarum sive contractus innominatus, sive connexio trium contractuum, ex iis quæ habentur *in magistrali Mediolanen. Cambiorum coram Lancellotto & Ubaldo decis. 304. & 556. par. 2. recent. in Viterbien. transactionis* 4. *Iunij* 1663. *coram Taja* §. *fin.* in jure passim datur etiam tacita renovatio societatis, locationis, vel similis contractus.

Neque alicujus momenti esse dixi conclusionem in suis casibus veram & receptam, de qua *decis. 69 par. 9. rec. in Ravennat. seu Faventina cambii* 16. *Iunii* 1653. *Bichio & sæpius in aliis*, quod scilicet verba vel facta partium in hac materia usuraria nil operentur, neque reddere valeant licita cambia alias sicca & usuraria, quoniam hujusmodi propositio est verissima in iis, quæ concernunt substantiam cambiorum, illaque requisita, quæ ad eorum realitatem necessaria sunt, in quibus allegatæ & aliæ auctoritates loquuntur, secus autem in iis, quæ concernunt quid extrinsecum & accidentale pendens ab ipsarum partium voluntate, ut *in dicta Ravennaten. seu Faventina hoc tit. disc.* 12.

Ut puta creditor postquam cessit dies solutionis, non potest in damnum morosi debitoris accipere debitam pecuniam ad cambium absque interpellatione, nisi ista ex pacto remittatur; Sive cambiandi facultas per debitorem creditori data non intelligitur cum se ipso, nisi expressè dicatur, cum similibus; Ista verò non respiciunt substantiam seu validitatem cambiorum, sed solum respiciunt voluntatem partium seu factum accidentale ab ipsa voluntate pendens, quæ voluntas extrinsecus etiam per alias probationis species probari potest, multòmagis per ipsarum partium duplicem confessionem verbis & factis explicatam, ut ita declarando dictam conclusionem habetur *in d. Ravennaten. seu Faventina cambii* 26. *Ianuarij* 1666. *coram Cerro & d. disc.* 12. Atque hoc jure passim vivitur in Curia, cùm versemur in iis, quæ non exigunt scripturam, vel aliud factum tertii, ut sunt spaccia, vel similia, sed agatur de rebus dependentibus à simplici voluntate ipsarum partium.

Et ideò, cum durante tempore convento, certum sit etiam sine realitate litterarum seu spaciorum cambia deberi, non tanquam cambia, sed tanquam damna & interesse ob non factum seu non impletum mandatum per debitorem seu receptorem pecuniarum susceptum juxta decisiones *in Romana pecuniaria* 7. *Iunij* 1642. *& 5. Iunii* 1648. *coram Corrado in eadem* 14. *Iunii* 1649. *Dunozett. impreß. post Salgad. in laberint. decis.* 7. & inter suas *dec.* 829. quæ reputantur in materia magistrales passim usu receptæ, ut *in allegat. Romana Cambii coram Cerro*

& in aliis frequenter, atque prorogatio temporis super ejusdem mandati susceptione pendeat à mera partium voluntate, nil prohibet istam per ipsasmet partes declarari potuisse, unde quoad hunc primum punctum credebam versari in casu omninò plano, quoniam non agitur de justificandis usuris receptis ex sola & nuda confessione, quæ proindè attendenda non est juxta receptum *cons. 520. Romani*; sed confessio prædicta continet agnitionem illius veritatis & obligationis, quæ etiam de jure, & ex natura actus adesset, quamvis debitor non agnovisset.

5 Quoad secundum, quamvis *Scaccia de cambiis §. 3. glos. 3. n. 33. & sequen.* credat hujusmodi contractum esse Societatis admixtum cum duobus aliis contractibus assecurationis sortis & fructuum, quam opinionem sequuntur Morales relati *per Rotam in dicta Viterbiensi transactionis 4. Iunii 1663. coram Taja §. id quod &c. & plene habetur in Firmana sub titulo de usuris discursu 1.* Nihilominus juxtà firmata in allegata *Mediolanen. coram Lancellotto confirmatur coram Ubaldo dec. 304. & 556. par. 2. rec.* verius est istum esse contractum institoriæ seu susceptæ mandati non omninò voluntarii, sed necessarii, donec scilicet restitueretur accepta pecunia, cum quo sensu susceptæ mandati proceditur *in alleg. dec. 7. post Salgad. & in dd. decis. Romana Cambii coram Cerro & in aliis.*

Quo posito sequitur non resultare cessationem contractus & obligationis per mortem, quoniam 6 recepta juris conclusio, ut mandatum expiret per mortem mandantis vel mandatarii, procedit in mandato voluntario, secus autem in necessario; Sicuti enim debitor volens non potest invito creditore non restituta susceptæ pecunia habere mandatum pro resoluto, atque ab ejus susceptæ onere se eximere, ita non potest id sequi per mortem naturalem vel civilem, ne plus operetur fictio quam veritas, ut de dicta distinctione inter mandatum voluntarium & necessarium habetur per *Gabr. de procurator. conclu 2. n. 36. Trentacinq. lib. 2. var. tit. de Procurator. resol. 10. n. 7. & 9. Buratt. dec 440. num. 2. & 3. Merlin. decis. 436. num. 11.*

Unde propterea mandatum prædictum, seu 7 verius susceptum munus faciendi, esse transitorium ad hæredes activè & passivè, pro absoluto supponitur in *Romana multiplici 9. Decembris 1635. coram Pirovano & 18. Martii 1654. coram Meltio.* Atque in celebri Romana Cambiorum acerrimè disputata in Congregatione Baronum, & in Rota inter Valentem & Raimundum, quamvis ex parte debitoris prætenderetur cessatus cursus cambiorum ob expiratum mandatum per ejus mortem civilem ex banno capitali resultantem, attamen motivum ex dicta ratione semper rejectum fuit; nulla ratione habita de deductis in contrarium *per Caball. cons. 145. lib. 2. ut in dicta causa hoc tit. disc. 2.*

Et in terminis specialibus contractus huic similis, ac mortis naturalis debitoris seu mandatarii, qui pecuniam cambiandam susceperat, undè ejus hæredes prætendebant ex dicto motivo dissolutæ societatis seu expirati mandati per mortem cessare cursum cambiorum, seu damnorum & interesse, quæ eorum loco debentur, ego disputavi in Tribunali A. C. *in una Camerinen. Cambiorum*, & pro creditore judicatum fuit, atque judicatum canonizatum fuit per Signaturam Justitiæ rescribentem cum clausula, *sine præjudicio*, quamvis ut credo causa ulteriorem disputationem non habuerit in Rota, ubi commissa fuerat ob subsequutam concordiam, & *de qua causa suprà disc. 4.* Potissimè quia contractus tenor non ostendit in hoc præcisè electam fuisse industriam personæ, ita ut ageretur de negotio merè administratorio, sed potius constat agi de mero cambio obliquo, seu mutuo dato cum obligatione debitoris tenendi sub cambiis æquivalentem summam in ejus damnum & curam pro relevatione creditoris, ne damnum ex otiositate suæ pecuniæ sentiat, ut est propriè cambium obliquum, quod inter privatos est frequentissimum, ac passim usitatum, ut *in dicta Camerinen. discursu 4.* & sæpius in aliis hoc titulo.

Circa tertium quæsitum quamvis Rota in *Romana Cambiorum 4. Iulii 1642. 18. Aprilis 1644. & 16. Ianuarii 1645. coram Peuting.* ex plurium Moralium sententia firmaverit, illicitum ac 8 siccum censeri contractum cambii, quando creditori innotescit pecunias ad cambium datas, per recipientem erogatas vel erogandas esse in alios usus, ita ut per nundinas cambiari non possint; nihilominus dicebam hanc difficultatem in hac facti specie non obstare, nec de facto nec de jure.

Non quidem de facto, Tum quia nullibi constabat de tempore primi contractus anni 1649. quando datæ fuerunt pecuniæ quod Comellio in- 9 notuisset illas in causam negotii cambiorum convertendas esse, unde scientia postmodum superveniens non habetur in consideratione, cum ad effectum validitatis contractus spectetur scientia illius temporis, quâ non concurrente non attenditur ea, quæ deinde superveniat, ut in proximis terminis census impositi super re aliena vel incapaci habetur *in Romana Salviani 20. Martii & 19. Iunii 1651. coram Verospio, Romana vineæ coram Rojas* inter duas *dec. 458. num. 4. & 5.* & sæpius in aliis; & in sua materia *sub tit. de Censibus* Tum etiam quia neque ex secundo Instrumento anni 1652. inferri poterat ad certam scientiam Comelli, cum enim in uno eodemque instrumento contineri possint duo diversi contractus, etiam inter diversas personas, *ut dec. 154. num. 12 par. 8. rec. Romana domus 24. Ianuarii 1650. coram Bichio & in aliis*, possunt stare simul, quod Comellus post jam perfectum suum contractum (cum ad eum de aliis gerendis inter ipsos Gratum & Zanibonum inquirere non pertineret) recessisset seu non advertisset ad ea, quæ inter ipsos gererentur, & sic inferri non potest ad scientiam, nisi ad summum ad remotam & præsumptam, quæ sufficere non debet ad grave præjudicium reddendi actum illicitum & usurarium juxta receptum quotidianum axioma, quod ad effectum gravis præjudicii scientia debet esse vera & certa, non autem præsumpta. *Puteus dec. 242. l. 1. Rot. dec. 48. n. 15 cum sequen. par. 8. rec.* & in aliis plene congestis *per add. ad decis. 542. n. 98. par. 4. rec. tom. 3.*

Minus de jure, quoniam licet *Rota* in allegatis decisionibus id dixerit, nihilominus in eadem causa, agnita veritate, curavit partium concordiam creditori satis proficuam, ita ut eædem decisiones remanserint sine effectu, atque deinde quamvis positiva illorum revocatio sequuta non esset, semper ab eadè Rota aliisq; Tribunalibus etiam in causis gravissimis, præsertim in Romana locationis

nis venæ ferri inter Principem Ludovisium & illos de Rinuccinis *disc. sequent.* istud fundamentum non fuit habitum in consideratione, expresè deinde rejectum specialiter respondendo dictis decisionibus, *in Romana Cambii 24. Martii 1664. §. tertiò vis fiebat, coram Otalorà, de qua etiam hoc tit. inter Ludovisium & Sforziam disc. 6.* ex ea clara ratione, quod nulla subest necessitas cambiandi seu girandi super cambiis eamdem pecuniam sciente etiam dante in alios usus per recipientem convertendam esse, & tamen girum cambiorum sequi posse inæquivalenti, atque ita possim docet praxis totius Orbis, cujus notitiam habere non de facili solent Morales, ut plurimùm intra claustra viventes, atque hujusmodi difficultates excitantes.

Demùm quoad quartum & ultimum punctum detractionis provisionum, dixi hujusmodi punctum frequenter à me disputatum fuisse in Tribunali A. C. & in Signatura, adhuc tamen formiter non disputatum nec decisum in Rota, atque 10
processum esse cum certo præsupposito, quod ubi agitur de illis intersuriis, quæ ob defectum realitatis spaciorum non debentur tanquam cambia, sed tanquam damna & interesse, non possit creditor exigere nisi id quod cambiorum inter alios decursorum intersuria importent, detractis provisionibus corresponsalium, quas creditor prætendere non potest, ex ea clara ratione, quod nunquam plus operari potest fictio, quam veritas, neque interesse ob non factum potest excedere id, quod interesset si factum promissum adimpletum esset; Unde si Gratus & Zanibonus receptores pecuniarum verè & realiter spaccia transmisissent, & cambia girassent, expensæ provisionum cedere debuissent ad favorem corresponsalium, absque eo quod dator pecuniarum aliquid de eis prætendere posset, ita non potest de illis prætendere aliquam utilitatem, unde punctus videbatur pro meo judicio indubitatus.

Tunc etenim provisiones in toto vel in parte cedere solent commodo creditoris, quando ipsemet susceptt mandatum seu curam girandi super cambiis, cum tunc prohibitum non sit reportare à suis corresponsalibus, aliqua modica mercede contentis, condonationem earumdem provisionum ad eorum favorem, ut *decis. 45. num. 3. & sequent. par. 4. rec. tom. 2. in Romana cambiorum 4. Decemb. 1662. coram Verospio*, sed ubi cessat hæc ratio, nulla alia subesse videtur, quæ suadeat earumdem provisionum commodum cedere debere ad beneficium creditoris.

Solùmque in hac materia ad favorem creditorum, ubi præsertim agitur de repetendis vel imputandis cambiis jam solutis, considerata fuit non bene probata negativa minoris cursus cambiorum, 11
ex eo quod minora fuerint in aliquibus nundinis, quia ubi cambium non est ad certas nundinas præcisè restrictum, sed continet generalem alternativam omnium nundinarum in aliis locis celebrandarum, ut est in præsenti contractu, tunc debet id justificari per omnes nundinas ex juris principio, quod indebitum præsertim voluntarium exigit perfectam & concludentem probationem exclusivam contrariæ possibilitatis & de quo habetur *in Romana pro Musca & in altera pro Marescott. hoc eodem titul. discur. 17.* Unde propterea iste punctus consistit potiùs in facto quàm in jure utpote pendens à dictis justificationibus & calculis.

Quando autem in aliquibus annis de huiusmodi minoratione concludenter, ut supra constaret, 12
quod in scripturis transmissis ex parte hæredum creditoris negabatur, tunc dicebam, quod intraret juris difficultas, an illud plus singulis annis vel temporibus solutum ipso jure in sortem imputandum esset, ita ut eam ex tunc respectivè extenuasset, vel potiùs competeret solum de præsenti repetitio seu defalcatio; Hunc autem punctum dixi adhuc non esse decisum, ego tamen credebam locum non esse dictæ imputationi ipso jure in extenuationem sortis; licet enim Rota & Curia sequatur opinionem, quod in odium usurarum fiat imputatio ipso jure non autem per viam repetitionis indebiti, ut liquet ex firmatis in vulgata *Romana cambii coram Bichio decis. 69. par. 9. rec.* cum qua passim proceditur; Attamen id recte locum habet, ubi agitur de vitio intrinseco consistente in dispositione juris, cuius ignorantia in materia usuraria non excusat, neque in creditore inducit bonam fidem, ut est exempli gratia, quando prætenduntur cambia sine spaeciis, seu aliàs de jure illicita & usuraria, cum tunc creditor inexcusabiliter censeatur esse in mala fide causante ipso jure imputationem in sortem, eiusque extenuationem, secus autem ubi agitur de re consistente in facto, cuius ignorantia in creditore sit justa & probabilis, tunc enim quidquid sit, an illa sit necnè sufficiens ad excusandum à restitutione perceptorum & consumptorum, admittenda tamen videtur ad effectum evitandi dictam rigorosam imputationem, dum stante majori cursu cambiorum in annis præcedentibus, atque subsequuta illorum solutione, creditor eorum cursus ignarus, bona fide credere potuit ad tanti curriisse, dum debitor, qui cambiandi curam & onus habebat, atque cambiorum cursum scire debebat, voluntariè solvit, verisimiliter non soluturus, ideo sibi imputet, cur creditori non denunciaverit subsequutam accidentalem diminutionem, in cuius casu creditor rectè dicere potest, quod abstinuisset à majori exactione, non autem quod ita per adeo diminutas solutiones partem sortis recipere voluerit, Atque hanc disci mihi videri ipsam genuinam veritatem super isto puncto.

---

# ROMANA
## LOCATIONIS VENÆ.
### PRO
### PRINCIPE LVDOVISIO
### CUM
### RINVCCINIS.

*Casus variè decisus per Rotam postea concordatus.*

An in cambio detur usura ob mixturam alterius contractus seu ratione certi lucri. Et quatenus detur, an talis mixtura, ex qua resultet usura vitiet etiam ipsum cambium, vel potiùs, isto valido permanente, illa vitietur.

## SVMMARIVM.

1 CAsus controversiæ.

2 Contractus cambii simpliciter & de per se non continet mutuum, & successivè neque usuram, & qualis contractus dicatur.

3 In omnibus actibus attendi debet substantia voluntatis, non autem cortex & figura verborum.

4 Quod in cambio non adsit usura, sed læsio vel injustitia.

5 Declaratur, & quod usura esse possit in quocumque actu inter vivos vel per ultimam voluntatem.

6 Quando etiam in cambio proprio & directo adsit usura.

7 Quid in cambio minuto seu materiali permutationis monetæ in eodem loco inter præsentes.

8 In cambio nullum dari potest lucrum certum.

9 De cambio obliquo continente sub se plures contractus mutui, mandati, & cambii.

10 Examinatur decis. Mastrill. 106. & an data infectione contractus creditori debeatur interesse.

11 Corruente altero contractu correspectivo admixto cum contractu cambii, an iste contractus etiam corruat & quando.

12 Accidentalia vitiantur & non vitiant.

13 Declaratur conclusio de qua num. 11. circa correspectivitatem.

## DISC. XXIV.

1 PRÆSUPPOSITA facti serie in hac eadem causa magis distinctè enarrata *sub tit. de Regalibus, disc.* 117. ac brevius enunciata in eadem causa *sub tit. de usuris disc.* 4. Quatenus pertinet ad istam materiam cambiorum, actum fuit de puncto, An mixtura locationis vel alterius contractus cum cambio inducat usuram, quæ istum etiam contractum vitiet, vel potius ipsa circumstantia inductiva usuræ vitietur, contractu cambii firmo permanente. De prima verò tantum parte disputatum fuit in Rota, an scilicet adesset mixtura talis quæ causaret usuram necne. Cumque recedendo à prima *decis.* 23. *Martii* 1639. *coram Cardinali Verospio*, in tribus posterioribus sub diebus 2. *Maij* 1659. & 20. *Februarii* & 26. *Novembris* 1660. *coram altero Verospio successore*, firmatum fuerit usurariam mixturam non adesse, hinc proinde defuit occasio disputandi de altera parte, Num scilicet posita circumstantia usuraria, ista vitiaret vel vitiaretur, de quo solum actum fuit in congressibus habitis per solos huius partis Advocatos pro directione, ac etiam in illis, qui habiti fuerunt coram Arbitris seu Arbitri consultoribus, priusquam reassumeretur causa in Rota.

Quatenus igitur pertinet ad dictam primam partem disputatam in Rota, cum in isto contractu locationis seu appaltus venæ ferri suscepto per fratres de Rinuccinis conventum esset, quod ipsi dare deberent Ludovisio locatori scuta 175. m. ad cambium, explicando huiusmodi pecuniæ dationem cum vocabulo Italici idiomatis, *prestare*, ò *far prestare*, quod traductum in latinum idem importat *ac mutuare*; Hinc proinde in prima decisione *anno* 1639. infertur adesse mutuum, quod data injustitia pretii, usurarium reddit alium contractum admixtum; In posterioribus autem decisionibus, atque in disputationibus habitis in Rota, magna inspectio habita fuit super hoc puncto, an adesset, necnè mixtura mutui, nimium laborantibus scribentibus hinc inde super Etruscæ elocutionis vocabulorum significationibus, quod scilicet hoc verbum *præstare* apud Florentinos præsertim importaret, & an inito contractu in Urbe, istius potius, quam dictæ Florentinæ Civitatis patriæ conductorum loquendi usus attendi deberet, Atque Rota deferendo aliquibus attestationibus negotiatorum, magnum fundamentum constituit in usu Florentino, juxta quem etiam ipse contractus cambii explicari solet: Dicto quo contractu posito, infertur non cadere usuram, cum hæc non detur sine mutuo vero vel interpretativo, quod ita abesse judicatum fuit, dum contractus cambii, positis requisitis ad eius realitatem ad præscriptum *Constitutionis* 118. *Pii V.* necessariis, nullum sub se contineat mutuum verum vel interpretativum, sed vel juxta unam opinionem contractum permutationis, vel juxta alteram illum mandati seu institoriæ, vel juxta alteram locationis, & conductionis, vel juxta alteram contractum innominatum, *do ut des*, *seu do, ut facias*, ut *apud Turr. hoc tract. & in aliis hac tit. pluries*. 2

Quamvis autem Ego inter huius partis Advocatos tunc junior, ut cæteris senioribus & primariis adhærerem, scribendo in causa, in præmissis quoque insisterem; In meo tamen sensu, omnes istos credebam labores inanes, atque per modum loquendi potius puerilitates, circa præsertim significationem dicti verbi seu vocabuli *præstare*, & an unius vel alterius Civitatis loquendi usus attendi deberet, quoniam procedendo cum certo principio, à judicantibus & consulentibus in quibuscumque humanis actibus, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, principaliter, ac perpetuò attendendo, ut non cortex, vel formalitas verborum, seu substantia voluntatis attendi debeat, ut de actibus inter vivos *Mantic. de tacit. lib. 2. tit. 7. Buratt. decis. 113. num. 7. Merlin. decis. 692. num. 46. Rota in Romana fidejus. 24. Maij* 1660. *coram Verospio*, & frequenter *sub tit. de credito*, ac sub altero *de contractibus* & alibi; Et in ultimis voluntatibus idem *Mantica de conjecturis. lib. 3. tit. 3. num. 9. Otthob. dec. 254. in fine*, & frequenter *sub tit de fideicommissis* ac alibi; Cum ex ipsa conventione ad evidentiam pateret in partium voluntate non fuisse dandi dictam pecuniam sub contractu mutui, sed sub illo cambii, limitando cambiorum fructus seu interfuria ad septem pro centenario, ac etiam adjiciendo pacta in contractibus cambii adjici solita super justificatione spacciorum seu realitatis, & aliis, ita etiam comprobante subsequuta observantia formalis giri cambiorum per nundinas; Hinc proinde puerilitatis species videbatur super formalitatibus, & significationibus verborum immorari, ideoque reflectendo etiam ad veritatem, omninò absolutum credebam, quod versaremur in contractu cambii, non autem in illo mutui. 3

Econverso autem, eodem veritatis sensu retento, inanes credebam labores scribentium pro conductoribus in retexendo ad conclusionem usuræ longissimas allegationes, quarum pleræque recensentur etiam in causæ decisionibus super certo ac præsupponendo principio, quod non detur usura sine mutuo vero vel interpretativo, cum punctus difficultatis non consisteret in ipso principio, seu conclu-

conclusione juris, sed in eius applicatione, circa quam credebam procedi cum æquivoco evidenti.

Licet enim purus contractus cambii realis initus sub forma ad præscriptum dictæ Pianæ Con-
4 stitutionis requisita, nullum contineat mutuum, & successivè usuram, etiamsi ageretur de cambio irregulari, in quo cambiorum intersuria seu pretia à partium conventione resultant, & in qua conventione, circumventio, seu læsio adesset, cum id percutiat injustitiam reducendam ad justitiam, seu æqualitatem juxta terminos *tex. in l. 2. Cod. de rescind. vendit.* non autem usuram, ut advertitur *in Romana cambiorum disc. 1.* & in aliis atque est principium receptissimum.

Attamen ubi accedit qualitas alterativa, tunc illa corrumpere dicitur contractum, illumque
5 transformat in diversam speciem mutui interpretativi sub diversi contractus nomine palliati, nam etiam in emptione, & venditione, locatione, & conductione, permutatione & similibus, attenta propria natura contractuum, nullum adesse dicitur mutuum verum & interpretivum, & consequenter non intrant termini usuræ, sed potius illi læsionis & injustitiæ; Et tamen conventiones alterativæ, in istis etiam usuram inducunt, ob eorum corruptionem, ac implicitam transfusionem in toto vel in parte in diversum contractum mutui impliciti seu interpretativi *ad notata per Canonistas in cap. in Civitate, & cap. finali de usuris, & per civilistas in l. curabit Cod. de action. empti,* ut latè advertitur ad propositum *apud Mastrill. decis. 106.* Quinimò intrat usura etiam in feudo, emphyteusi, donatione, deposito, & similibus, à quibus illa magis abesse videtur; Et quod magis, etiam in legatis & ultimis voluntatibus, ut frequenter in sua materia *sub tit. de usuris,* quoniam eo ipso, quod alteratur consueta natura contractus, atque de facto exindè resultat, quod ob usum pecuniæ admixtum cum tempore alter contrahens aliquam reportat utilitatem de ipsius principalis contractus natura non competentem, tunc ita occultari dicitur mutuum velatum, seu interpretativum, ut in omnibus dictis, ac similibus contractibus, vel legatis, ac ultimis voluntatibus, quinimò, & in judicum sententiis vel arbitrorum laudis plenè expendit *Leotar. in eius tractatu de usuris quæst. 1. 8. & 18. & 19. 24. & per totum tractatum,* & sunt principia certa, in quibus tyronicum esset auctoritates desiderare.

Et in specialibus terminis cambii, etiam ubi agitur de cambio proprio & directo juxta eius origi-
6 nem & introductionem absque mixtura negotiationis seu circulationis, sed pro illa commoditate vel necessitate commercii, quia nempe habens pecunias in una Civitate, illis verè & realiter indigeat in altera vel in nundinis pro mercibus emendis, aliisque negotiis vel usibus explicandis, nam adhuc adesse potest usura, ex eo quod ratione majoris dilationis, de majori cambiorum seu mercedis pretio cõveniatur, cum ita insit mutuum interpretativum, quod usuram causat juxta dubitationem excitatam *per Lupum in cap. Navigantide usuris commentar. 3. §. 2. num. 72. in illis ultimæ impressionis,* aliàs *num. 30. in antiquioribus,* & advertitur supra *in Romana cambiorum disc. 1.*

Quinimò etiam in cambio minuto & materiali
7 sine literis, quod in eodem loco inter præsentes sequi solet, ut est illud quod exercetur per collybistas, quos vulgò *bancherottos* vocamus, cambiando scilicet monetam auream cum argentea, vel argenteam cum ærea, sive grossam cum minuta &c. dari potest usura, quoniam licet citra usuram licitè concedatur in cambiatore aliquod lucrum in compensationem laboris & industriæ circa illud exercitium, vel ratione illius intrinseci valoris, quem ratione commodioris usus habeat ex consuetudine magis una monetæ species quàm altera, quamvis valor intrinsecus esset uniformis, & circa quam recompensam si adesset excessus vel circumventio, illa percuteret injustitiam & læsionem non autem usum, Nihilominus si admixtum esset tempus, & successivè unius ex permutantibus lucrum ratione usus pecuniæ, quia nempe, ut sæpè contingit, præsertim in Regno Neapolitano, ubi magnus habetur incommodissimus usus pecuniæ æneæ, quod habens hanc de facto inferiorem pecuniam, illam indigenti tradat ad certum tempus restituendam in argentea vel aurea, Tunc enim occultari dicitur mutuum interpretativum, & successivè intrat usura, quod scilicet ob usum pecuniæ cum dilatione illam recipiens sentiat damnum, & successivè illius dator lucrum illius extrinseci voloris, qui vulgò *aggium* nuncupatur, in una ac in altera monetæ specie cum similibus, & sic usura non consistit in contractu cambii puro, ac simpliciter, & de per se considerato, sed in circumstantia, seu qualitate alterativa.

Item retentis eisdem terminis cambii veri, ac directi ut supra, illius essentiale requisitum est, ut nullum detur lucrum certum ab initio, neque in obolo, sed totum pendeat ab eventualitate majoris, vel 8
minoris valoris monetæ, unde uterque contrahens æquè se habere valeat ad lucrum ac damnum *juxta cons. 238. Romani Rota decis. 304. num. 5. par. 2. rec. dec. 315. num. 6. par. 2. divers. Sperell. decis. 90. num. 21.* & frequenter in aliis *hoc tit.* Unde propterea eo ipso, quod datur lucrum certum, & non pendens à dicta incerta eventualitate, istud dicitur cambium siccum, saltem in hac parte alterativa lucri certi ratione mutui interpretativi, in quod contractus cambii, corrupta vel alterata eius natura, transfundi dicitur.

Clarus verò, ac extra principium dubitandi, quando ut in hac facti specie, non agitur de cambio proprio & directo, quia nempe quis habens pecuniam in uno loco, eam tradat campsori vel alteri, ut æquivalens in alio loco, & in diversa mone- 9
ta ibi ad eius opportunitates congrua recipiat, sed agitur de cambio obliquo, quia nempe indigens quis pecunia pro aliis usibus, illam mutuo accipiat ab eo, qui eamdem cambiorum traficis, & negotiationibus destinaverat, unde propterea nè mutuator in damno remaneat, mutuatarius ei præbet facultatem accipiendi tantumdem ab aliis vel à se ipso ad cambiũ pro re integratione, ideoq; creditor seu dator pecuniarum, ut advertitur supra *in Romana cambiorum. disc. 1.* & in decisionibus in ea causa editis coram Verospio, ac habetur *hoc eodem tit.* in aliis frequenter, plures personas gerere dicitur, Unam creditoris ex causa mutui, Alteram mandatarii debitoris accipientis pecuniam ad cambium mandantis nomine & damno, Et tertiam campsoris dantis sibi ipsi tanquam mandatario dictam pecuniam, illamque girantis, unde propterea adest mutuum verum expressum, & consequenter ubi ex mixtura alterius contractus resultaret certa utilitas aliàs quàm à cursu & eventualitate cambiorum

rum, tunc usura remanet indubitata, quoniam istud lucrum ad aliud referri non potest, nisi ad accessiones mutui, vel ad cambium siccum, ac extra naturalem cursum cambii realis; Et consequenter dicta conclusio de usura non intrante sine mutuo vero vel interpretativo, generaliter & in abstracto vera omninò extranea videbatur à casu controversiæ.

Hinc ex facto potius quam ex jure cessavit occasio disputandi in Rota alium punctum, An posita mixtura alterius contractus causantis usuram vitiaret vel vitiaretur, dum ob præsuppositam justitiam pretii seu pensionis, in alio admixto contractu locationis & conductionis, cessabat lucrum certum, quod est usuræ fundamentum.

Verum ubi subsisteret dictum præsuppositum, quod in meo, pluriumque sapientum sensu videbatur irrefragabile, quod scilicet dictus alter contractus locationis seu appaltus contineret injustitiam pretii & successivè lucrum certum, unde propterea intraret infectio usuraria; Quatenus pertinet ad punctum, an hæc vitiaret vel vitiaretur; Aliqui ex nostris, ac etiam ex scribentibus in contrarium, pragmatico more magnificientes doctrinas, ac decisiones punctuales, magnum fundamentum constituebant *in decisione* 106. *Mastrilli*, quæ nimium docta & magistralis est in hoc puncto usurariæ locationis, seu alterius contractus ob mixturam mutui vel è contra, juxta de-
10 ducta *dicto discur.* 117. *sub titul. de Regalibus*, *& dicto alio discur.* 4. *sub tit. de usuris*, quoniam per Consistorium declaratus quidem fuit usurarius & infectus ipse contractus, sed tamen creditori adjudicatum fuit interesse pro pecunia, quam alter contrahens interim in manibus habuit ad rationem non excedentem decem pro centenario, ut patet ex eadem *decisione num.* 40. ideoque inferabatur posse stare simul locationem esse infectam, ita ut Appaltatores tenerentur locatori reddere rationem rei venditæ pro illo eodem pretio, pro quo ipsi vendiderant, & tamen eumdem locatorem pro pecunia prædicta, quam interim habuit, teneri ad dicta cambia ad conventam rationem septem pro centenario.

Istud motivum in Curia Romana, retentisque opinionibus, cum quibus in ea proceditur, verè nullius momenti erat, atque contemptibile dici poterat, dum omninò damnatum est illud interesse, quod posita mora seu conventione in dicto Regno Siciliæ ultra, ac etiam in altero citrà aliisq; locis per Tribunalia laicalia decernitur absq; illius speciali justificatione cum requisitis positis *per Castrens. in l.* 3. *ff. de eo quod certo loco*, utpotè ibi habitis pro notoriis, atque speciali probatione non indigentibus, cum hæc opinio in Curia passim reprobata sit, ut frequenter in sua materia *sub tit. de usuris*, ideoque dicta decisio ex hoc capite decernens creditori hanc accessionem non faciebat ad casum ex defectu applicationis, in qua totum & continuum est jurista rum malum.

Alii ex nostris, cum præsuppositio proximè insinuati assumpti in Curia irrefragabilis non dandi interesse absque titulo illius productivo, vel speciali justificatione, mordicus insistebant, quod pro dicta pecunia nihil deberetur, nullaque cambia currissent, atque hunc sensum præsertim habebant duo
11 seniores, inter congregatos doctissimi & primarii Viri *Andosilla* & *Ronconius*; Cum enim ex deductis *dicto disc.* 17 *sub tit. de Regalibus*, indubitata esset correspectivitas locationis seu appaltus cum datione pecuniæ in dicta summa scutorum 175. m. adeo ut unus actus sine altero absque dubio hinc inde gestus non esset, unusque fuerit causa præcisa alterius, quod est verum ac certum correspectivitatis inditium; Hinc proinde data infectione contractus locationis seu appaltus, juxta regulam ex certis juris principiis, quam in correspectivis habemus, corruit etiam alter actus ex defectu voluntatis, quæ alias adesse non dicitur, dum unus sine altero factus non esset.

Diversa vero in hoc puncto erat mea opinio, unde apparenter, & apud alteram partem reputatus in ista causa durior, magisque pertinet, seu obstinatus, attamen in effectum etiam omnibus benignior; Credebam enim verè appaltum non sustineri ob claram injustitiam pretii, quodque istud reducendum esset ad justitiam, dum Appaltatores nulli periculo, nullique incommodo subjecti fuerant juxta decisa *apud Mastrill. dicta decis.* 106. *cum aliis dicto disc.* 117 Econversò autem, injustam, ac omnino improbabilem reputabam nostram prætensionem denegandi etiam cursum cambiorum; Idque non solùm ex quadam non scripta æquitate ac epicheia deducta ex ratione vel dispositione *textus in l. curabit C. de action. empti*, & à simili, dum notorium erat datores pecuniarum esse negotiatores retinentes eorum pecunias sub cambiis, quorum occasiones expetendæ non sunt, Ac etiam ob declaratam voluntatem non faciendi mutuum, sed dictum alium contractum valide, & de sui natura huiusmodi eventualium accessionum productivum; Sed etiam de stricto juris rigore, juxta ea quæ apud *Cenc. & Leotar.* ac alios, receptissimum habemus in contractu censuali, quod ubi contractus de per se consideratus habet omnia substantialia vel naturalia requisita, ita ut nullus 12
adsit defectus intrinsecus, & in se, sed solum adjecta sint pacta ab eo extranea quæ percutiant accidentia, non autem substantialia, vel naturalia contractus, Tunc, quicquid sit in foro interno, in quo omnis decisio pendet ab intentione, unde solus Deus, ac propria conscientia sunt judices, Quatenus pertinet ad forum externum, receptum est, huiusmodi accidentalia vitiari, ac haberi pro non scriptis, non autem vitiare; Et hic mihi videbatur casus, quoniam contractus locationis seu appaltus continebat purum accidens, quod esse & abesse poterat citrà corruptionem alterius contractus cambii, qui de per se erat validus, & perfectus, utpotè habens omnia Pianæ Constitutionis requisita.

Quatenus verò pertinet ad motivum correspectivitatis, Advertebam procedi cum aliquo æquivoco in applicatione, quoniam illud procede- 13
bat ad favorem alterius partis, quæ rectè dicere poterat, quod non dedisset tantam pecuniam sub cambiis limitatis ad taxam, juxta illorum temporum conditionem nimium suavem septem pro centenario, cum brevi etiam reductione ad quinque, & cum impedimento repetendi sortem, diminutè singulis annis assequendam ex pretio venæ juxta seriem, de qua *dicto disc.* 117. nisi etiam effectum habuisset dictus alter contractus, cuius sperata utilitas dicta talia præjudicia compensasset, & sic quod ipsi creditores, cessante contractu appaltus allegare potuissent resolutionem, seu cessationem alterius contractus ita eis præjudicialis, ac nolle stare conventis ratione cessantis alterius contractus

correspe-

correspectivi, tanquam ex cessante voluntate, sive conditione, sine qua non; Secus autem è converso, quoniam debitor qui pecuniis indigebat, si pro eis habendis non solum se opponere voluit cambiis, sed etiam alteri jacturæ resultanti ex dicto præjudiciali appaltu, ita duplicatum damnum sentiendo, multo magis & absque dubio fecisset solum contractum cambii sine appaltu; Et consequenter prorsus improprium mihi videbatur dicere, quod ex hac parte allegari posset ratio defectus intentionis aliàs contrahendi, ob quam in correspectivis, cessante uno contractu alter quoque corruit, ita enim nimium repugnare videbatur ipse naturalis discursus, quidquid alter nimium rigorosus legulcicus suaderet: Sed subsequens concordia his omnibus finem dedit, nulla tamen difficultate habita per Arbitros in concordiæ tractatu circa cursum cambiorum.

# ROMANA SEV NAEPOLITANA LITTERARVM CAMBII.

## PRO VALENTINO SALVTIO CVM FRANCISCO CVCVRNO

*Casus decisus per Rotam pro Francisco.*

An & quando decoctio mandantis, seu scribentis litteras cambii cedat damno mandatarii, seu correspondalis, qui illas acceptavit, vel potius adjecti, cui earumdem litterarum implementum fieri debebat, ac solutio facta est.

### *SVMMARIVM.*

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Refertur quæ sit juris theorica in materia, & distinguuntur casus.*
4 *De primo, in quo acceptatio litterarum sequatur post decoctionem, & recensentur decisiones Rotæ hunc casum percutientes.*
5 *De alia ratione ob quam isto casu acceptans excusatur.*
6 *De secundo casu, in quo de tempore acceptationis scribens erat in statu valido postea immutato.*
7 *De tertio casu mixto, quia de tempore acceptationis non esset sequuta formalis mutatio status, sed cœpisset aliqua deterioratio.*
8 *Impugnatur in hoc casu resolutio & de ratione.*
9 *Datur distinctio plurium effectuum, ad quos attenduntur conjecturæ & indutia futuræ decoctionis, & ut quis dici valeat decocturus.*
10 *Quæ regula tradatur ad videndum, an quis esset decoctioni proximus.*
11 *De statu fori mercatorum Bononiæ in hac materia.*
12 *Quando futura præparatio decoctionis in hac materia attendatur.*
13 *De applicatione theoricæ generalis ad casum.*
14 *De stylo mercatorum in acceptatione litterarum cambii.*
15 *Mandatarius, seu correspondalis non excusatur si scire potuit conditionem scribentis.*
16 *Ponderatur difficultas cadens in causa.*
17 *De partitis passatoris bancorum.*

## DISC. XXV.

SUb die 27. Februarii 1666. Cæsar de Cæsare in Civitate Neapolitana negotiator dedit litteras directas Francisco Cucurno in Urbe negotiatori pro solutione scutorum mille facienda Valentino Salutio in Urbe pariter existenti, pro totidem ab eodem Cæsare acceptis, mediante banco publico, à Solariis, & Lavagnis, quas litteras Cucurnus liberè acceptavit *sub die 6. Martii*; Cumque pendente solito termino dierum quindecim, qui *usus* vulgò inter negotiatores dicitur, *sub die 13. eiusdem mensis* ob eiusdem Cæsaris latitationem eius decoctio in foro mercatorum detecta, & publicata esset, Hinc propterea Cucurnus, ita carens relevatore recusavit dictarum litterarum implementum ex motivo superventæ decoctionis scribentis, introductaque causa coram A. C. prodiit sententia dicti Cucurni absolutoria, à qua interposita appellatione ad Rotã *coram Albergato*, dato- 2
que dubio, *An Cucurnus ad dictarum literarum solutionem teneretur sub die 13. Aprilis. 1668.* negativa prodiit resolutio, & in hoc statu causa pendet.

Quæstio autem hæc alias apud nostros majores involuta, hodie in Rota, & Curia Romana, cum cuius opinione concordant etiam sacrum Consilium, aliaque Tribunalia Regni Neapolitani, videtur hodie jam sopita, ita ut non sit amplius juris, sed facti, & applicationis; Juris enim theorica 3
est, de qua apud *Franch. decis. 303. Fab. de Ann. consil. 82. Rovit. super pragm. 1. de litter camb. Merlin. lib. 2. controv. 11. de Marin. resol. 258. lib. 1. Carleval. de judic. tom. 2. quæst. 6. Rot. decis. 345. par. 5. rec. in Romana litterarum cambii 16. Martii 1640. Coccino & apud Dunozettum decis. 940.* cum aliis in huius causæ decisione, quod plures casus distingui debent.

Primus est ubi decoctio mandantis, seu scribentis supervenit re integra, ante scilicet litterarum acceptationem factam à mandatario, qui in 4
statu bonæ fidei eas postea acceptaverit, justè credens perseverantiam mandantis in consueto bono statu, cuius mutationis ignorantia crassa vel supina dici non valeat; Et tunc in dictis locis, & Tribunalibus recepta est opinio magis benigna excusans acceptantem, quoniam verius videtur acceptantem non dici fidejussorem, vel expromissorem juxta opinionem *Scaccia* & aliorum; sed potius mandatarium ita acceptasse cum propria obligatione, cum præsuppositio, quod adhuc duraret mandatum jam solutum per mortem civilem à decoctione resultantem, ideoque casus iste fortuitus cedere potius

debet

debet damno eius, qui scribentis, & mandantis magis quam corresponsalis, & mandatarii fidem sequutus est, atque hic est casus, de quo agunt *Franch. & Fab. de Anna*, & cæteri de quibus supra, idque habetur *apud Rotam dicta decis. 345. par 5. rec.* ubi litteræ erant scriptæ *sub die 2. Iunij* & acceptatio *sub die 9. eiusdem*, decoctio autem sequuta erat eo intermedio tempore, & ad summum ipsa die nona, scilicet in sabbato, quando juxta usum mercatorum litteræ scribi, ac respectivè acceptari solent; Pro ut *in dicta Romana, litterarum cambii 16. Martii 1640. coram Coccino*, litteræ erant scriptæ die 31. Decemb. acceptatæ *die 8. Ian.* decoctio autè secuta tempore intermedio nempe *die 3. Ian.* unde mandatarius non potuerat juxta usum cursitationum certiorari. Atque aquad *Dunozett. dicta decis. 940.* litteræ erant scriptæ *die 13. Februarii*, acceptatæ *die 20.* mutatio autem status sequuta in ea hebdomada intermedia, & sic inter unum & alterum sabbatum, qui est mercatorum, & negotiantium dies criticus, in quo frequentius, ac ferè semper decoctiones detegi, ac sequi solent.

5 Alia etiam probabili ratione isto casu concurrente, quod magis inculpandus seu minus excusandus est ille ad cuius instantiam seu gratiam litteræ per mandantem, accepto æquivalenti scribuntur, quia tanquam præsens in loco melius indagare potuit vel debuit conditionem decocturi, quam mandatarius absens non aptus ad obtinendas eas informationes, quæ præsenti conceduntur, Et qui potuit etiam se cautelare dando æquivalentiam vinculatam in banco, non liberandam nisi post acceptum nuncium acceptationis, atque ita se ponendo in tuto.

6 Alter casus est ubi mutatio status scribentis supervenit post acceptationem, sed ante solutionem, putà durante consueto termino usus, ita ut acceptatio sequuta sit de tempore quo scribens erat in consueto statu valido & mercantili; Et tunc verius est, atque eadem huius causæ decisio admittit, superventum casum decoctionis cedere damno, & periculo acceptantis, ut apud eosdem allegatos, ac etiam bene *apud Capyc. latr. consult. 42. num. 10. & seqq. & decis. 196. num. 24. Rocch. conf. 17. lib. 1. numer. 1.* communiter ac in dictis Rotæ decisionibus.

7 Tertius casus est mixtus, ubi scilicet, tam de tempore quo scriptæ sunt litteræ, quàm de tempore acceptationis, status mandantis cœperat deteriorari, ita ut jam adesset futuræ decoctionis præordinatio, formalis autem immutatio status per detectam decoctionem sequuta esset post acceptationem, de cuius tempore adhuc scribens negotiaretur, atque in foro mercatorum inter negotiantes reciperetur, ac fidem generaliter haberet, licet apud aliquos ea diminuta esset, & de ea deturbari jam cœptum, qualis erat proprius, ac præcisus casus præsentis controversiæ.

Et tunc Rota in huius causæ decisione simpliciter firmat acceptantem excusari, quasi quod si id ei innotuisset, verisimiliter litteras non acceptasset, talemque obligationem non suscepisset, allegando in id auctoritates *Fab. de Anna d. conf. 82. num. 11. cum seqq. Mastrill. decis. 221. num. 2. & Merlin. dict. controv. 11. numer. 14.* cum aliis generalibus non percutientibus istos terminos speciales.

In hoc autem, mihi scribenti pro Salutio actore, ad solam etiam veritatem reflectenti, videbatur quod circa ea quæ juris theoricam generalem percutiunt fortè processum esset cum aliquo æquivoco, quodque dicta propositio ita simpliciter sumpta esset periculosa, publicoque commercio atque negotiantium bonæ fidei nimis præjudicialis; Siquidem in Urbe, omnibusque Orbis Civitatibus, & emporiis quotidiè practicamus, mercatores ac negotiatores non semper eumdem uniformem statum habere, sed quandoque majoris, & quandoque minoris existimationis, atque plerosque pecunias sub cambiis, vel ad interesse præter solitum accipere vel tractas non ita punctualiter implere, ac aliquando poti protestationes, quæ majoris existimationis aliquam diminutionem inducere solent, adeo ut per aliquos melius informatos eis non credatur cum ea facilitate, vel in illis magnis summis, ut prius credi solebat. Adhuc tamen in generali opinione, atque in foro mercatorum retinent eundem statum atque pro idoneis & probis negotiatoribus reputantur, cum exceptis quibusdam omninò accidentalibus ac inopinatis casibus contingibilibus, decoctiones non sequantur in instanti, sed longas habeant præparationes; Unde propterea theorica communi consensu etiam tenentium magis benignam opinionem supra in secundo casu constituta nunquam verificabilis esset, nam quandocumque post acceptationem, sed ante implementum, scribentis decoctio, vel aliqua deteriorationis suspicio oriretur, semper mandatarius recusare posset solutionem, sive accipere hunc prætextum pro litterarum prompto implemento differendo contra omnem negotiationis, ac publici commercii rationem, atque cum evidenti eiusdem commercii, ac publicæ fidei præjudicio, cum ad hunc effectum revocationis seu resolutionis mandati, cui innititur opinio in primo casu constituta, requiratur illa status immutatio quæ causet mortem civilem, naturali ad hunc effectum assimilatam, & quæ sequi dicitur per formalem decoctionem, vel saltem per eum statum in quo dici valeat proximè decocturus, qui decocti jure censetur, atque in his terminis loquuntur *Fab. de Anna, Merlin. & Mastrill.* in decisione allegati ac alii.

Atque in hoc proposito, respondendo auctoritatibus quæ deducebantur per scribentes in contrarium super generali propositione probandi proximam decoctionem per inditia, suspiciones, & argumenta collecta *per Rocchum in notabil. de decoctor. post secundum volum. consil. notab. 37. num. 108 & seqq. & alios.* 9 Advertebam aliud esse agere de contractibus, solutionibus, obligationibus, alienationibus, & declarationibus quæ à decocturo fiant in fraudem creditorum in gratiam uxoris, & conjunctorum, vel fiduciariorum cum quibus fraudis & collusionis suspicio probabiliter intret; Aliud verò ad istum præcisum effectum excusandi mandatarium, qui litteras cambii acceptavit, ob talem mutationem status mandantis, quod ex illa resultat revocatio mandati, tanquam per mortem; Isti enim termini sunt inter se longè diversi, nimiumque clarum videtur æquivocum, hos ultimos, cum aliis præcedentibus regulare; Ad primum enim effectum inducendi in altero contrahente cum decocturo malam fidem, ac fraudis præsumptionem, certa & determinata regula dari non potest, sed juxta generalem rerum conjecturalium naturam 10 & qualitatem, totum residet in judicis prudenti arbitrio, ex facti qualitate, singulorumque casuum particularibus circumstantiis regulando, adeo ut quandoque etiam per menses, imò etiam per annum antea dici valeat quis decocturus, & contrahens in fraudem, ut pluries advertitur in sua materia, *sub titulo*

*titulo de credito* præsertim *in Bononien. discussionis*, ubi de statuto fori mercatorum Bononiæ præsu-
11 mente hanc fraudem per quatriennium antea, unde propterea omnes creditores, seu alios intra dictum terminum contrahentes cum eo, qui postea decoquet, nulla data temporis differentia, reddit æquales; Hoc autem si admitteremus in hac materia litterarum cambii esset involvere totum Mundum, atque publicum commercium omninò tollere, vel impedire, quo nil absurdius dum juxta *decis. 9. Buratti* tempus 14. dierum reputatur passim sufficiens, & tamen data acceptatione tempus usus est talis, & pluries minor, & sic nunquam daretur casus quod acceptans esset obligatus.

Ideoque futuræ decoctionis actus præparato-
12 rios observabam rectè considerabiles esse in hac materia, ubi probabilis suspicio cadere posset, quod litteræ cambii per decocturum corresponsali scriptæ essent, non pro æquivalentia tunc sincerè, ac bona fide habita ab eo in cuius gratiam tracta fiat, sed ut ita illum jam ex alia causa creditorem dimittat, juxta ponderationem, de qua infra in hoc præciso controverso casu.

Ista igitur theorica generali ita constituta; Quatenus pertinet ad eius applicationem ad factum, per eosdem testes inductos ex parte rei con-
13 venti, aliasque probationes deductas per actorem cum attestationibus negotiatorum, & partitis publicorum bancorum, ac etiam cum publicis instrumentis, constabat dictum Cæsarem, usque ad diem 12. Martii publicè conversatum, ac negotiatum esse, atque pro negotiatore juxta solitum fuisse in publico foro reputatum, detecta solum eius decoctione ac latitatione in dicta die 13. cadente in Sabbato, die ut supra mercatorum critica; Dicebant autem testes à multo tempore antea eius fidei diminutionem initiatam esse, eis tamen inter se discordantibus, aliqui namque id asserebant à sex mensibus, alii verò id restringebant ad duos circiter, ex quo tempore plures passus erat protestationes ob litteras non impletas, alia etiam inditia deterioratio nis indies referendo, proxima verò in ipsamet hebdomada decoctionis, & sic post acceptationem sequutam hebdomada præcedenti, ob dimissionem scilicet scripturalis, repositionem uxoris in monasterio, & occultationem librorum, & aliquorum bonorum.

Atque hac facti serie sic stante, dicebam, quod aut attendere volumus formalem decoctionem, & illa sequuta erat sub die 13. Martii, & sic septem
14 diebus post acceptationem sequutam sub die 6. quinimò verè, & propriè per decem dies antea, quoniam litteræ scribuntur in Civitate Neapolis Sabbato, dum istæ litteræ scriptæ fuerunt die 27. Februarii, habentur autem in Urbe in die Mercurii valdè mane, quinimò, & die Martis de sero, atque illicò requiritur mercator ad acceptandum, sed ille ex quadam majori dilatione de facto per negotiatores usurpata differt facere acceptationem in scriptis usque ad sequentem diem Sabbati, quasi quod illa sit huiusmodi negotiorum dies congrua, ideoque magis de plano intrabat theorica, de qua in dicto secundo casu.

Aut ex abundanti attendendum esset tempus cœptæ, sed præparatæ decoctionis, & cum illud esset nimis longum sex mensium, vel saltem duorum, adhuc acceptans inexcusabilis remanebat, dum allegare non poterat probabilem ignorantiam, seu justam credulitatem, quod mandans continuaret in consueto bono statu, ideoque sibi imputare debet cur sciens, vel scire debens statum mandantis, 15
litteras acceptavit, ut bene advertitur *per Gaitum de credit. cap. 2. tit. 7. num. 2404. & seqq. Carleval. d. quæst. 6. num. 38. Merlin. d. controv. 11. num. 17. &* 18. & bene Rota *d. dec. 345. n. 3. & 13. cum duobus seqq. p. 5. rec.* ac cæteri communiter tenentes hanc magis benignam opinionem, non alteri fundamento innixam, nisi dictæ credulitati, quoties sit justa, & probabilis, ex bene discussis *per Merlin. d. controv. 11.* Et habemus in materia restitutionis in integrum adversus præscriptionem; Sive in materia alterius æquitativi remedii competentis ratione ignorantiæ, quia intelligitur, dummodo illa sit probabilis, & verisimilis, non autem ubi crassa, & supina, aut aliàs improbabilis; Potissime verò quia in facto justificabatur hoc medio tempore, & post quam testes dicebant scribentem cœpisse deficere à fide, plura & plura negotia inter ipsos mandantem, & mandatarium interceserant, unde propterea omninò planum videbatur, quod acceptans esset excusabilis.

Unica difficultas, quam ab initio in ista causa cognoscebam, consistebat in facto potius, quam in jure, An scilicet concurreret necne bona fides in 16
prædictis Solariis, & Levangnis, ad quorum instantiam dictæ litteræ scriptæ erant, quod scilicet verè & realiter tunc data esset æquivalentia, tanquam mercatori probabiliter idoneo reputato, Vel potiùs dicta æquivalentia præstita non esset, sed illi tanquam præsentes melius informati de malo statu dicti Cæsaris eiusque imminenti decoctione, tanquam eius creditores curassent mediante ista tracta se reintegrare, ita ut scientia dicti status, sive imminentis decoctionis provisio, magis verisimilis esset in prædictis, quam in mandatario absente, Ideoque totus punctus esse videbatur in realitate præstationis dictæ æquivalentiæ, tunc & de præsenti, quod advertebam justificandum esse, aliàs quam per partitam banci, in qua per actorem totum fundamentum constituebatur, quoniam in ea Civitate frequens usus est, ut omnia ferè negotia inter partes tractata transeant per bancum, etiam sine effectiva pecunia, atque ibi vulgò dicuntur *partitæ passatoriæ*, quæ nihil probant, nec aliquid 17
operantur, ut in specie advertitur *per Capyc. latr. decis. 200. num. 72.* quando enim ita res se haberet, justam credebam resolutionem, secùs autem è converso, quod scilicet: tunc verè ac bona fide æquivalentia soluta esset ut cambiaretur per Urbem.

---

# ARIMINEN.
## LITTERARVM CAMBII.
## PRO
## FRANCISCO MANGANONO
## CVM
## FRANCISCO RASIO.

*Casus disputatus coram A. C.*

An scribens litteras cambii teneatur de casu decoctionis mandatarii seu

correſponſalis cui directæ ſunt eas non implentis, ſi creditoris vel adjecti, cui ſolutio facienda erat, fuit negligens in præſentando, & exigendo litteras, & non certiorando ſcribentem de renuentia.

## SVMMARIVM.

1 Facti ſeries.
2 *Scribens litteras cambii tenetur reſtituere æquivalentiam acceptam ſi litteræ non impleantur.*
3 *Etiamſi recipiens fuerit negligens in exigendo.*
4 *Quod iſta ſit quæſtio facti potius quàm juris, & & quomodo decidenda ſit, diſtinguitur inter negligentiam notabilem, & non notabilem.*
5 *Qui recipit litteras quæ non impleantur, tenetur certiorari ſcribentem.*
6 *Aſſignantur rationes ob quas ubi concurrit negligentia notabilis, periculum non debet eſſe ſcribentis.*
7 *Ubi etiam ceſſio eſt pro ſolvendo & non pro ſoluto, ceſſionarius tenetur facere diligentias.*
8 *Mandatarius tenetur ſervare bonam fidem, & quam culpam præſtet.*
9 *Termini litterarum cambii diverſimode tractandi ſunt, quam illi ſimplicis ceſſionis vel aſſignamenti.*
10 *Leges municipales aliarum Provinciarum vel ditionum, an & quando attendi debeant.*
11 *Expenduntur auctoritates ſuper concluſione de qua num. 3. ut percutiant caſum modicæ negligentiæ.*
12 *Quomodo dignoſcatur an negligentia ſit notabilis & culpoſa necne.*

## DISC. XXVI.

1 FRanciſcus Manganonus ſub die 28. Aprilis 1666. Arimini negotiator, ſcripſit litteras Laurentio Zelæ eius debitori in Urbe commoranti pro ſolutione ſcutorum 800. facienda in eadem Urbe Thomæ Baccellio in gratiam Franciſci Raſii, à quo æquivalentiam accepit; Præſentatis verò die quarta Junii ſequentis dictis litteris præfato Zelæ, hic recuſavit illas acceptare, data intentione acceptandi & ſolvendi cum aliqua competenti dilatione, unde Broggius Baccelli complementarius, ac ſocius fecit ſolitam proteſtationem, atque de ſequutis certiorem reddidit dictum Raiſium, qui nullam proteſtationem fecit cum Manganono, minuſque ut ſupponebatur, eum aliàs certiorem reddidit, unde negotium ita pro aliquo tempore ſiluit uſque ad menſem Octobris, iſtoq; intermedio tempore obiit Zela non ſolvendo, quare Raſius actiones direxit contra Manganonum ſcribentem pro reſtitutione æquivalentiæ habitæ.

Et introducta cauſa coram A. C. ſive Prælato deputato, Scribentes pro Raſio actore iſtius intentionem fundatam dicebant in recepta concluſione, de qua ſupra *in Neapolitana diſc. 22.* ſuper obligatione ſcribentis literas non impletas reſtituendi, 2 etiam cum proceſſu executivo de communi uſu ubique introducto, quidquid receptum eſſet, ex cauſa earumdem litterarum, deducendo eaſdem auctoritates, quæ dicto diſc. 22. relatæ habentur.

Cumque ex parte rei conventi excideretur de actoris negligentia in non exigendo debito tempore dictas litteras, vel in non certiorando ipſum ſcribentem, qui ita certioratus, ſuas adhibuiſſet diligentias priuſquam Zela deficeret, & à quibus diligentiis abſtinuit ſub bona fide per eum ex ſilentio Raſii concepto, quod litteræ eſſent jam impletæ, replicabant ſcribentes pro actore de concluſione, in Rota præſertim & Curia recepta, quod ubi non conſtat de requiſitis veræ & formalis delegationis huiuſmodi litteræ ſuſceptæ cenſentur pro ſolvendo, non autem pro ſoluto, & ſic ſub conditione quatenus ſolutio ſequatur, & non aliàs, ideoque ſcribens non remanet liberatus, quamvis ex parte recipientis, vel ceſſionarii aliqua negligentia adhibita eſſet *ut per Rot. apud Gregor. deciſ. 217. Buratt. deciſ. 486. & 497. apud Pacif. de Salv. dec. 49. & 50. apud Rojas dec. 362. & inter recentior. par. 10. dec. 47. & 260. & pluries*; Atque eſſe alibi magis communiter receptum patet ex deduct. *per Rovit. ſuper pragm. prima de litteris cambii num. 1. & ſeqq. Rocch. reſponſ. 8, lib. 1. Merlin. de pignor. lib. 4. quæſt. 150. in fin. Ole. de ceſſ. jur. tit. 7. quæſt. 3.* Et generaliter in propoſito ceſſionis nominis debitoris, & cujus periculo iſtius decoctio cedat, habetur pluries in ſua materia *ſub tit. de credito.*

Scribens ego pro reo convento, admiſſa veritate primæ concluſionis in ſuo caſu ſuper regreſſu competente contra ſcribentem, ubi non obſtaret ipſius ceſſionis vel adjecti negligentia, ad iſtam reſtringebam quæſtionis punctum, an ſcilicet ſtante 3
intermedia mutatione ſtatus mandatarii de tempore litterarum earumque maturationis idonei, obſtaret necne actori negligentia ipſius, vel eius correſponſalis, quæ etiam ſufficeret.

In hoc autem dicebam, quod quidquid juxta morem Noſtri varient, præſertim ad ſolam cauſarum opportunitatem ſcribentes, Attamen bene ponderatis auctoritatibus, & deciſionibus, quas deſuper habemus, quæſtio videtur potius facti, & ap- 4
plicationis, quam juris, decidenda cum diſtinctione benè conciliante auctoritates quæ deſuper pugnare videntur, eodem præſuppoſito ſcribentium in contrarium retento, quon non concurreret formalis delegatio, ſed ageretur de ſimplici ceſſione ſeu conſignatione litterarum quam admittebam in dubio cenſeri deberi potius pro ſolvendo quam pro ſoluto.

Aut enim negligentia non eſt magna, & notabilis, & tunc verius eſt eam non obſtare juxta ſupradictam regulam in contrarium deductam, quam ceſſantibus legibus municipalibus admittebā verā juxta deducta *in dicta Neapolitana diſc. 22.* Aut verò illa eſt magna & notabilis, ita ut culpam redoleat, atque dici valeat cauſa damni quod ſcribenti aliàs reſultaret, quia nempe hic ſub bona fide, juſtaque credulitate quod litteræ fuerint impletæ, acquieverit, atque non fecerit illas diligentias quas alias feciſſet, & quibus mediantibus debitorem tunc in bono ſtatu exiſtente exigiſſet, & tunc ſecus, ut bene cæteris relatis *Fontanell. dec. 125. in fin.* quem in hoc laudant *adden. ad Capic. Latr. dec. 20. num. 16. Rocch. reſponſ. 8. n. 2. lib. 1. Merlin de pignor. lib. 4 quæſt. 150. n. 65. Olea de ceſſ. jur. tit. 7. quæſt. 3. num. 39.* & admittunt *add. ad Gregor. dec. 216. num. 9. in fin.* ubi 5
allegatur *Scaccia* in hoc ab omnibus receptus, quod qui recepit litteras quarum ſolutio ſuum implementum non habuit, tenetur certiorari ſcribentem, ut etiam ex *Gaito* & aliis habetur apud *Carleval. de judic. tom. 2. diſp. 6. n. 28.* bene *Thor. in compend. deciſ. par. 2. verbo periculum decoctionis in fine.*

Et

6 Et quando desuper non haberemus auctoritates, id etiam suadet utraque ratio humana & legalis, naturali siquidem sensui, ac rationi repugnare videtur, quod cessionarius ita obdormitans, & quandoque cum cesso debitore etiam cum occulta recognitione colludens, à propria culpa ita immunis esse debeat, cum damno innocentis, qui in bona fide versatus est; Ac etiam juxta principia legalia, concordant enim omnes huiusmodi cessionarios vel adjectos, quamvis cessio esset pro solvendo, teneri ad diligentias, licèt tales quales, non au-
7 tem omnino exactas, ac per viam formalis excussionis, ex ea clara ratione quod ita cessionarius suscipere dicitur à cedente mandatum ad illam exactionem faciendam, ideoque docere debet se implevisse partes mandatarii ex generaliter deductis per *Rot. apud Merlin. dec. 639. dec. 44. n. 12. par. 11. recent. Fontanell. dicta dec. 125.* Et frequenter in terminis generalibus controversiæ inter cedentem & cessionarium super periculo nominis cessi in sua
8 materia *sub tit. de credito*; Ideoque data magna & notabili negligentia, impossibile redditur cessionario justificare hoc requisitum, dum ita concurrere videtur etiam culpa lata, cum tamen etiam levem de jure mandatarius præstet, quinimo in aliquorum sensu etiam levissimam, ut pluribus juribus expensis, latè deducit *Harpprect. in §. is qui instit. de mandat. n. 21. cum seqq. ubi concordantes*; Quodque mandatarius præstare debeat diligentiam, & culpæ reddere rationem *Mantic. de tacit. lib. 7. tit. 14. n. 5. & habetur sub tit. de Regal, dis. 117. & alibi.*

Quod si procedit generaliter in quacunque cessione seu assignatione proprio creditori facta pro
9 solvendo de aliquo nomine debitoris, utique longe facilius, atque cum majori rigore contra cessionarium seu recipientem litteras recipiendum est in hac materia litterarum cambii, ita ratione communis usus, ac negotiationis, & publici commercii exigente, Attendendo etiam in idem aliquorum Principatuum rigorosas leges particulares desuper editas, non in ratione auctoritativa non egrediente limites, & potestatem legislatoris, sed in ratione interpretativa, & tanquam doctrinam magistralem, ex iis, quæ circa leges particulares aliquarum
10 provinciarum, & ditionum, præsertim finitimarum advertunt DD. collecti per scribentes apud *Prat. respons. crim. 46. n. 53. & seqq.* & advertitur etiam *per Rotam* in proposito consuetudinis *dec. 357. nu. 61. par. 11. rec.* & de legibus Hispaniarum *dec. 27. num. 8. par. 1. rec. & Franch. decis. 578. num. 14.* cum aliis *per Constantium in l. 2. C. de fil. Official, lib. 10. & per add. ad Rovit. pragm. 2. de cessione bonorum*, atque frequenter alibi advertitur.

Ideoque etiam agnoscerere videntur auctoritates, quæ supra contra scribentem insinuantur, siquidem *apud Gregor. 217.* ut patet *n. 7.* nulla ade- 11
rat negligentia, & *apud Buratt. dec 486. n. 6.* ponderatur moram 27. dierum non esse notabilem, Atque ex judicio mercatorum idem advertitur *coram eodem decis. 497. n. 8 & seqq.* potissimè quia *in dicta dec. 486.* concurrebat qualitas militaris in debitore ita non facilis conventionis, & cum eodem præsuppositio moræ non notabilis, vel aliàs excusabilis proceditur *dec. 49. & 50. post Pacis. dicta decis. 260. n. 14. & 15. par. 10. rec. & in aliis.*

Igitur ut dictum est, quæstio non est juris, sed facti, certam regulam generalem sive uniformem decisionem non recipiens, sed decidenda pro judi-
cis prudenti arbitrio regulando ex facti qualitate 12
ac singulorum casuum particularibus circumstantiis, quæ solent frequentius esse difformes ob locorum diversos usus, nec non personarum, & temporum qualitatem, quibus attentis juxta generalem regulam quam in arbitrariis, & conjecturalibus habemus, unum & idem temporis spatium in uno casu erit modicum, atque negligentiam notabilem non importabit, in alio verò erit magnum importans negligentiam notabilem, Potissimè verò ac principaliter attendendo maximam differentiam militantem inter casum litterarum cambii, & alterum simplicis assignamenti quam debitor faciat suo creditori de aliquibus effectibus, vel nominibus debitorum, adeo ut iste pro meo judicio clarus videatur error tractare hos terminos literarum cambii inter negotiatores cum dictis aliis terminis generalibus simplicis cessionis, vel assignationis, quæ sequatur inter privatos creditores, & debitores; Potissimum autem attendendo, an scribens vel cedens verisimiliter exigisset ac se reintegrasset, si fuisset certioratus.

In unica verò disputatione habita in ista causa, maturum judicium pro veritate efformare non potui, ob non bene firmatum factum super quo causæ Patroni nimium diversificabant, cum ab hoc ut dictum est huiusmodi controversiarum decisio pendeat; incertus tamen mihi est causæ exitus, dum causa mutavit defensores, ut frequenter contingit ex mutatione procuratoris.



# DISCORSO
## SOPRA
# LA VALIDITA DE I CAMBII
## DI PIAZZA.

In che differiſcano da quelli di fiera, fatto in occaſione della diſputa hauuta in Signatura di Gratia nella cauſa *Romana Cambiorum* tràla ragione bancaria di Filippo Valenti, & il Marcheſe Raimondo, della quale ſi tratta di ſopra *al diſc.* 1. & 2. & con la quale occaſione ſi diſcorte di molte ſpecie de' Cambii, Et qũando in eſsi entri il ſoſpetto dell'Uſura.

PEr chiarezze della materia d'i cambi, & per togliere gli equivoci preſi da moderni Scritto ri ſupra l' intelligenza della dottrina degli antichi Canoniſti, e Morali, conviene diſtinguere le diverſe ſorti de' cambii, & in quali entri ò no l'uſura ò ſoſpetto di eſſa, ſupponendo il diſcorſo in Roma.

La prima ſorte di cambii è quella che ſi fa trà præſenti trà l'una, e l'altra ſpecie di moneta corrente nelmedemo paeſe, ch'è àpunto quel cambio conoſciuto dalla legge commune, che ſi eſercita da gli Argentarii ò collibiſti, volgarmente chiamati Bancherotti, quali per la miglior qualità, ò più commodo uſo di una moneta che l'altra, ricevono per tale commutazione certa mercede; Come à dire, Titio hà cento ſcudi di oro pejo vecchio, ò cento cinquanta ſcudi di moneta di paoli, & li biſognano per una ſpeditione di Dataria cento ſcudi di oro ſtampe, và dal bancherotto, & per cambiare la ſua moneta in detti ſcudi di ſtampe gli paga un mezzo groſsò, più ò meno conforme ſi può convenire per ſcudo, ch'è valore di quella miglior qualità di moneta & in tal cambio il bancherotto altera il prezzo, perche in liſta trà mercanti correrà l'oro ad un bajocco, ed egli ne vorrà due per ſua mercede, vivendo con quell'induſtria, nella quale applica tutta la ſua perſona & opera, Anzi dà la mercede anco nel cambio di due monete d'egual bontà & valore per la ſola maggior commodità di una ſpecie più che l'altra; Come à dire, hà Titio una dobla di Spagna, li comple hauer tanti giulii, groſſi, ò mezzi groſſi, và dal bancheratto & paga per tal cambio certa mercede; Come anco per la più buona ò cattiua qualità della moneta, benche il valore ſia il medeſimo; Come à dire, hà Titio nel Regno di Napoli cento ducati di rame, gli comple hauer l'iſteſſa ſomma in moneta di argento ò oro, come più commodo, al traſporto & più ſpendibile, la cambia col bancherotto ò col negoziante pagandone il cinque più ò meno per cento d'aggio come ſi può convenire. Et queſta ſorte di cambio trà preſenti è anco pratticabile dalla moneta corrente in un paeſe con la moneta di un' altro, che iui non corra; Come à dire, viene in Roma un Regnicolo ò Siciliano, porta ſeco cento ducati di tarì ò altra moneta di quel paeſe, che in Roma communemente non ſi ſpende, và dal bancherotto ò altro negoziante, & la cambia in teſtoni ò paoli per dendoui il diece ò dodici per cento, come ſi può convenire.

In queſto cambio non cade uſura, non entrandui dilazione di tempo, ne mutuo vero ò interpretativo, ſenza de' quali non può darſi l'uſura; Vi poſſono bensì cadere l'inganno, & la leſione, perche correndo il ſolito aggio de gli ſcudi d'oro di ſtampe à mezzo groſſo l'uno, l'aſtuto bancherotto col non prattico cambiante può chiederne & hauerne un groſſo; Come anco vi può cadere la falſità perche può dare all'ineſperto ſcudi di oro peſo vecchio in cambio di ſtambe nuove, overo giulii di Urbino, ò Ferara, ò teſtoni di S. Petronio in cambio di giulii ò teſtoni Romani, ma cio ſarà falſità, fraude, leſione, ò ingiuſtizia, però mai uſura.

La ſeconda ſorte di cambio è quella che parimente ſi fà trà preſenti da una ſpecie di moneta all' altra dell'iſteſſo paeſe, e nel medemo luogo, mà con qualche dilazione di tempo, il che frequentemente ſi prattica nel Regno di Napoli; Come à dire, Titio da oggi à Sempronio certo ducati in moneta di rame, per che trà un meſe reſtituiſchi gli medemi cento ducati in moneta di argento, ò oro; O pure dà cento ducati in moneta d'argento del paeſe, perche trà un meſe gli reſtituiſchi nel medemo luogo cento ſcudi di moneta Romana; Et in Roma ſi può pratticare, che Titio dia à Sempronio cento ſcudi d'oro di peſo vecchio ò cento cinquanta ſcudi moneta, prche è capo di un meſe ò due gli reſtituiſca cento ſcudi d'oro, ſtampe.

In queſta ſorte di cambio cade chiaramente l' uſura, perche vi entra il mutuo con la dilazione del tempo, per mercede del quale ſi riceve quell'utile, ch'importa il ridurre la ſua moneta da una ſpecie inferiore ad un'altra migliore, & in queſto conſiſte propriamente l'uſura di cauar frutto dalla ſola dilazione & uſo del denaro.

La terza ſorte di cambio è il locale, che ſi fa per lettere ſopra la moneta del medeſimo paeſe da un luogo all altro del medemo Regno ò Principato; Come à dire, Titio hà mille ſcudi di moneta in Roma gli comple haverli in Macerata, mà non vorria haver l'incommodo, ò ſpeſa, ne ſoggiacere al pericolo della traſportazione, troua Sempronio negoziante, à chi dà la ſua moneta, perche glieli paghi ò facci pagare l'iſteſſa quantità in Macerata con il cambio di trè ò quattro per cento, più ò meno, come ſi poſſono convenire.

Queſta mercede non può dirſi che ſia per il cambio ò differẽza di valore de una ſpecie di moneta all' altra, mentre ſi dà, e ſi riceve l'iſteſſo gieno, e tanto nell'uno, quanto nell'altro luogo la moneta hà il

hà il medesimo valore, mà solo è mercede della spesa & pericolo per la vettura ò trasporto, che sia da un luogo all'altro; Et se bene Sempronio non manda la medesima moneta, in maniera che effettivamente non patisa la spesa della vettura, ne soggiaccia al pericolo di esser rubbato per la strada, mà procura, che da un suo correspondente in Macerata con denaro di esso Sempronio ò dell'amico si paghino à Titio li suoi mille scudi, nondimeno ciò non importa, essendo effetto della sua industria, non importando ciò à Titio cosa alcuna.

In questa sorte di cambio possono darsi l'ingiustizia ò lesione, & respettivamente l'usura; L'ingiustizia, ò lesione perche se tra prattici negozianti la mercede di questo cambio senz'alteratione particolare di tempo, mà nel solo termine, che porta la distanza del luogo fusse di trè per cento, Sempronio mercante astuto potria ingannare Titio men prattico in farsi dare il sei ò sette per cento, mà questa sara ingiustizia, & lesione, non già usura, la quale solamente potria cadervi per la maggiore ò minore dilatione del tempo; Come à dire Sempronio riceve in Roma da Titio mille scudi per pagare ò far pagare li medemi in Macerata nel termine di uno ò due mesi, e stante tal dilatione, si convengono, che Titio hebbia ivi gli medemi suoi mille scudi senza mercede alcuna da Sempronio, che hà hauuto il peso e pericolo del trasporto, questa è usura, perche Titio per rispetto della dilatione congionta col mutuo almeno interpretativo sente quell'utile.

Et l'istesso camina, quando in qualunque modo si conuenga di maggiore ò minor cambio per causa della magiore ò minor dilatione al pagare in un luogo quel che si riceve nell'altro, Et questo àpunto è quel cambio trà due Città ò luoghi del medesimo Regno del quale parlano il *Molfesio*, *il Giustiniano*, *il Duardo*, *& altri Morali*, non cadendoui alteratione der là diversità di moneta, & dependendo il tutto dalla sola conventione delle parti.

La puarta sorte di cambio è il locale, che si fa per lettere dalla moneta di un Regno ò Principato, che si dà in un luogo, alla moneta d'un altro Regno ò Principato, che si deue pagare nell'altro; Come à dire, Titio hà mille scudi di moneta in Roma, gli comple haverne la valuta in Venezia ò Napoli, gli dà à Sempronio, perche glieli cambii per il detto luogo, doue li bisognano; O pure all'incontro Titio hà bisogno di mille scudi in Roma, li chiede à Sempronio, che havendo tal moneta in Roma, ne desidera la valuta in Venezia ò Napoli, obligandosi dargliela quivi con la conventione di qualche cambio ò lucro certo di tanto per cento; Et allora se non vi corre alterazione di tempo, in modo che non vi cada il sospetto del maggior utile per causa della maggior dilazione, non entra usura, mà può ben'entrarvi inganno, lesione, & ingiustizia, perche essendo solito, per essempio, in quella settimana trè negozianti prattici correre il cambio da una moneta all'altra à 7. per cento, può un'accorto negoziante farsene dare dall'altro men prattico il diece ò dodici, mà ciò non importa usura, quale solamente entrària, quando l'alterazione nascesse dalla dilazione; Et nel regolare l'ingiustizia ò lesione, si attende la maggiore ò minore idoneità del recipiente, potendosi giustamente convenire qualche maggior utile per ricompensa del pericolo, à che il dante si espone, quando il recipiente non sia totalmente sicuro, però sia come si vogha, non entra l'usura.

Mà se in questa sorte di cambio non vi fusse conventione alcuna, nè circa il cambio, nè circa il tempo, perche si conveniisse, che Titio, il quale riceve da Sempronio i mille scudi in Roma, debba nel termine che porta l'uso de i mercanti pagarneli la valuta in Venezia, nel modo che correrà la piazza quando maturatà il pagamento, in questo caso correndovi la realtà de i spacci, come si dirà di sotto, non vi cade usura, ne meno ingiustitia ò lesione, mentre non vi è alterazione di tempo, dalla quale possa nascere l'utile del dante, & respettivamente danno del recipiente, Nemeno vi può essere l'inganno, lesione ò suffocatione, nel convenire maggior utile ò danno di quel che porti l'eventualità di quel tempo, in manierache, tanto è l'utile del dante, che sia prattichissimo & astutissimo, quanto di quello, che sia sciocco, & totalmente inesperto, anco putto, che però si esclude, non solamente l'usura, mà anco l ingiustizia ò lesione.

In questo caso, l'utile, ò respettivamente danno del dante ò recipiente, consiste nella variazione del prezzo dell'oro, dal quale pende la reduzione di una moneta all'altra; Come à dire, Titio piglia in Roma da Sempronio mille scudi moneta à cambio per Venezia; E perche la piazza di Roma non usa sopra cambii altra moneta, che scudi d'oro, & all'incontro la piazza di Venezia non usa sopra cambii altra moneta che di ducati, però in Roma li mille scudi moneta si riducono à tanti scudi d'oro con l'aggio corrente in lista quella settimana, & poi si fa la tratta à Venezia in ducati, col prezzo, che si pone, come à dire, tanti ducati, à 54. scudi di oro per ogni cento ducati.

Nel ritorno poi della tratta per Roma, li ducati di Venezia si rimettono à ragione del valore di tanti scudi di oro, secondo il prezzo che in quella settimana si mette, & corre in Venezia, qual prezzo può essere maggiore ò minore di quel che era in Roma, quando si mandò il cambio, in maniera che potria essere à 54. è mezzo per cento, overo meno de' 54.

Quando il prezzo è alterato, che il primo di Roma sia di 54. & il secondo di Venezia sia di 54. e mezzo, questo cagiona l'utile del dante, & respettivamente il danno del recipiente; Et all'incontro quando il primo è di 53. mezzo, questo fa il danno del dante, & utile del recipiente, si che sminuisca la prima sorte, & tutto ciò pende dall'eventualità, la quale exclude l'usura & l'ingiustizia.

Et il medesimo camina egualmente ne i cambii di fiera, perche la moneta consistente nel luogo, doue si dà ò respettivamente si piglia il denaro à cambio in scudi di moneta, ò in ducati, ò in lire, si deue ridurre à scudi d'oro, & da questi si riduce à scudi di marche, che si comprano, & dal maggiore ò minor prezzo di essi depende l'utile ò danno del dante, & respettivamente del recipiente.

Et questa incertezza dependente dall'eventualità del più basso ò più alto prezzo del oro, & moneta, ò marche respettivamente, salva il cambio, così dall'usura, come dall'ingiustizia, mentre il tutto depende dall'evento, & niente dalla conventione delle parti, onde nel solo caso di conventione cade quel sospetto di usura, che in questa materia si è hauuta per i Canonisti, e Teologi.

Per la validità di questo cambio, si ricerca che veramente si mandino le lettere in fiera drizzate à persona tale, che con denaro del scribente ò proprio possino hauere il suo adempimento, in maniera che se dette lettere realmente non corrano, ò pure il dante sia certo, che non ne possa seguire l'adempimento, & che sappia, come il recipiente converta il denaro in altro usu senza poterne dare l'equivalente in piazza ò fiera, si dice cambio secco & simulato, per quel che ne dispone la Bolla di *di Pio V.* sopra cambii, quando si tratti di cambio diretto & puro senza mistura di altro contratto.

Et tutto ciò camina bene quanto alla prima tratta ò primo cambio da Roma à Venezia, ò da Roma in fiera, non cadendo sopra ciò differenza dal cambio per fiera ò per piazza; doue termini; Et quando la tratta hà il suo pieno nel luogo destinato, non vi cade altra difficoltà, la quale cade solamente in caso di non adempimento, per defetto del quale, con la ricorsa, ò altro termine usato da negozianti si crea il ricambio di nuova tratta dal luogo *ad quem*, al luogo *à quo*.

In questo caso di ricambio, cadono due ragioni da dubitare, l'una, perche così si dice continuazione proibita dalla detta Bolla di *Pio V.* che permette solo un cambio per la prima fiera ò primo termine ei piazza, Et l'altra, perche l'augmento cagionato dall'interesse del detto cambio si converte in sorte, & si rende atto à produrre nuovo interesse di cambio, ch'è specie di frutto, quale alcuni dicono superfettazione, , & altri dicono anatocismo.

Mà ciò che alcune men prattici del negozio habbino sopra ciò dubitato; Tanto dalla Rota Romana, quanto da tutti gli Tribunali del mondo Cattolico, & dalla commune opinione de i Canonisti & Morali intendenti della materia, viene ammessa la validità di questo recambio, rispondendosi al primo obietto, che allora s'intende continuazione proibita, quando il recipiente benche volesse pagare in fiera, ò in piazza non potesse farlo, & fusse costretto patire contra sua voglia la continuazione di altra fiera ò di altro termino di piazza; Mà quando è in suo arbitrio il farlo, in maniera che il ricambio venghi creato dinuovo per adempire il primo, non si dice continuazione, mà creatione talmente nuova & independente, e così successivamente, laonde in tal caso si dicono tante tratte ò contratti & cambii nuovi, quan te sono le fiere, ò quanti sono gli termini di piazze.

Et all'altra ragione di dubitare circa il convertire gl'interessi del primo cambio in sorte nel fare il recambio, si risponde con maggior facilità, perche l'interesse del cambio realmente non è, nè frutto, nè lucro, nè accessione contradistinta dalla sorte, mà è una sorte nuova, come tutto prezzo di quella moneta, che in quel luogo tanto vale, con il di più cagionato dalle spese di provisioni à ciò necessarie, & volgarmente si dice recambio per contradistinguerlo dal primo, mà in effetto è un cambio totalmente nuovo; E se bene gli Giuristi chiamino frutti questo interesse de' cambi, & alcuni più sciocamente confundendo i termin gli chiamino usure, nondimento questo, ò è errore, ò un certo modo di dire per contradistinguerli dal valore della prima sorte.

Dicono alcuni, che tutto ciò camina bene, tanto per fiere, quanto per piazze, in ordine al primo cambo, mentre questo è più necessaria al commercio per piazze che per fiere, Et anco l'ammettono nel primo recambio, cioè nel ritorno del luogo *ad quem* al luogo *à quo*; Mà che la continuazione, & successiva circulatione, benche fatta nella già detta forma valida, per via di tante nuove creazioni di nuovi contratti ò tratte, sia permessa solamente per le fiere, ò pure anco per le piazze con la mistura di fiere, cioè da piazza à fiera, & da fiera à piazza, mà non già da piazza à piazza, cioè da Roma à Venezia, e da Venezia à Roma, e così successivamente.

Questa distinzione si crede ideale & di nissun fondamento, non essendoui ragione immaginabile, per la quale una sorte di circolazione deua esser valida & lecita, e l'altra illecita & invalida, mentre presupposto, che non siamo nel caso di quella vera continuazione proibita dalla Bolla di Pio, e che ogni cambio si dica nuovo stante de per se per il solo primo termino, la detta Bolla egualmente approvagli uni che gli altri cambii, Et quando si possa dire continuazione, tanto dalla detta Bolla è proibita quella per fiera quanto quella per piazza, in modo che la distinzione hà dell'ideale, non essendoui alcuna ragione probabile di differenza.

Sogliono alcuni assegnar ne la ragione della differenza, in che le fiere habbino il tempo & prezzo determinato invariabile, stante che in fiera il prezzo si mette dal publico foro di mercanti, ò dal Consolo, & deputati, e che il tempo è di trè mesi, in maniera che non si può cambiare che quattro volte l'anno; Et all'incontro per le piazze, che potriano eleggersi vicine, potria il cambio circolarsi per più di 30. volte l'anno, è mettersi il prezzo à suo modo con interesse grande, & eccessivo.

Chi si fonda in questa ragione si mostra poco inteso, & assai digiuno della materia, poiche il dubio cade, quando si cambia per luoghi non mercantili, che non hanno regola, mà non già quando si tratta di cambio per quelle Città mercantili di diversi Principati, che meritano il titolo di piazze, doue il prezzo è uniforme, & invariabile posto ciascuna settimana dal foro publico ò congrega di mercanti, con l'istesse regole & considerazioni della moneta larga ò stretta, con quali si pone in fiera, dandosene fuori le liste; Laonde vediamo in Roma, che in una settimana l'oro corre in lista un bajocco, in un'altra due, in un'altra non vi è aggio di sorte alcuna, in maniera che camina l'istessa ragione à puntino come in fiera.

Et quanto al tempo, parimente è certo & uniforme, importando l'accesso, e recesso con l'uso il tempo di un mese e mezzo quasi inalterabile, in maniera che si può solamente cambiare otto volte l'anno in circa con poca variazione; Et da ciò nasce, che non può darsi inganno ò soffocazione, mentre come di sopra si è detto, tanto è l'utile del più accorto negoziante, quanto quello di un putto di trè anni, che dia il suo denaro à cambio, Dunque questa ragione di differenza resta totalmente vana, è senzi fundamento, non correndoui altro di più che qualche maggior interesse delle provisioni, che per fiere sono otto, e per piazze sono sedici, ma non si trova disposto in termine di ragione, che ciò vizii l'atto.

Altri ne assegnano la ragione di differenza, del ben publico che risulta dall'unirsi tutto il denaro di negozio in un luogo di fiera, perche così facen-

facendosene maggior abbondanza, viene à calare il prezzo dell'oro è rendersi minore l'interesse de i debitori, Mà non si sà vedere, perche non cada l'istessa ragione in queste piazze principali, & metropoli di gran Mercanzia, come sono, Venezia, Napoli, Milano, Roma è simili.

Altri dicono che per le piazze stà in arbitrio di un negoziante con un cambio grosso alterare il prezzo à suo modo, il che non camina in fiera, però questa ragione potria ben cadere in Ancona, Bari, Foggia, Lecce, è piazze simili piccole, mà è troppo incongrua à piazze tanto mercantili, nelle quali girano millioni di mercanzie, è negozij, perche anco in fiera le tratte grosse possono fare l'issa alterazione.

Adducono altri per ragione di differenza la sicurezza, che si hà in fiera delle antidate, fraudi, e falsità, stante che tutte le tratte è negozii si registrano nel publico libro, che si dice *bilancio di fiera*, il che non è per le piazze, per le quali può il negoziante con antidate formar gli spacci, & accommodar la Scripturo a'suo modo,

Questa è la più sciocca, è mal fondata ragione di tutte l'atre, perche gli delitti non si deuono presumere, nè la sola possibiltà di falsità & suppositione rende l'atto invalido, quando quella non si provi; Come habbiamo in materie più gelose di testamenti, instrumenti, gratie di Prencipi è simili, Et però non è buona consequenza, Una sorte di cambiare à più sicura dell'altra dunque una è lecita è valida, l'altra illecita & usuraria, perche come si è detto di sopra, nè gli bancherotti può darsi la fraude ò falsità nel dare una moneta falsa ò scarsa, è pure niuno dice, che questo mestiere di cambiare sia usurario & illecito.

Ne assegnano alcuni quella del maggiore & eccessivo guadagno, è respettivamente interesse, che risulta dal cambiare per piazza più che per fiera, & ancho che trà negozianti non si usi la circolazione de i cambii per piazze solamente, mà per fiere è piazze unite.

Che li negozianti frequentino più una sorte di cambio che l'altra, potrà oprare; che l'una possi dirsi frequente nè usitata, mà non per cio potrà dedursene la conseguenza, dunque l'una è lecita, è l'altra illecita; Anco li negozianti s fuggono dar denari à censo, è quasi mai si vede impiegato denario mercantile in tal contratto, mà frequentemente in cambii per la ragione della perpetua irrepetibilità del capitale, che à negozianti comple havere à loro dispositione, mà non perciò può dirsi, che i cambii siano leciti è non li censi.

Et quanto al guadagno eccessivo, quando anco questo nascesse dalla convenzione delle parti, pure adempendosi la forma della Bolla di Pio, in maniera che non vi sia cosa contraria alla sostanza del contratto, ciò cagionaria ingiustizia è lesione, che meritaria la resecazione & riduzzione alla giustizia, mà non usura, nè nullità; Oltre che quando il danno nasce, come di sopra si è detto, dal mero caso & eventualità, che può portar'anco il danno del creditore, è diminutione della sorte principale, meno entra il termine d'ingiustizia è lesione come è indubitato principio legale.

Si che potrà ben dirsi, che delle due sorti ò strade di cambiare l'una riesca dall'evento più lucrosa, è respettivamente piu dannosa dell'altra, mà non gia mai, che perció l'una sia lecita, è l'altra illecita.

Chi per esempio hà mille ducati in Bari per rimetterli in Roma doue li bisognino per pagar pensioni, ò far altra spedizione hà due strade da cambiare, una per Napoli, l'altra per Venezia, & il caso frequentemente porta, che in una medesima Settimana, cambiando per Venetzia, patirà un'interesse suavissimo di trè, ò quattro per cento, & cambiando per Napoli ne patirà un grave di dodici; è 15. Et all'incontro in un'altra settimana per Napoli il cambio gli riuscirà dolcissimo, è per Venezia altissimo, Questo è effetto dell'eventualità, mà non perche uno eliga la strada più dannosa, è che l'altra dall evento si scuopra migliore, dunque ne risulta, che l'atto sia stato invalido, & illecito.

Può ben darsi la fraude dell'usura nel cambio, quando trà le parti si stabilisca per accordo il prezzo dell'aggio, che non è proibito fare sinceramente sopra l'incerta eventualità, che può apportare danno & utile respettivamente, in caso cioè, che il maggiore ò minor prezzo nasca della maggior lontananza ò vicinanza della fiera, overo dal maggiore ò minor breve termine dell'uso, perche si convenga di maggior prezzo dell'aggio quando si piglia il denaro nelle prime settimane della futura fiera, di quel che si convenghi quando si piglia verso le ultime, è prossime settimane, si che la dilazione del tempo sia causa dell'aumento ò diminuzione; E così parimente quando il prezzo dell'aggio per piazza sia maggiore ò minore per il più breve ò longo termine dell'uso, perche può asservi il maggior lucro cagionato dalla dilazione, nel che consiste l'usura; Ma ciò egualmente camina ne cambii di piazza come in quelli di fiera senza differenza, dependendo dalla convenzione sopra il tempo ò dilazione.

Onde bisogna necessariamente concludere, che ò la circolazione dei cambii con le scritture & atti simulati & à vento senza che mai vi corra denaro [come dicono quei che dannano questa continuazione] sia lecita ò nó; Se è illecita, tanto sarà quella di piazza, quanto quella di fiera, mentre la Bolla di Pio egualmente dispone dell'una che dell'altra; E se per le ragioni dette di sopra deve stimarsi lecita, tanto sarà l'una quanto l'altra, benche l'una sia più suave, e l'altra più aspra, perche l'accidente di maggiore ò minore interesse, non è atto à viziare il contratto, quando non vi sia defetto nella forma, ò so stanza.

Finalmente alcuni moderni non pratici del negotio, dicono che tal sorte di contratto può tolerarsi trà i mercanti è negozianti, per il bene, che dal commercio è negoziatione, risulta al publico, mà non con privati debitori, che pigliano il denaro à cambio, non già per cambiarlo, mà per valersene in altri bisogni & usi, il che è ben noto al dante, che sà di certo non potersi dal recipiente cambiare quel denaro per fiera, ò piazza.

Questo dubio è parimente effetto di poca notizia della materia, è dalla quale nascono tanti equivoci, particolarmente di quelli, che per il più, poco, ò niente pratticando il foro, è gli negozij di Città grandi è mercantili, veramente non sanno che cosa sia negozio, nè cambio.

Bisogna dunque presupporre, che in due maniere si dice dare, ò respettivamente recivere denaro à cambio; L'una che secondo l'uso forense si dice diretta, e l'altra che si dice obliqua; La diretta è quando un contrahente riceve dall'altro il denaro per cambiarlo veramente, perche il dante, ò sia per industria è negozio ò sic per altro suo bisogno, ne vogli realmente la voluta nel luogo destinato, Et in questo caso entra la consi-

derazione de i Canonisti è Morali abbracciata anco dalla Rota ( benche con qualche equivoco quanto all'applicazione à quel caso nel quale nacquero le risoluzioni che di ciò parlano, ) che se il dante sà di certo l'inabilità del recipiente, è che dovendosi valere del denaro in altri usi non possa dar il pieno alla tratta nel luogo destinato, non si dica cambio reale, mà simulate è secco.

La maniera obliqua è, quando il recipiente piglia à cambio il denaro dal dante in prestito per servirsene à i suoi bisogni, & usi totalmente diversi dal cambiarli per piazza ò fiera, Et allora veramente non si dice pigliare quel denaro à cambio, perche in effetto è puro è semplice mutuo ; Mà perche il mutuante non intende tener otioso sotto mutuo il suo denaro destinato à traffico è negotiazione di cambii, però il mutuatario, per rimborso & indennità del mutuante, dà mandato è facoltà al medemo di pigliare da altri, ò anco da se stesso à cambio l'equivalente somma, e quella ritenere è girare sopra cambii à danno del mutuatario, finche segua il rimborso del mutuo; O pure il medesimo debitore ne assume il peso in se medemo, in qual caso se lui non fà correr gli spacci necessarii, non possono dirsi dovuti gli cambii come cambii, essendo impossibile dare il corso di questi senza la realtà de i spacci, mà si devono al creditore gli medesimi come danni & interessi deuuti da un procuratore, che accettando il mandato, trascura di eseguirlo, & in questo caso il debitore patirà minor interesse, non patendo quello delle provisioni.

E questo è quel contratto, che oggidì tanto frequentemente si prattica in Italia, anco trà i privati, che non sono marcanti, perche non gira sopra cambii quel denaro prestato trà persone private, che non siano mercanti è negozianti l'equivalente preso à cambio diretto da un'altro, ò da se stesso come terzo, in danno è respettivàmente utile del debitore. Et in questo consiste l'equivoco di molti, che non pratticano il foro di Città grandi è piazze mercantili, è senza la qual prattica è impossibile intendere bene questa materia è distinguere gli termini, dalla confusione de i quali nascono gli equivoci.

Chi poi di tutto ciò desidera la prova con autorita, è ragioni, potrà sodisfarsi ne' discorsi legali in lingua latina continuti di sopra ne' casi particolari seguiti, è disputati, specialmente nelli discorsi *primo, è secondo* concernenti la detta causa che fù occasione del presente discorso; Dove in particolare si aaverte che sia troppo manifesto errore di chi crede esser validi gli cambii circolati da fiera à fiera senza mistura di piazze, è non esser validi quelli da piazza à piazza, senza mistura di fiere, mentre comeivi si prova, gli cambii di piazze sono piu antichi, più necessarii, è più reali, meno lontani dalla finzione, è conseguentemente senzà dubio più leciti, non potendosi mai dire in regole di legge naturale, è positiva, che un modo modernamente inventato, meno necessario alla Republica, è commercio umano, è che contiene qualche bugia contenuta sotto una moneta finta, & imaginaria, possa, ò deva dirsi più lecito, del modo più antico, più necessario, è meno lontano dalla bugia, è finzione.

E' più antico il cambio di piazza, che legalmente si dice locale, perche lasciando da parte la questione, se questa specie di contratto fusse conosciuta, è pratticata in tempo dell'antica Republica Romana ò no, nel che habbiamo varie opinioni; Certa cosa è, che dopò la traslazione dell'Imperio Romano in Oriente, è che questo per le tante incursioni di barbari in Italia, & altre parti occidentali fù quasi perso, con la divisione di tanti diversi Principati, è Signorie, fu sino da quei tempi necessario d'introdurre questo modo di cambiare la moneta da un luogo all'altro, per la necessaria reciproca communicazione di quelle cose necessarie all'uso umano, quali la natura hà distribuite in diverse parti del mondo, arricchendone una parte, & impoverendone l'altra; E ciò non solo per la diversità de' Principati, ò Signorie, mà ancora per il pericolo dalla trasportazione della moneta da un luogo all'altro; Laonde di questo cambio locale per lettere parlano communemente gli Teologi è Giuristi antichi; Et all'incontro queste fiere che si fanno in Italia furno introdotte da Genovesi nell'anno 1527.

E' più necessario il cambio litterario forale, ò per piazze, per la detta ragione della necessità della communicazione trà le Città, e Provincie, senza la quale quasi non si può vivere, almeno con vita civile, è commoda, è per le altre ragioni della diversità delle monete, è pericoli di viaggio, come sopra. Et all'incontro queste fiere sono modernamente introdotte per mera mercatura, è senza quelle si potria vivere, si che non vi corre necessità precisa come nell'altro.

E finalmente è più reale, è meno lontano dalla bugia, è simulazione il cambio di piazza, perche si cambia da moneta à moneta vera, reale, è corrente in argento, ò in scudi d'oro, Et all'incontro in fiera si cambia con scudi d'oro di marche, ch'è una moneta finta, & imaginaria, quale bisogna comprare con scudi d'oro stampe veri, è dal maggiore ò minor prezzo di queste due soiti di scudo nasce l'interesse del cambio; Dunque è troppo chiaro l'assurdo, che un'atto che più si allontana dalla verità e si accosta alla bugia, è simulazione, è che contiene un'invenzione moderna non necessaria totalmente al vivere umano, deva prevalere, é stimarsi di miglior qualità, che un'atto antico, necessario, è reale senza mistura ulcuna di bugia, ó simulazione, con le altre considerazioni addotte nelli detti due primi discorsi guridici.

# INDEX
# RERUM NOTABILIUM
## Quæ continentur ſub titulo de Cambiis.

### A.

#### ACCEPTANS.


VIA executiva datur contra acceptantem litteras cambii, diſcurſu 22. numero 2.

Maxime in Regno Neapolis ob Regiam pragmaticam, n. 3.

Conditionem ſcribentis ſi ſcire potuit non excuſatur, d. 25. n. 15.

Decocto ſcribente littera, an teneatur ad illarum ſolutionem. *Vide.* Decoctio.

Stylus mercatorum in acceptatione litterarum cambii, d. 25. n. 14.


#### ACCESSIONES.


Seu verè fructus non ſunt cambia ſed pars ſortis, d. 3. n. 10.


#### ACCIDENTALIA.


Vitiantur & non vitiant contractum, diſc. 24. numero 12.


#### ACTIO.


De materia æquitativæ actionis de in rem verſo quando intret nec ne, d. 14. n. 9.

Exceptio turbida quando admittatur adverſus actionem claram, & quando replicatio ſit potius turbida, d. 22. n. 4.


#### ACTUS.


Initium ſpectatur in actibus, non quod caſus deinde præbuerit, d. 1. n. 27.

Subſtantia voluntatis in omnibus actibus attendi debet, non autem cortex & figura verborum, d. 24. n. 3.

Uſura poteſt adeſſe in omni actu inter vivos, & per ultimam voluntatem, diſ. 24. n. 5.


#### ADJECTUS.


Decoctio ſcribentis litteras cambij an cedat dãno mandatarii, acceptantis vel adjecti, diſtinguitur, d. 20 n. 2.

Novus caſus conſideratur in hac materia, d. 20. n. 4.


#### ADMINISTRATOR.


Facultatem ſibi datam ſumendi ad cambium in ſubſidium non poteſt exercere abſque interpellatione, d. 14. n. 2.

De differentia mandati ad capiendum ad cambium dati per debitorem creditori vel ſimplici adminiſtratori ſeu ſocio, d. 14. n. 3.


#### ALTERNATIVA.


Electio in alternativis eſt debitoris durante dilatione, ſed poſt moram eſt creditore, diſcurſu 11. n. 5.


#### ANATHOCISMUS.


Quando procedat, d. 3. n. 8.

Recambia an contineant anathociſmum ob converſionem cambiorum in ſortem, diſcurſu 3. n. 8.

Fructus fructuum quando debeantur & non obſtet anathociſmus, d. 8. n. 6.


#### ANTIDATA.


Poſſibilis ſeu facilis ſpaciorum an teddat illicita cambia platealia, d. 1. n. 19.


#### APPROBATIO.


Computa tranſmiſſa dicuntur approbata, ſi recipiens non contradixit in aliquibus partitis, d. 13. n. 5.


#### AVOCATIO.


De privilegio fiſci avocandi pecuniam ſolutam poſteriori creditori, d. 13. n. 9.

Notabilis declaratio dicti privilegii competentis fiſco vel alteri privilegiato, diſcurſu 13. num. 10.


### B

#### BANCUS.


APeriri ut poſſit quid requiratur, diſcurſu 2. num. 12.

Litteras cambii an implere debeat, diſc. 2. n. 11,

De partitis paſſatoriis bancorum, diſcurſu 25. num. 17.

Correſponſalis an debeat eſſe bancherius, diſc. 2. num. 11.

# INDEX

## BILANCIUM.


Nundinarum quod dicatur, discursu 1. nu. 4. ante med.

Cambia cum se ipso non adnotantur in bilanciis nundinarum, d. 1. n. 18.


## BONA FIDES.


Seu credulitas quando excuset in materia usuraria, disc. 17. n. 9.


## BONONIA.


Statuti fori mercantorum Bononien. dispositio circa decoctionem scribentis litteras cambii, disc. 25. n. 11.


## C

## CAMBIUM.


QUot contractus & species sub se contineat contractus cambii, discursu 8. numero 2.

Differentia inter unam speciem, & aliam, dis. 8. num. 2.

Species cambiorum distinguuntur, & quale sit directum, & quale obliquum, disc. 3. num. 6.

Societatis contractus excluditur in cambiis, disc. 4. num. 9.

Mutuum neque successivè usuram continet, & qualis contractus dicatur, discursu 24. num. 2. & seqq.

Pecunia si datur ad cambiandum qualis species contractus dicatur, disc. 4. numero 3. disc. 13. num. 5.

De ratione substinente validitatem cambiorum, disc. 17. n. 7.

De simulatione seu figmento, quod aliqui dicunt esse in cambiis disc. 3. n. 7.

Justificandum an sit præcisè cum litteris, & quomodo remissivè, disc. 2. n. 9.

Litteræ redditus sufficiunt pro justificatione, d. 6. n. 2. & disc. 7. n. 3.

Sine justificatione spacciorum saltem per litteras redditus non debetur, discursu 5. numero 2.

Quandoque sine eis debentur tanquam damna & interesse, d. 5. n. 3.

Præsertim ubi debitor susçipit in se onus cambiandi, d. 7. n. 11. & discursu 8. num. 5. & d. 10. num. 2.

*Declaratur*, quando id procedat, nec ne, disc. 10. n. 3.

Accessus litteræ sufficiunt, licet non adsint illæ reditus, d. 12. n. 2.

Amussis litteris, ex quibus adminiculis probentur cambia, d. 6. n. 8. d. 7. n. 5.

Per libros Campsoris, an justificentur, d. 6. n. 4. d. 7. n. 3.

Confessio debitoris non attenditur pro justificatione, d. 7. n. 3.

Quando illi deferatur, d. 7. n. 6. d. 9. n. 7. d. 23. n. 4.

Adminicula si concurrunt defertur tali confessioni, d. 7. n. 8.

Recensentur adminicula, discursu 7. numero 9.

Suspicionem potius auget talis confessio, d. 7. n. 7.

Quales defectus sanet in cambio confessio partium, d. 6. n. 14.

Ex credito antecedenti, ex mercibus vel alia causa potest creari cambium, d. 3. num 4. disc. 5. n. 7. d. 6. n. 2. & 3.

Creditor ubi scit debitorem convertere debere pecuniam in alium usum, cambium non est invalidum, d. 3. n. 5.

Declarantur decisiones invaliditatem firmantes in hoc casu, discursu 5. numero 5. discursu 5. numero 8. discursu 10. numero 6. discur. 23. n. 9.

Qualis scientia ad hunc effectum requiratur, d. 23. n. 9.

Lucrum certum nullum datur in cambio, sed potest etiam eius sors diminui, discursu 3. n. 9. d. 24. num. 8.

Creditor in eo potest esse in damno, & debitor in lucro, d. 14. n. 4.

Fructus seu accessiones non sunt verè cambia, sed pars sortis, discursu 3. numero 10. discursu 19. num. 3.

Restituta sorte; an creditor possit continuare sub cambiis fructus, seu cambia, quæ remanerent debenda, d. 19. n. 1. & seqq.

Conjecturæ ex quibus in proposito desumatur voluntas partium, ponderantur, discursu 19. n. 5.

Observantia multum est in proposito observanda, d. 19. n. 7.

In cambiis limitatis an valeat pactum, ut si currentia importent minus, adhuc debeatur creditori summa conventa, discursu 19. numero 9.

Ad summam taxatam non ascendisse cambia, quomodo probandum, discursu 23. numero 11.

Ultra summam taxatam, si de facto solutum sit, an imputetur ipso jure in sortem discursu 23. n. 12.

Cursus cambiorum quod non excesserint certam summam, quomodo probandum, discursu 17. n. 5.

A restituendis cambiis excessivis per debitorem sponte solutis, quando creditor excusetur. disc. 17. n. 8.

Industria personæ, quando dicatur electa in materia cambiorum, d. 18. n. 6.

Post elapsum tempus conventionale, in quo fuit in mora restituendi pecuniam debentur cambia assumpta per debitorem discursu 32. numero 2.

Clarius accedente partium declaratione, & de ratione, d. 23. n. 3.

Pacta non respicientia substantiam cambii vitiantur, & non vitiant, discursu 16. numero 10,

Nobiles an exercere possint cambia, discursu 6. num. 10,

Corruente altero contractu correspectivo admixto cum contractu cambii, an iste contractus etiam corruat, & quando, discursu 24. num. 11.


*Decla-*

*Declaratur*, n. 13.
De commodo debitoris suscipientis in se onus cambiandi, di. 8. n. 7.
Magis expedit ei suscipere dictum onus & solvere cambia sine spacciis loco damnorum & interesse, quia evitat provisiones, d. 10. n. 8. d. 17. n. 3.
An ille, cui est data facultas cambiandi possit continuare girum post cessionem alteri factam, d. 6. n. 9.
Per mortem an expiret susceptum onus cambiandi, distinguuntur plures casus, d. 4. n. 2.
*Vid.* Mandatum, Mors, Onus.
Casus in quo susceptum onus cambiandi est transitorium ad hæredes, & non expirat per mortem, d. 4. n. 7.
Socius an possit girare cambia sub suo nomine privato in causam negotii socialis, d. 14. n. 6.
Usura quando adesse possit in cambio minuto, seu materiali permutationis monetæ in eodem loco inter præsentes, d. 24. n. 7.
De differentia inter casum, in quo debitor tribuit facultatem creditori cambiandi, & quando idem debitor id in se suscipiat, d. 4. n. 6.
De alia differentia, quando creditor cambiat, & quando deputatur mercator, & cujus damno cedat mercatoris negligentia, d. 8. n. 3.
De alia differentia, quando mercator deputatur à debitore, & quando à creditore, d. 8. n. 4.
Remissio oneris utendi opera mercatoris deputati, an liberet ab onere cambiandi, d. 5. n. 4.
De Partitis Passatoriis bancorum Neapolis, d. 25. n. 17.
Voti *Cordubæ* tenor super cambiis per Hispanias d. 21. n. 6.
Discursus plenissimus super speciebus cambiorum & validitate platealium ponitur post d. 26.

CAMBIUM DIRECTUM.

Quale sit cambium directum, d. 3. n. 6.
Qualem speciem contractus contineat, disc. 4. n. 4.
Usura quando in eo adsit, d. 24. n. 6.

CAMBIUM IRREGULARE.

De cambio irregulari, d. 1. n. 17.

CAMBIUM LIMITATUM.

Qualem speciem contractus contineat, & an differat à currenti. d. 6. num. 13.
Quomodo sit intelligendum, d. 19. n. 6.
Intelligendum est si currens excedat, non autem si sit minus, d. 17. n. 2.
Ad currentia, ubi reducitur, num requiratur nova interpellatio, d. 16. n. 2.
*Declaratur*, n. 5.
Pactum, an valeat in cambiis limitatis, ut si currentia importent minus, adhuc creditori debeatur summa conventa, d. 16. n. 9.
Certam summam, quod non excesserit quomodo probetur, d. 17. n. 5.
Ad certam summam non ascendisse quomodo probetur, d. 23. n. 11.
Ultra summam taxatam, si de facto solutum sit, an ipso jure imputetur in sortem, d. 23. n. 12.

CAMBIUM NUNDINALE.

De realitate concurrente in cambiis nundinalibus di. n. 11.
Causa introductionis istius cambii, disc. 1. n. 12.
Continuatio seu circulatio prohibita in nundinalibus, di. 1. n. 13.
Quomodo intelligatur hæc prohibitio, & quæ continuatio dicatur prohibita, discursu 1. n. 14.

CAMBIUM OBLIQUUM,

Quale sit cambium obliquum, d. 3. n. 6.
Quot contractus sub se contineat, d. 4. num. 5.
Mutui, mandati & cambii contractus sub se continet, d. 24. n. 9.

CAMBIUM PLATEALE.

De impugnatione cambiorum platealium, eorumque differentia à nundinalibus, d. 1. n. 4.
Constitutio *Pii V.* uniformiter tractat de platealibus & nundinalibus, d. 1. n. 5.
Sunt magis licita hujusmodi cambia, quam nundinalia, d. 1. n. 16.
De origine & introductione illius, d. 1. n. 7.
De Doctoribus antiquis de illo loquentibus, d. 1. n. 9.
Necessarium magis est quam nundinale, disc. 1. n. 10.
De realitate concurrente in platealibus, disc. 1. n. 11.
Continuatio seu circulatio in illo prohibita, disc. 1. n. 13.
Quomodo intelligatur hæc prohibitio, & quæ continuatio dicatur prohibita, d. 1. num. 14.
De usura suspectum, quando dici possit. disc. 1. n. 17.
Antidata possibilis, seu facilis spacciorum, an reddat illicita cambia platealia, d. 1. n. 19.
Decisio Sac. Cons. Neapolitani super invaliditate cambiorum platealium, d. 1. n. 21.
Responsio ad dictam decisionem, d. 1. n. 23.
Incertitudo platearum ob quam rationem non sit in illo admittenda, d. 17. n. 7.
Discursus plenissimus super validitate cambiorum platealium ponitur post discursum 26.

CAMBIUM REGULARE.

De cambio regulari, d. 1. n. 17.
Læsionis termini non intrant in cambiis regularibus, d. 1. n. 23.

CAMBIUM CUM RECURSA.

De hujusmodi cambio. *Vid.* Recursa.

CAMBIUM CUM SE IPSO.

Cambiare cum se ipso quis possit & quando, d. 2. n. 2.
Facultas capiendi ad cambium non potest exerceri cum se ipso, d. 14. n. 7.
Non censetur data facultas cambiandi cum se ipso d. 18. n. 2.
Data uni, an possit eius cessionario, & quando, d. 18. n. 3. 5. & 7.
Creditor non potest cambiare cum se ipso absque speciali mentione, etiamsi habeat facultatem cambiandi, d. 12. n. 3.
Voluntas mandantis creditori cambiandi cum se ipso probatur etiam à posteriori & per actus ratihabitionis, d. 12. n. 4.
Vel etiam extrinsecus, d. 2. n. 3.
Aut per alias species probationis etiam conjecturaliter, d. 12, n. 5.

CAM-

# INDEX


## CAMPSOR

Provisio scedulæ campsoris est privilegiata, & deducitur ante omnia, d. 2. n. 17.

Debitoris pecuniam si habet in banco, debet istam accipere, & non ponere illum sub cambiis, d. 2. n. 20.

Per libros ipsius, an justificentur cambia, disc. 6. n. 4.

## SCEDULA.

Merx scedulæ est ad duo pro centenario, d. 2. nu. 15.

Campsoris scedulæ provisio quomodo regulanda, disc. 2. n. 16.

Quid si duæ sunt scedulæ, d. 2. n. 16.

Examinatur ratio diversitatis provisionis præstandæ pro illa, d. 2. n. 18.

Solutio an dicatur sequuta per scedulistam eo ipso quod creditores faciunt quietantias, & relinquunt in ejus banco pecunias indepositum, d. 2. n. 24.

## CENSUS

Si pecunia in actu numeretur, sed statim restituatur, an annulletur, d. 3. n. 2.

Solutio in parte non facit cessare contractum in residuo non soluto, d. 19. n. 2. & 4.

## CESSIO.

Quando verè non sit talis, sed potius declaratio veritatis, d. 6. n. 11.

Post cessionem alteri factam, an habens facultatem cambiandi possit continuare girum, disc. 6. n. 9.

Ubi est pro solvendo, & non pro soluto cessionarius tenetur facere diligentias pro exactione, d. 26. n. 7.

Cessionario an prosit facultas cambiandi cum se ipso data cedenti, & quando non, d. 18. nu. 3. 5. & 7.

Termini litterarum cambii diversimodè sunt tractandi, quam illi simplicis cessionis & assignamenti, d. 26. n. 9.

## CLAUSULA.

Si quid exequendum operatur ut data nullitate mandati judicis à quo, possit illud ex integro decerni per judicem ad quem, d. 2. n. 10.

## CLERICUS

Cambii contractum an possit facere, d. 18. nu. 4. & 7.

De negotiatione illi prohibita vel permissa, d. 18. n. 7.

Cambii contractus non venit sub negotiatione illi prohibita & de ratione, d. 18. n. 8.

## COMPENSATIO

Ipso jure an fiat vel ope exceptionis, d. 2. n. 21.

Quando de facili detur, d. 5. n. 9.

Crediti ex una causa cum debito ex alia causa diversa an detur, d. 2. n. 19.

## COMPUTUM.

Approbata videntur computa transmissa si recipiens non contradixit in aliquibus partitis, d. 13. n. 5.

## CONDITIO.

Morosus non debet esse melioris conditionis quam non morosus, d. 9. n. 4.

## CONFESSIO

Partis qualis defectus sanet in cambio, d. 6. num. 14.

Debitoris auget suspicionem in cambiis, disc. 7. n. 7.

Pro justificatione cambiorum non attenditur, d. 7. n. 3.

Et quando illi deferatur, d. 7. n. 6. d. 9. n. 7. d. 23. n. 4.

Concurrentibus adminiculis illi deferendum est, d. 7. n. 8.

Adminicula recensentur d. 7. n. 9.

## CONSTITUTIO.

*Pii V.* pariformiter disponit de cambiis nundinalibus ac platealibus. d. 1. n. 5.

Circulationem & continuationem æque prohibet in platealibus ac nundinalibus, disc. 1. n. 13.

Quomodo intelligatur hæc prohibitio, & quæ continuatio dicatur prohibita, disc. 1. nu. 14.

## CONSVETUDO.

De validitate consuetudinis ut provisiones corresponsalium cedant ad beneficium girantis, d. 5. n. 5.

## CONTRACTUS

Tractu temporis vel ex alio accidenti si efficitur nimium injustus & iniquus reducendus est ad justitiam & æquitatem, d. 1. n. 24.

Censualis an annulletur si pecunia numeretur in actu, sed statim restituatur, d. 3. n. 2.

Pecunia quando datur alicui ad cambiandum, qualis species contractus dicatur, d. 4. n. 3. & d. 23. n. 5.

Societatis excluditur in cambiis, d. 4. n. 9.

Cambii non continet per se & simpliciter mutuum neque successivè usuram, & qualis contractus dicatur, d. 24. n. 2.

Creditori an debeatur interesse data infectione contractus, d. 24. n. 10.

Corruente altero contractu correspectivo admixto cum contractu cambii an iste contractus corruat & quando, d. 24. n. 11.

Declaratur n. 13.

Cambium obliquum continet sub se plures contractus mutui, mandati & cambii, d. 24. n. 9.

Accidentalia contractus vitiantur & non vitiant, d. 24. 12.

## CONVENTIO

De solvendo merces datas de præsenti ut valebunt tali tempore futuro an valeat, d. 10 n. 7.

De validitate conventionis ut provisiones cedant commodo creditoris, vel deputantis scripturalem, d. 17. n. 4.

Pœna conventionalis de jure canonico non exigitur ultra quod interest, d. 17. n. 6.

## CORDUBA.

Voti *Cordubæ* tenor super cambiis per Hispanias, d. 21. n. 6.

## CORRESPECTIVITAS

Corruente altero contractu correspectivo admixto cum contractu cambii, An iste contractus etiam corruat & quando, d. 24. n. 11.

Declaratur circa correspectivitatem n. 13.

## CORRESPONSALIS

Bancherius an esse debeat, d. 2. n. 11.

Seu mandatarius non excusatur si scire potuit conditionem scribentis litteras cambii d. 25. n. 15.

Consuetudo an valeat, ut provisiones corresponsalium cedant ad commodum girantis. disc. 5. n. 5.

## CREDITOR

Loca montium vel pecunia si datur illi vinculata an petat à debitore id quod vinculum minuit, d. 2. n. 23.


Solu-

# INDEX


Solutio ſcreditorum an dicatur ſequuta per ceduliſtam eo ipſo, quo illi faciunt quietantias, & pecunias rel nquunt in eius banco in depoſitum, diſc. 2. n.24.

De differentia inter caſum in quo debitor dat creditori facultatem cambiandi, & quando ipſe debitor id in ſe ſuſcipit, diſ. 4.num.6.

Differentia quando creditor ipſe cambiat, & quando deputatur mercator, d. 8.n.3.

De alia, quando mercator deputator à debitore, & quando à creditore, d. 8.n.4.

In dubio an onus cambiandi ſit debitoris vel creditoris, & qualis intellectus capi debeat pro hujuſmodi interpretatione, d.8. n. 8 & 9.

Facultas cambiandi an poſſit ſimul dari debitori & creditori, & negligente debitore poſſit ea uti creditor, diſc.8.n.8.

Mandatum datum creditori ad cambiandum an ſit cumulatiuum ità ut non liberet debitorem à ſuſcepto onere, diſc. 10. num.4.

Mercatorem eligendo an dicatur uſus ſua facultate, diſc. 10. num.15.

Libris creditorum an ſit ſtandum pro juſtificatione cambiorum, *Vide* Liber.

Proviſiones ut cedant commodo creditoris an valeat conventio. diſc.17.n 4.

A reſtituendis cambiis exceſſivis per debitorem ſponte ſolutis quando excuſetur, diſ.17. num.8.

Intereſſe an ei debeatur data infectione contractus, diſc. 24.num.10.

In alternativis electio eſt creditoris poſt moram & dilationem datam debitori, d. 11.n.5.

Sortem repetere creditori impedito multa conceduntur, quæ ceſſante impedimento denegantur, diſc.9. num.5.

Cambium ex credito creari poteſt,d.3,n.4.diſ. 5.n.7.


## CREDVLITAS.


Seù bona fides quando excuſet in matera uſuraria,diſc.17.num.9.


## D

## DAMNUM.


DE lucro ubi quis non participat, neque de damno participare debet, diſc. 5.n.10.

Socius non debet ſubiacere damno ſi lucrum non ſperat, aliàs dicitur ſocietas leonina, diſc.14.eum.5.

De intereſſe damni emergentis, & quando iſtud debeatur, diſc. 11.num.6.

Cambia quando debeantur ſine ſpacciorum juſtificatione tanquam damna & intereſſe, diſc.5 num.3.diſc.11.num.2.

Si debitor ſuſcipit in ſe onus cambianti, tunc cambia ſine ſpacciis debentur, diſc. 7. n. 11.diſc.10.num.2.

Declaratur quando id procedat necnè. diſc. 10.num.3.

Examinantur fundamenta, ex quibus debitor etiam ſine ſpacciis tenetur ad cambia, diſc. 9. n. 6.

Magis expedit debitori ſuſcipere onus cambiandi in ſe, & ſolvere cambia loco damnorum & intereſſe ſine ſpacciis,quia evitat proviſiones, diſc. 10. nu.8.d.17.n.3.d.8.n.7.


## DEBITOR.


Sub cambiis ut poni poſſit an requiratur interpellatio,diſtinguuntur plures caſus,d.2.n.4.

Non poſſe ſubiici abſque interpellatione, diſc. 13.num.2.

Et quando hæc non ſit neceſſaria, diſc.13. num. 2.

Remiſſio interpellationis quomodo probetur, diſc. 13.n.3.

De pluribus modis cum quibus id probatur, diſc. 14.num.4.

Noua interpellatio debitoris an requiratur pro continuandis cambiis non obſtante facultate cambiandi, d.6.n.12.

Confeſſio debitoris pro juſtificatione cambiorum an & quando attendatur. *Vide.* Confeſſio

Differentia inter caſus,quando mercator deputatur à debitore & quando à creditore, diſc. 8. num. 4.

Ad cambia ſine ſpacciis loco damnorum & intereſſe quando teneatur. *Vide.* Cambium, Damnum.

De commodo debitoris ſuſcipientis in ſe onus cambiandi, diſc. 8. num 7.diſc.10.num,8, diſc.17.num.3.

Campſor ſi habet pecuniam debitoris in banco,debet iſtam accipere, & non ponere illum ſub cambiis, diſc. 2. n.20.

De differentia inter caſum in quo debitor dat facultatem creditori cambiandi, & quando ipſe debitor id in ſe ſuſcipit diſc.4 num.6.

Onus cambiandi an ſit debitoris vel creditoris,& qualis intellectus in dubio ſit capiendus pro interpretatione, diſc.8.n 8.& 9.

Facultas cambiandi an ſimul ſtare poſſit in creditore & debitore, & iſto negligente poſſit creditor ea uti, diſc. 8.n.8.

Mandatum datum creditori ad cambiãdum an ſit cumulatiuum ità ut non liberet debitorem ab onere ſuſcepto, diſc, 10 num.4.

Onus ſuſceptum per debitorem ad certum tempus an duret eo tempore expirato, diſc. 11. num. 3.

Cambia aſſumpta per debitorem debentur etiam poſt elapſum tempus conventionale, in quo fuit in mora reſtituendi pecuniam, diſc.23.num 2.

Clarius accedente declaratione partium & de ratione, diſc.23 n 3.

In alternativis electio eſt debitoris durante dilatione, ſed poſt moram eſt creditoris, diſc. 11.num.5.


## DECISIO.


*In Romano cambii* 18. *Aprilis* 1644 & 16. *Ianuarii* 1645.*coram peutingerio* declaratur,diſc.3.nu. 5. diſc. 5.nu 8.diſc 6.num.2.& 3.diſc.10. num 6.diſcur.23.num 8.& 9.

*Sac. Conſ. Neapolitani* ſuper invaliditate cambiorum plateálium,d.1.n.21.

Reſponſio ad dictam deciſionem,d 1.n.23 *Maſtrill.deciſ.* 106. examinatur, d.24.n.10.


## DECOCTIO.


Scribentis litteras cambii quando cedat damno mandatarii, acceptantis, vel adiecti diſtinguitur, diſc. 20. n. 2.

Novus caſus conſideratur in hac quæſtione,d.20.n.4.

Mandans & mandatarius quis in propoſito dicatur, & de perſonarum diverſitate in hac materia concurrente, diſc. 20.n.3.

Theorica juris circa decoctionem ſcribentis litteras, d.25.n. 3.& de applicatione illius, d.25.n.13.

Plures casus distinguuntur in hac materia, dis. 2. 5.n:3.& seqq.

Primus casus est ubi acceptatio litterarum sequitur post decoctionem, & tunc acceptans excusatur à solutione, d.25.nu.13.ubi recensentur decisiones Rotæ hunc casum percutientes.

De alia ratione ob quam isto casu acceptans excusatur, d.25.n.5.

Secundus casus est ubi mutatio status scribentis supervenit post acceptationem sed ante solutionem, & tunc decoctio cedit damno acceptantis, d.25.n.6.

Tertius casus est mixtus, vbi tàm de tempore, quo scriptæ sunt litteræ, quàm de tempore acceptationis status scribentis cœperat deteriorari sed formalis decoctio sequuta est post acceptationem, & tunc illa pariter cedit damno acceptantis, d.25.n.7.& 8.& de ratione.

Futura præparatio decoctionis quando attendatur in hac materia, d.25.n.12.

Ex indiciis & conjecturis probatur proxima decoctio, dis.25.n.9.ubi de distinctione pluriu effectuum ad quos attenduntur dictæ conjecturæ decoctionis.

Quæ regula tradatur ad videndum an quis sit proximè decocturus, d.25.n.10.

Statutum fori mercatorum Bononiæ quid in hoc statuat, d.25.n.11.

DILIGENTIA

Regressus haberi non potest contra scribentem litteras cambii non factis diligentiis cum eo, cui illæ sunt directæ, d.21.n.2.

Ratio ob quam requiruntur dictæ diligentiæ, d.21.n.4.

In litteris cambii per Hispanias non est docendum de diligentiis, d.21.n.5.

Cessio ubi est pro solvendo & non pro soluto, cessionarius tenetur facere diligentias pro exactione d.26.n.7.

DOCTOR

Antiqui Doctores tractantes de cambio locali & plateali referuntur, d.1.n.9.

E

ECCLESIASTICUS

PRagmaticæ Regni Neapolis super litteris cambii an afficiant Ecclesiasticos, quibus litteræ solvendæ sunt, d.22.n.7.

ELECTIO

In alternativis est debitoris durante dilatione sed post moram creditoris, d.11.n.5.

EXCEPTIO

Usurarum quando retardet repetitionem sortis, d.15.n.2.

Turbida quando admittatur adversus actionem claram, & quando replicatio sit turbida, d.22.n.4.

EXECUTIVE

Pro litteris cambii agitur tam contra acceptantem, quàm contra scribentem in casu regressus, d.22.n.3.

Præsertim in Regno Neapolis ob Regiam pragmaticam, d.22.n.3.

EXPENSÆ

Provisionum sunt notabiles, d.5.n.6.

F

FACULTAS

SUmendi ad cambium in subsidium data, non potest exerceri per administratorem vel institutorem absque interpellatione, d.14.n.2.

Per debitorem si tribuatur creditori facultas cambiandi, vel ipse debitor id in se suscipiat quam differentiam pariat, d.4.n.6.

Creditori & debitori simul an dari possit, & negligente debitore an ea possit uti creditor, d.8.n.8.

Ad cambium capiendi an possit exerceri cum se ipso, *Vid.* Cambium cum se ipso.

De differentia facultatis datæ ad capiendum ad cambium per debitorem creditori vel simplici administratori & socio, d.14.n.3.

Intimatio nova debitoris an & quando requiratur non obstante facultate cambiandi, d.6.n.12.

Post cessionem alteri factam an possit continuare girum habens facultatem cambiandi, d.6.n.9.

FIDEJUSSIO

Præmium fidejussionis quomodo regulandum d.2.n.16.

FILIUS

Ingratus amittit jura suitatis quoad favorabilia tantùm, secus in odiosis, d.2.n.8.

FISCUS

De privilegio fisci avocandi pecuniam solutam creditori posteriori, d.13.n.9.

Notabilis declaratio dicti privilegii competentis fisco & alteri privilegiato, d.13.n.10

FRUCTUS

Seu accessiones verè non sunt cambia sed pars sortis, d.3.n.10.d.19.n.3.

Fructuum fructus quando debeantur & non obstet anathocismus, d.8.n.6.

Obligatus præstare speciem fructiferam, eam non præstando tenetur ad fructus, d.10.n.4.

H

HÆRES

INdignus in odiosis habetur pro tali, secus in favorabilibus, d.2.n.8.

Transitorium ad hæredes an sit mandatum vel susceptum onus ad cambiandum, d.4.n.7.d.23.n.7.

HISPANIÆ

De differentia inter litteras cambii per Hispanias ab illis per Italiam ut in primis non sit docendum de diligentiis, d.21.n.5.

De termino litterarum cambii per Hispanias, d.21.n.5.

Cordubæ voti tenor super cambiis per Hispanias, d.21.n.6.

I

IMPEDIMENTUM

CReditori impedito repetere sortem multa conceduntur, quæ cessante impedimento denegantur, d.9.n.5.

IMPLEMENTUM

Per implementi receptionem videtur remissum pactum resolutivum, d.16.n.7.

INDEBITUM

Terminus repetitionis indebiti potius quàm ille usurarum quando intret in cambiis, d.7.n.10.d.13.n.6.

INDUSTRIA

Personæ quando dicatur electa in materia cambiorum, d.18.n.6.

INITIUM

Actus spectatur non autem quod casus deinde præbuerit, d.1.n.27.

INJU-

# INDEX


INJUSTITIA

Vel læsio adest in cambio non autem usura, d. 24.n.4.

INSTITOR

Generalis cui negotii generalis administratio data est an possit sine speciali facultate sumere ad cambium, d.13.n.7.

Facultatem sibi datam sumendi ad cambium in subsidium exercere non potest absque interpellatione, d.14.n.2.

INTERESSE

Creditori data infectione contractus an debeatur, d.24.n.11.

De damni emergentis interesse & quando istud debeatur, d,11.n.6.

Cambia quando debeantur sine justificatione spacciorum tanquam damna & interesse. *vid.* Damnum.

INTERPELLATIO

Ad effectum ponendi debitorem sub cambiis an & quando requiratur, distinguuntur plures casus, d.2.n.4.

Regulariter non potest quis subjici cambiis nisi sequatur interpellatio & intimatio, & quando hæc non sit necessaria, d.13.n.2.

Remissio interpellationis quomodo probetur, d.13.n.3.

De pluribus modis, cum quibus id probatur, d.13.n.4.

Nova an & quando requiratur non abstante facultate cambiandi, d.6.n.12.

Cambia limitata ubi reducuntur ad currentia num requiratur nova interpellatio, d.16.n.2

Declaratur n.5.

Institor seu alius administrator facultatem sibi datam in subsidium sumendi ad cambium non potest exercere absque interpellatione, d.14.n.2.

INTERUSURIA

Actus redditur in totum nullus & usurarius ubi sunt nimium excessiva d.1.n.2.

Provisiones an sint detrahendæ ex interusuriis cambiorum, d.23.n.10.

JURISTÆ

Discrepantia inter Theologos & Juristas circa recursam cambiorum, d.1.n.16.

L

LÆSIO

VEL injustitia adest in cambio non autem usura, d.24.n.4.

Excessus magnus læsionem ænormissimam importans, quando adesse dicatur, d.1.n.22.

In cambiis regularibus non intrant termini læsionis, d.1.n.23.

LEX

De non usu legis interpretativo ad differentiam non usus præscriptivi, d.22.n.6.

Municipales leges diversarum Provinciarum vel aliarum Ditionum, an & quomodo attendi debeant, d.26.n.10.

LIBER

Per Campsoris libros non justificantur cambia, d.6.n.6.

De modo justificandi spaccia, & quando leviores sufficiant probationes, ita ut libris etiam sit deferendum, d.6.n.6.

Creditoris libri non attenduntur pro justificatione cambiorum, d.7.n.3.

Ex pacto dicta justificatio, an fivri possit cum solis libris creditoris, d.15.n.5.

Et quatenus id non sufficiat, an data aliunde justificatione, teneatur creditor stante dicto pacto justificare etiam cum libris, d.15.n.6.

LITTERÆ

Seu tractæ cambii an debeant impleri per bancum, d.2.n.11.

Cambia an sint præcise justificanda cum litteris, & quomodo remissivè, d.2.n.9.

Sine justificatione spacciorum per litteras saltem redditus non debentur cambia, d.5.n.3.

Quandoque tamen sine illis tanquam damna & interesse debentur, d.5.n.3.

*Vide* Damnum.

Reditus sufficiunt pro justificatione cambiorum, d.6.n.5.d.15.n.3.

Accessus sufficiunt ad justificationem cambiorum, licet non adsint illæ reditus, d.12.n.2.

Realitas cambiorum, quando per litteras non justificetur, d.16.n.4.

An sint necessariæ ad realitatem cambiorum d.6.n.7.

Et quatenus sic, an illæ possint aliàs justificari, d.6.n.7.d.7.n.3.

Adminicula ex quibus, amissis litteris probetur realitas cambiorum, d.6.n.8.

An admittantur aliæ species justificationum sine litteris, d.15.n.4.

Protestandæ an sint ubi non implentur per mandatarium, d.21.n.2.& seqq.

De termino litterarum cambii per plateas vel nundinas, d.21.n.3.

De differentia inter litteras per Hispanias, & de illarum termino ab illis per Italiam ut in primis non sit docendum de diligentiis, dis. 21.n.5.

Executiva via competit pro litteris cambii tam contra acceptantem, quàm contra scribentem in casu regressus, d.22.n.2.

Maximè in Regno Neapolis ob Regiam pragmaticam, d.22.n.3.

De intelligentia pragmaticarum Regni Neapolis super litteris cambii, d.22.n.5.

De non usu dictarum pragmaticarum d.22.n.6.

Ecclesiasticos, quibus litteræ cambii solvendæ sunt, an afficiant, d.22.n.7.

Scribens litteras cambii. *vid.* Scribens.

Stylus mercatorum in acceptatione litterarum cambii, d.25.n.14.

Si non implentur litteræ, scribens tenetur restituere æquivalentiam acceptam, d.26.n.2.

Quid ubi recipientis litteras negligentia intervenit, d.26.n.3.& per tot.

*Vide* Recipiens.

Termini litterarum cambii diversimodè tractandi sunt, quàm illi simplicis cessionis, & assignament, d.26.n.9.

LOCA MONTIUM

Valor locorum montium minuitur à vinculis, d.z.n.zz.

Creditor an petat à debitore id quod tale vinculum minuit de valore. d.z.n.z3.

LUCRUM

Certum ab initio nullum datur in cambiis, sed ejus sors potest etiam diminui, & hoc de natura cambiorum, disc. 3.num.9.disc.14.n.4. d.24.n.8.

Creditor potest esse in damno in cambiis & debitor in lucro, d. 14. n. 4.
De damno quis participare non debet ubi de lucro non participat, d. 5. n. 10.
Socius non debet subjacere damno, si non sperat lucrum, aliàs dicitur societas leonina, d. 14. n. 5.

M

MANDATUM.

DAtum creditori ad cambiandum an expiret per mortem naturalem vel civilem mandantis, vel mandatarii, d. 2. n. 5. disc. 15. n. 7. d. 23. n. 6.
Generaliter mandatum susceptum ad cambiandum non cessat per mortem, d. 4. n. 8.
De differentia inter necessarium & voluntarium, d. 2. n. 6.
Necessarium datum in gratiam, & in rem mandatarii est irrevocabile, nec per mortem expirat, d. 2. n. 6.
Cumulativum an sit datum creditori ad cambiandum, itaut non liberet debitorem à suscepto onere, d. 10. n. 4.
Eligendo mercatorem an creditor dicatur usus dicto mandato, d. 10. n. 5.
De differentia mandati ad capiendum dati per debitorem creditori, vel simplici administratori seu socio, d. 14. n. 3.
Plures contractus mandati, mutui & cambii continet sub se cambium obliquum, d. 24. n. 9

MANDATARIUS

Bonam fidem adhibere debet pro mandante, & quam culpam præstet, d. 1. n. 25. d. 26. n. 8.
Declara non procedere in mandatario in rem propriam, d. 1. n. 26.
Decoctio scribentis litteras cambii, quando cedat damno mandatarii acceptantis vel adjecti distinguitur, d. 20 n. 2.
Novus casus consideratur in hac quæstione, d, 20. n.
Quis dicatur in proposito mandatarius, & quis mandans, & de personarum diversitate in hac materia, d. 20. n. 3.

MARCHÆ

De scutis marcarum, d. 1. n. 11.

MASTRILLUS

In decisione 106. examinatur, d. 24. n. 10.

MERCATOR

Stylus mercatorum in acceptatione litterarum cambii, d. 25. n. 14.
Remissio oneris utendi opera mercatoris, an liberet ab onere cambiandi, d. 5. n. 4.
Negligentia mercatoris in cambiando, cujus damno cedat, d. 8. n. 3.
De differentia in cambiis. quando deputatur mercator à debitore, & quando creditor ipse cambiat, d. 8. n 3.
De alia differentia, quando mercator deputatur à debitore, & quando à creditore, d. 8. n. 4.
Creditor ubi eligit mercatorem, an dicatur usus sua facultate ad cambiandum. d. 10. n. 5.

MERX

Seu salarium augendum est ad proportionem periculi, vel incommodi, d. 2. n. 14.
Scedulæ ad duo pro centenario est, d. 2. n. 12.
Conventio de solvendo merces datas de præsenti ut valebunt tali tempore futuro, an valeat, d. 10. n. 7.

MONTIUM LOCA

Valor locorum montium diminuitur à vinculis d. 2. n. 22.
Creditor, an petat à debitore, id quod vinculum locorum montium minuit de valore, d. 2. n. 23.

MORA ET MOROSUS

Purgatio moræ non datur in pacto resolutivo, d. 16. n. 8.
Melioris conditionis non debet esse morosus quàm non morosus, d. 9. n. 4.
Cambia assumpta per debitorem debentur etiam post elapsum tempus conventionale, in quo fuit in mora restituendi pecuniam, d. 23. n. 2.
Clarius accedente partium declaratione, & de ratione, d. 23. n. 3.

MORALES

De discrepantia inter morales & juristas in materia cambiorum, d. 1. n. 16.

MORS

Civilis ex delicto & banno habetur pro morte in odium delinquentis, non autem in favorem, d. 2. n. 7.
Mandatum datum, vel susceptum, ad cambiandum, an expiret per mortem, d. 15. n. 7. disc. 23. n. 6.
Generaliter tale mandatum non expirat per mortem, d. 4. n. 8.
Creditori datum ad cambiandum, an expiret per mortem civilem vel naturalem mandantis vel mandatarii, d. 2. n. 5.
De differentia inter mandatum voluntarium, & necessarium, d. 23. n. 6.
Necessarium datum in rem & gratiam mandatarii non cessat per mortem, d. 2. n. 6.
Plures casus distinguuntur, an onus susceptum cambiandi expiret per mortem d. 4. n. 2.
Casus in quo per mortem non expirat onus cambiandi, d. 4. n. 2.

MUTUUM

Nec successive usuram continet contractus cãbii, & qualis contractus dicatur, d. 24. n. 2.
Cambium obliquum continet sub se plures cõtractus mutui, mandati & cambii, d. 24. n. 9.

N

NEAPOLIS

DE intelligentia pragmaticarum Regni Neapolis super litteris cambii, d. 22. n. 5.
De non usu dictarum Pragmaticarum d. 22. n. 6.
Ecclesiasticos, quibus litteræ solvendæ sunt, an afficiant dictæ Pragmaticæ, disc. 22. n. 7.
Executivè agitur in Regno Neapolis pro litteris cambii tam contra acceptantem, quàm contra scribentem in casu regressus, disc. 22. n. 3.
Decisio S. Consilii Neapolitani super invaliditate cambiorum Platealium, d. 2. n. 21.
Responsio ad eandem decisionem. disc. 1. n. 23.

NEGLIGENTIA

Mercatoris in cambiando, cujus damno cedat, d. 8. n. 3.
Recipientis litteras cambii in exigendo, quando illi noceat necnè, d. 24. per tot.
*Vid* Recipiens.
An sit notabilis vel culposa, necnè, quomodo dignoscatur, d. 26. n. 12.

NEGOTIATIO

De

# INDEX


De prohibita vel permissa clericis negotiatione, disc. 18. n. 7.

Cambi contractus non venit sub negotiatione clericis prohibita, & de ratione, d. 18. n. 8.

NOBILIS.

Cambia an exerceri possint per Nobiles disc. 6. n. 10.

NON USUS.

De non usu legis interpretativo ad differentiam non usus præscriptivi, disc. 22. n. 6.

NUNDINÆ.

Cambiatoriæ in Italia, quando introductæ sint, disc. 1. n. 8.

O

OBLIGATIO.

AD cambia loco damnorum & interesse etiam sine spacciis, quando intrer necnè disc. 11. n 2. *Vid.* Damnum,

Speciem fructiferam obligatus præstare, eam non præstando tenetur ad fructus, d. 11. n. 4.

ONUS.

De commodo debitoris suscipientis in se onus cambiandi, disc. 8. n. 7.

Magis ei expedit suscipere in se dictum onus, & solvere cambia loco damnorum & interesse sine spacciis, quia evitat provisiones, d. 10. n. 8,

Remissio oneris utendi mercatore deputato, an liberet ab onere cambiandi, disc. 5. num. 4.

Cambiandi susceptum per debitorem ad certum tempus, an duret eo tempore expirato, disc. 11. n. 3.

In dubio an onus cambiandi sit creditoris vel debitoris, & quomodo interpretandum sit, disc. 8 n. 9.

Creditori & debitori simul an possit dari onus cambiandi, & an negligente debitore possit uti creditor dicta facultate. d. 8. n. 8.

Debitor ubi suscipit in se tale onus, absque spacciis an debeantur cambia loco damnorum & interesse. *vide* Damnum.

Per mortem civilem, vel naturalem, quando expiret tale onus. *Vide* Mandatum, Mors.

P

PACTUM

RESolutivum videtur remissum per receptionem implementi, d. 16. n. 7.

Moræ purgatio non admittitur in hujusmodi pacto, d. 16. n. 8.

De validitate reductionis usurarum cum pacto ut debitore non solvente debeantur ad rigorosam rationem, d. 16. n. 6.

In cambiis limitatis an valeat pactum, ut si currentia importent minus adhuc debeatur creditori summa conventa, d. 16. n. 9,

Pacta non respicientia substantiam contractus vitiantur & non vitiant. d. 16. n 10.

PARTICEPS.

Sine speciali facultate an possit sumere ad cambium, d. 13. n. 7.

PECUNIA.

Vinculata si datur creditori, an ipse possit petere à debitore id quod vinculum minuit de valore, d. 2. n. 23.

Numerata in actu sed statim restituta, an annullet contramum censualem, o. 3. n. 2,

Ad cambiandum si datur, qualis species contractus dicatur, d. 4 n. 3. d. 23. n. 5.

De privilegio Fisci avocandi pecuniam solutam creditori posteriori, d. 13. n. 9.

De notabili declaratione dicti privilegii competentis Fisco, & alteri privilegiato, dis. 13. n. 10.

PERSONA

Industria personæ, quando dicatur electa in materia cambiorum, d. 18. n. 6,

POENA

Conventionalis de jure canonico non exigitur ultra quod interest, d, 17. n. 6.

PRAGMATICA

De intelligentia pragmaticarum Regni Neapolis super litteris cambii, d. 22. n. 5.

De non usu illarum, d. 22. n. 6.

Ecclesiasticos, quibus litteræ cambii solvendæ sunt, an sufficiant dictæ pragmaticæ, disc. 22. n. 7.

Viam executivam tribuunt pro litteris cambii tam contra acceptantem, quàm etiam contra scribentem in casu regressus, d. 22. n. 3.

PROMISSIO

Ad tempus promissum eo elapso non debetur, d. 9. n. 2

Fallit ubi tempus non respicit terminationem obligationis, sed alium finem d. 9. n. 3.

PROTESTATIO

Litteræ cambii, ubi non implentur, an sint protestandæ, d. 27. n. 2 & seqq.

PROVINCIA

Leges municipales diversarum Provinciarum & aliarum ditionum, an & quando attendi debeant, d. 26 n. 10.

PROVISIONES

De provisionum intelligentia, ut litteræ cambii solvantur per bancum, d. 2. n. 13.

Scedulæ provisio, quomodo regulanda, & quid ubi duæ sunt scedulæ, d. 2. n. 16.

Ad duo pro centenario calculatur merx, seu provisio scedulæ, d. 2. n. 15.

Campsoris scedulæ provisio est privilegiata & deducitur ante omnia d. 2. n. 17.

Examinatur ratio diversitatis provisionis præstandæ pro schedula, d. 2. n. 18.

Debitor suscipiens in se onus cambiandi, ac solvens cambia loco damnorum & interesse sine spacciis provisiones evitat, disc. 10. n. 8. d. 17. n. 3.

Expensæ provisionum sunt notabiles, d 5. n. 6.

De validitate consuetudinis, ut provisiones correspondentium cedant ad beneficium girantis, d. 5. n. 5.

De conventionis validitate, ut provisiones cedant commodo creditoris, vel deputantis scripturalem, d. 17. n. 4.

Ex interusuriis cambiorum, an detrahendæ sint provisiones, d. 23. n. 10.

R

RECAMBIA.

INvalida an sint & continentia anathocismum, d. 3. n. 8.

RECIPIENS

Litteras cambii potest recuperare à scribente æquivalentiam, si litteræ non implentur, d. 26. n. 2.

Etiamsi negligens fuerit in exigendo disc. 26. n. 3. & 11.

Distinguitur inter negligentiam notabilem, & non notabilem, d. 26. n. 4.

Et quomodo dignoscatur an negligentia sit notabilis & culposa, necne discurs. 26 numer. 12.

Notabilis sit effet negligentia periculum non debet esse scribentis, d. 26. n. 6. ubi de ratione.
Certiorare tenetur scribentem, ubi litteræ non implentur, d. 26. n. 5.
Termini hujus quæstionis diversimodè tractandi sunt quàm illi simplicis cessionis vel assignamenti, d. 26. n. 9.

RECURSA
Prohibita an sit in cambiis & quando, d. 1. n. 15.

REGRESSUS
Contra scribentem litteras cambii haberi non potest, nisi factis diligentiis cum eo, cui sunt directæ d. 21. n. 2.
Ratio ob quam requirantur dictæ diligentiæ, d. 21. n. 4.
In litteris per Hispanias non requiruntur, d. 21. n. 5.
Executivè agitur contra scribentem in casu regressus, ubi litteræ non implentur, d. 22. nu. 2. 3.

REGULA
De regula quod potui nolui, d. 14. n. 8.

RELIGIO
Professus apostatans vel ejectus à Religione habetur pro professo in odiosis, secùs in favorabilibus, d. 2. n. 8.

REMISSIO.
Oneris utendi opera mercatoris deputati an liberet ab onere cambiandi, d. 5. n. 4.

RESTITUTIO
Creditor quando excusetur à restituendis cambiis excessivis per debitorem sponte solutis, d. 17. n. 8.

RETENTIO
Quando de facili detur, d. 5. n. 9.

ROTA
In Romana cambii 18. Aprilis 1644. & 16. Januarii 1645. coràm Peutingerio declaratur, d. 3. n. 5. d. 5. n. 8. d. 6. n. 2. & 3. d. 10. n. 6. disc. 23. n. 8. & 9.

S

SALARIUM
SEU merx augenda est ad proportionem periculi vel incommodi, d. 2. n. 14.

SCRIBENS
Æquivalentiam acceptam restituere tenetur, ubi litteræ cambii non implentur, d. 26. n. 2.
Etiamsi recipiens fuerit negligens in exigendo, d. 26. n. 3. & 11.
Distinguitur inter negligentiam notabilem & non notabilem, d. 26. n. 4.
Quomodo dignoscatur an negligentia sit notabilis & culposa necnè, d. 26. n. 12.
Notabilis ubi intervenit negligentiæ periculum non debet esse scribentis, & de ratione, d. 26. n. 6.
Decocto scribente an acceptans litteras teneatur ad solutionem, & quando distinguuntur plures census, disc. 25. per tot.
*Vide* Decoctio.
Mandatarius seù corresponsalis non excusatur, si scire potuit conditionem scribentis, disc. 25. n. 15.
Decoctio scribentis quando cedat damno mandatarii, acceptantis, vel adiecti distinguitur, disc. 20. nu. 2.
Novus casus consideratur in hac quæstione, disc. 20. n. 4.
Quis in proposito dicatur mandans & quis mandatarius, & de diversitate personarum concurrente in hac materia, d. 20. n. 3.
Non impletis litteris, illas recipiens tenetur certiorare scribentem, d. 26. n. 5.
Executivè agitur contra scribentem litteras cambii, in casu regressus, d. 22. n. 2.
Maximè in Regno Neapolis ob Regiam pragmaticam, d. 22. n. 3.
Regressus contra scribentem haberi non potest nisi factis diligentiis cum eo, cui sunt directæ litteræ, d. 21. n. 2.
Ratio ob quam requiruntur d. diligentiæ, d. 21. n. 4.
Secus in litteris cambii per Hispanias, d. 21. n. 5.

SCRIPTURA
Ubi non existit potest aliundè ejus existentia probari, d. 7. n. 5.

SCUTUS
De Marcarum scutis, d. 1. n. 11.

SIMULATIO
Damnata qualis dicatur & qualis non, d. 3. n. 3.
De simulatione seu figmento quod aliqui dicunt esse in cambiis, d. 3. n. 7.

SOCIETAS
In cambiis excluditur societatis contractus, d. 4. n. 9.
Quale lucrum & damnum participetur in societate, d. 5. n. 10.
In officii societatibus solutio in parte non facit cessare contractum in residuo non soluto, d. 19. n. 2. & 4.
Leonina dicitur ubi quis subjacet damno non sperans lucrum, d. 14. n. 5.

SOCIUS
Absque speciali facultate an possit sumere ad cambium, d. 13. n. 7.
In causam negotii socialis an possit girare cambia sub suo nomine privato, d. 14. n. 6.
Damno subjacere non debet si lucrum non sperat, d. 14. n. 5.
De differentia mandati ad capiendum ad cambium dati per debitorem creditori, vel simplici administratori seu socio, d. 14. n. 5. 3.

SOLUTIO
Per cedulistam an sequuta dicatur eo ipso, quod creditores faciunt quietantias, licet pecunia relinquatur in ejus banco in depositum, d. 2. n. 24.
De præsumpta solutione ex *leg. quicunque*, d. 16. n. 6.
Solutum in causam cambiorum illis non justificatis.
Conventio an valeat de solvendo merces datas de præsenti, ut valebunt tali tempore futuro d. 10. n. 7.
A restituendis cambiis excessivis per debitorem sponte solutis quando excusetur creditor, d. 17. n. 8.
Si de facto solutum sit aliquid ultrà summam taxatam an imputetur ipso jure in sortem, d. 23. n. 10.
Cambiis nonjustificatis solutum in eorum causam imputatur ipso jure in sortem, d. 7. n. 4.

SORS
In cambiis diminui potest, d. 3. n. 9.
Impedito repetere sortem multa conceduntur, quæ deneganrur cessante impedimento, d. 9. n. 5.

Usu-

Usurarum exceptio quando retardet repetitionem sortis, d. 15. n. 2.

Sorte restituta an creditor possit continuare sub cambiis fructus seu cambia quæ remanent debenda, d. 19. n. 1. & seqq.

Cambia sunt pars sortis non autem fructus seu accessiones, d. 3. n. 10.

Ipso jure imputatur in sortem solutum in causam cambiorum illis non justificatis, d. 7. n. 4.

Item si aliquid de facto solutum sit ultra summam taxatam cambiorum d. 23. n. 12.

SPACCIA

Suppositio possibilis seu facilis spacciorum cum antidatis an reddat illicita cambia plateali, d. 1. n. 19.

Sine justificatione spacciorum saltem per litteras redditus quando cambia debeantur, d. 5. n. 2.

Quandoque tamen debentur tanquam damna & interesse. *Vid.* Damnum.

De modo justificandi spaccia, & quando leviores probationes sufficiant, ità ut libris etiam sit deferendum, d. 6. n. 6.

Provisiones evitat debitor solvendo cambia sine spacciis, d. 10. n. 8. d. 17. n. 3. *Vide* Damnum

STATUTUM

Bononiensis statuti fori mercatorum dispositio circa decoctionem scribentis litteras cambii, d. 25. n. 11.

STYLUS

De mercatorum stylo in acceptatione litterarum cambii, d. 25. n. 14.

T

TEMPUS

Promissum ad tempus eo elapso non debetur, d. 9. n. 2.

Fallit ubi tempus non respicit terminationem obligationis sed alium finem, disc. 9. n. 3.

Onus cambiandi assumptum per debitorem ad certum tempus an duret eo tempore expirato, d. 11. n. 3.

Cambia assumpta per debitorem debentur etiam post elapsum tempus conventionale, in quo fuit in mora restituendi pecuniam, d. 23. n. 2.

Clarius accedente declaratione partium & de ratione, d. 23. n. 3.

Conventio de solvendo merces datas de præsenti ut valebunt tali tempore futuro an valeat, d. 10. n. 7.

TERMINUS

Pro solutione litterarum cambii per plateas vel nundinas qualis sit, d. 21. n. 3.

Et qualis pro litteris per Hispanias, d. 21. n. 5.

THEOLOGI

De discrepantia inter Theologos & Juristas in materia cambiorum, d. 1. n. 16.

TRACTÆ

Per bancum an impleri debeant, d. 2. n. 11.

V

VALOR

Locorum montium minuitur à vinculis, d. 2. n. 22.

VERBA

In omnibus actibus attendi debet substantia voluntatis non autem cortex & figura verborum, d. 24. n. 3.

VIA EXECUTIVA

Pro litteris cambii competit tam contra acceptantem, quàm contra scribentem in casu regressus, d. 22. n. 2.

Maximè in Regno Neapolis ob Regiam pragmaticam, d. 22. n. 3.

VOLUNTAS

Substantia voluntatis in omnibus actibus attendi debet non autem cortex & figura verborum, d. 24. n. 3.

Usura adesse potest in actu per ultimam voluntatem d. 24. n. 5.

VOTUM

Cordubæ voti tenor super cambiis per Hispanias, d. 21. n. 6.

USURA

Plateale cambium quando sit de usura suspectum, d. 1. n. 17.

Excessiva ubi nimium est, actus redditur in totum usurarius & nullus, d. 1. n. 20.

In cambiis solut. quando intret potius terminus repetitionis indebiti quam ille usurarum, d. 7. n. 10. d. 13. n. 6.

Exceptio usurarum quando retardet repetitionem sortis, d. 15. n. 2.

De validitate pacti reductionis usurarum ut debitore non solvente debeantur ad rigorosam rationem, d. 16. n. 6.

Bona fides vel credulitas quando excuset in materia usuraria, d. 17. n. 9.

Contractus cambii neque continet mutuum, neque successivè usuram & qualis contractus dicatur, d. 24. n. 2.

In cambio non adest usura sed læsio vel injustitia, d. 24. n. 4.

Declaratur n. 5.


In quolibet actu tam inter vivos quàm per ultimam voluntatem esse potest usura, d. 24. n. 5.

In cambio proprio & directo quando adesse possit, d. 24. n. 6.

Et an in cambio minuto seu materiali permutationis monetæ in eodem loco inter præsentes, d. 24. n. 7.

USUS

De non usu legis interpretativo ad differentiam non usus præscriptivi, d. 22. n. 6.



# APPENDIX
# ROMANA EXCESSIVÆ
## SOLUTIONIS
## PRO
## FRANCISCO PIPHER
## CVM
## DECIO MARCONO.

*Casus disputatus coram Præfecto Palatii Apostolici, & resolutus pro Pipher.*

*Ex errore impressoris omissus suo loco.*

An debitori assumenti in se curam & onus cambiandi, ac sponte & pacificè solventi cambia juxtà taxam ab initio concorditer limitatam, detur jus, vel actio imputandi in sortem vel respectivè repetendi id quod excessivè solutum esset, eo quia detectum sit cambia per nundinas tanti non importasse.

### SVMMARIVM

1 Facti series.
2 De requisitis necessariis, ut cambia exigi possint.
3 Quod debitor assumens in se onus cambiandi teneatur ad cambia etiam sine spaciis tanquam damna, & interesse.
4 Sed tunc non debentur expensæ provisionum.
5 Cambia malè soluta imputantur ipso jure in sortem etiam si sponte.
6 Quod hic articulus sit novus.
7 Quod procedendum sit cum distinctione casuum,
8 Quando agitur de cambiis non solutis attenditur quid minus.
9 Idem de solutis per debitorem invitum de mandato judicis.
10 Etiam sponte soluta cambia in excessu repetuntur, vel imputantur si creditor girabat cambia.
11 Secus ubi ipse debitor in se suscipit onus cambiandi.
12 De probatione negativæ.
13 Indebitum voluntarium indiget probatione concludenti.
14 Quod solvens scienter indebitum censeatur donare.
15 Quod creditor exigens, & consumens fructus excessivos in statu bonæ fidei non teneatur restituere.
16 Declaratur conclusio, quod bona fides in materia usuraria non excusat.
17 Fructus societatis officii exacti post societatem finitam cum bona fide consumpti non restituuntur, idemque de censibus.
18 De cambiorum platealium validitate vel moderatione.

### DISC. XXVIII.

1 INito contractu cambii pro summa scutorum 12. m. inter Franciscum Pipher pecuniæ datorem, & Decium Marconum receptorem sub pacto limitationis cambiorum, ut excedere non possint scuta septem pro quolibet centenario & anno, ita tamen, quod si minus importarent, exigi non posset, nisi id minus, debitore juxtà modernam frequentiorem formulam in se assumente curam & onus girandi seu exercendi cambia per quasvis nundinas, plateas, & mundi partes per Italiam & extra; Cum plurium annorum spatio debitor sponte ac pacificè solvisset fructus seu interfuria cambiorum ad conventam limitatam rationem, ac etiam restituisset sortem; Comperto deinde ex pluribus causis agitatis in Tribunali A. C. quod cambia per nundinas decursa ad dictam summam non ascendissent, de quarum causarum aliquibus mentio habetur in præcedentibus, præsertim discurs. 17. Hinc proindè iudicium instituit repetitionis eius, quod singulis annis excessivè solutum esset, cum imputatione, seù diminutione sortis singulis quibusque temporibus, atque ut vulgò incuria dicitur *faciendo scalettam*; Et introducta causa coram Apostolici Palatii Præfecto, tanquam judice competente dicti Pipher unius ex majoribus officialibus cohortis Helvetiæ Pontificis, ac ejusdem Palatii custodiæ destinatæ.

Scribentes pro actore, cum consueta inani repletione cartarum in allegationibus super iis, quæ hodie tamquam omnibus nota præsupponi possunt, & debent, Dicebant fundatam esse ejusdem actoris intentionem, quoniam ad præscriptum Constitutionis *Pii V.* omninò damnantis, ac vsuraria declarantis cambia sicca, vt cambiorum interfuria exigi possint, duo copulativè concurrere debent, Primò nempè iustificatio realitatis cambiorum per litteras saltem redditus, quas *spaccia* vulgò dicimus, Et secundò quod nō exigatur, nisi id quod verè singulis quibusque nundinis vel terminis, cambi interfuria importent, cum in isto contractu dari non possit lucrum certum, neque in obolo, sed totum pendeat ab ipsa eventualitate, quæ se habere possit ad lucrum & damnum, ut pluries in præcedentibus. 2

Et licèt primum requisitum necessariæ justificationis realitatis cambiorum cum spaciis

ciis hodie penè ab Aula receſſiſſe videatur, ob hanc modernam frequentiorem contrahendi
3 formulam, quod ipſe debitor in ſe aſſumat curam & onus cambiandi, quod operatur, ut non ſequuta tranſmiſſione litterarum, adhùc teneatur ad cambia, quæ licitè à creditore exigi valeant, non tanquam cambia, ſed tanquam damna & intereſſe, potius ob non factum, quàm ob non datum, ratione ſcilicèt non adimpleti mandati per ipſum ſuſcepti; Attamen in aliquo relevatur debitor ratione huius oneris, ob cuius ceſſationem creditor etiam in aliquo reſpectivè damnificatur, quod ſcilicèt ità ceſſant interſuria proviſionum, aliarumque expenſarum, at-
4 que non debentur dicta damna & intereſſe, niſi ad eam rationem, quam important ipſa intrinſeca interſuria cambiorum reſultantia ex alteratione valoris auri, atque, vt vulgò dicitur, ratione *aggii*, vt pluries etiam in præcedentibus habetur.

Et ideò cum occaſione dictarum aliarum cauſarum ſatis frequentium, iam firmatum eſſet, quid detractis proviſionibus, aliiſque expenſis dicta interſuria importarent, ſine dubio minora, quàm importaret dicta taxa conventionalis; Hinc proindè concludebant, planum remanere, vt petitæ repetitioni locus eſſet, non obſtante ſpontanea ſolutione, cum in hanc materia factum partium in nulla conſideratione
5 habeatur, quia non poſſunt partes licitam reddere vſuram, ac facere licitum id quod eſt illicitum; Ac etiam quia vſurarum ſolutio per ſuffocatum debitorem facta, quamvis ſpontanea, potius neceſſaria, & coacta cenſenda eſt, itaùt non intrent termini repetitionis indebiti, ſed potius imputationis ipſo iure iuxta opinionem quam ſequitur Rota ex firmatis in ſatis vulgari *Roma cambii coram Buchio impreſſ. dec. 69. par 9 rec.* canonizata penè in centum aliis, quas cum nauſeativo ſtylo, abſq; aliqua neceſſitate tanquam in re in Curia notoria cumulabant per integras columnas cum ſtylo extero, ità illum Curiæ Romanæ adeò commendabilem corrumpendo.

Scribens Ego pro Pipher reo convento, admittebam omnes prædictas concluſiones, tanquam, vt dictum eſt, hodiè notorias ac præſupponendas; Dicebam tamen fallaciam conſiſtere in applicatione, circà quam adeò frequenter
6 nos moderni iuriſtæ nimium laboramus, Vndè propterea, cum in hoc articulo tanquam nouo deduci non poſſent venerandæ auctoritates *Accurſii*, *Bartoli*, *Baldi*, aliorumque antiquorum legaſtrum, minuſque *Innocentii*, *Ioannis*, *Andreæ*, vel *Abbatis*, aliorumque Canoniſtarum; Quinimò neque modernorum, vel Rotæ deciſionum, cum articulus à recenti tempore in campum prodierit, neque pro mea notitia, adhuc in Rota formiter diſputatus & deciſus eſſet; Idcircò expertus plures quæſtiones deſuper habitas in Tribunali A. C. & in Signatura juſtitiæ, tam in cauſis enunciatis ſupra *dicto diſc.* 17. quàm in pleriſque
7 aliis, quæ vtpotè cadentes ſub eiſdem principiis negliguntur; Ad eruendam veritatem, atq; iſtius ſenſu retento, dicebam plures caſus in propoſito diſtinguendos eſſe, diuerſam habentes rationem, ideòque diverſimode decidendos, quodque propterea manifeſtum pro meo ſenſu videatur æquiuocum, regulam ſeù deciſionem generalem deſuper ſtatuere.

Primus igitur caſus eſt, ubi agitur de cambiis ſolvendis, quæ per creditorem petantur à debitore invito ac opponente non teneri ad integram ſummam conventam, ex eo quod cambia verè decurſa minus importarent, & tunc ſine dubio pro debitore reſpondendum videtur; 8
Quamuis enim iſto caſu ex parte creditorum deduci ſolitum eſſet idem motivum, de quo infra, quod ſcilicet contractus non eſſet reſtrictus ad ſolas nundinas, ſed etiam per plateas Italiæ & extra, per quas certum eſt hoc moderno tempore cambiorum interſuria eſſe majora juxta ea quæ habentur *ſuprà diſc.* 1 Attamen cum in hac alternativa electio ſine dubio eſſet debitoris, rectè hic dicere poteſt re integra habuiſſe in animo cambiandi per nundinas, non autem per plateas; Duplici circumſtantia dictam eius aſſertionem nimium confouente; primò ſcilicet, quod iuxta deducta *d. diſc. 1. & ſeq.* hæc via cambiandi per nundinas, quando agitur de circulatione, ſeu continuatione, eſt magis frequens & vſitata; Et ſecundò quod in materia vſuraria attendendum eſt, quod minus ob veriſimilem etiam voluntatem ipſius debitoris gerentis perſonam mandatarii tanquam in rem creditoris & ſuam, ut eligere voluerit, ac debuerit dictam magis vſitatam viam quam experientia probavit parere interſuria minora.

Eodemque iure regulandum eſſe dicebam, in quo debitor invitus & opponens viribus Præturæ compulſus cambia ſolviſſet iuxta caſum, de quo ſuprà *d. diſc.* 17. 9

Alter caſus eſt, ubi ageretur de cambiis ſpontè ac pacificè ſolutis, quorum deinde repetitionem vel reſpectivè imputationem debitor petat, & hic ſubdiſtinguendus videtur inter caſum, in quo ipſe creditor ex mandato ſeu facultate ſibi per debitorem tributa cambiorum gi- 10
rum exercuerit, & caſum præſentem, in quo ipſe debitor huiuſmodi onus in ſe aſſumpſerit; In primo enim, cum certum ſit nihil neque in obolo etiam à ſponte dante exigi potuiſſe ſine ſpacciorum ſeu litterarum realitate, & per ipſum creditorem juſtificandi, & ex qua ſingulis quibuſq; nundinis vel terminis certificari potuit vel debuit quaotum verè importaſſent cambiorum interſuria, hinc proindè exigendo in exceſſu dicitur in mala fide, ac potius dici poteſt indebitum per debitorem ex errore ſolutum creditori, qui ſtante hac mala fide evitare non poteſt reſtitutionem ex motivo conſumptionis ſub bona fide, licèt iſte caſus rarò contingat, quoniam cum calculentur etiam ad damnum debitoris proviſiones, aliæque expenſæ, non de facili verificabilis eſt hic exceſſus vltra taxam conuentionalem.

In altero autem, qualis erat proprius & præciſus caſus præſentis controverſiæ, quod ſcilicet debitor aſſumpſerit in ſe onus cambiandi, atque ſingulis annis vel temporibus ſpontè ac pacificè cambia ſolverit creditori, veriſimiliter curſus cambiorum tam nundinalium quàm plateа- 11
lium ignaro, quia nempe non ſit campſor ſeù mercator artem cambiatoriam exercens, & tunc ſtante præſertim dicta generalitate ſuſceptionis mandati, tam per nundinas quàm per plateas, abſolutum pro meo ſenſu videri dicebam, dictam repetitionem, vel reſpective imputationem prætendi non poſſe ex pluribus fundamentis, quorum ſingula ſufficere videntur, multo magis ſimul juncta.

Primò

Primò scilicet ob cessantem probationem negativæ, quæ est fundamentum intentionis actoris, quod scilicet cambiorum intersuria tanti non importauerint, cum ad id probandum adducerentur solùm attestationes super cursu cambiorum nundinalium, quæ non sufficiunt, stante possibilitate, quod hæc cambia girari potuerint per plateas, duplici recepta propositione in id conferente, Vnà scilicet, quod negatiue nunquam probata dicitur per contrariam affirmatiuam, vel econuersò, nisi quoties præcisè ac de necessitate actus sequi debet per illam viam, siue contineri in illa scriptura, & non aliàs ex relatis *apud Burat. & Adden. dec.* 10. 220. 264. *& 282. & passim* cum sit principium vulgare; & altera, quod indebitum voluntarium indiget perfecta & concludenti probatione excludente contrariam possibilitatem, qua concurrente adesse non dicitur probatio perfecta, ubi potissimum concurrit titulus legitimus, atque accessiones in genere seu substantia sunt licitæ, solaque controversia cadit super accidenti maioris vel minoris quantitatis, adeout non intret aduersus hanc propositionem difficultas, de qua late in *Sanonen sub tit. de Vsurisd.* 12.

Secundò quia cum debitor, qui curam & onus cambiandi habebat, ita sciret, vel scire deberet, quanti cambia vere importarent. Hinc proindè scienter ac voluntariè soluendo in excessu, istum censetur donare voluisse, vt in proximis terminis excessiuæ solutionis fructuum census, qui verè ad tantam ratam non deberentur, habetur *apud Spadam conf.* 248. *lib.* 2. *nu.* 3. *cum sequen.* & apud *Seraph. dec.* 1226. *edita in eadem causa dicti consilii.*

Istud tamen motivum, solum & de per se mihi videbatur periculosum in debitore qui campsoriam artem non exerceret, verisimiliter ignarum, quid cursus cambiorum singulis quibusque temporibus verè importaret, vndè propterea rectè dici posse videtur indebitè solutum potius per errorem, quam scienter animo donandi de facili non præsumendo, ex pariter recepta propositione, quam in foro frequentem habemus, quod animus donandi non præsumitur, omnisque alius possibilis intellectus pro ejus exclusione capiendus est, licèt motivum esset adaptabile ad casum, cum debitor esset mercator mercium fundacalium, non autem campsor, adhuc tamen in his versatus.

Solidius verò, magisque tutum mihi videbatur tertium fundamentum pariter benè deductum *per Spad. dicto conf.* 248. *lib.* 2. *à num.* 4. *ad finem*, ac examinatum pluries *sub tit de Vsuris*, præsertim *in Baren. dis.* 17. *& in Lucana dis.* 18. quod scilicet creditor in bona fide fuerit, justèque credere potuerit, quod debitor adimplendo fidem promissam, ac susceptum mandatum, cambia verè giraverit, atque ità rectè conscius quod tanti & vltra importarent, sponte illa solverit, undè propterea creditor excusandus veniat à restitutione ejus, quod in statu bonæ fidei à sponte solvente exegit & consumpsit, aliàs non percepturus neque consumpturus, si debitor suum munus adimplendo, de veritate ita certior factus, ipsum creditorem certiorem reddidisset; Atque aliàs esset dare magnum absurdum, quod iuris naturalis & scripti repugnantiam habet, quod debitor ita delinquens, seù malè agens ex propria culpa & delicto commodum reportaret in supplantationem creditoris innocentis versantis in bona fide, ac in justa credulitate; Eò magis verisimili, si de tempore initi contractus, ut in præsenti casu sequebatur, summa conventa esset justa & verisimilis magisque inferior quàm excessiva, cum ita nulla excogitabilis adesse videatur ratio, od quam creditor istud damnum sentire debeat.

Et quamvis vera sit conclusio, de qua frequenter *sub dicto tit. de Vsuris*, præsertim *in allegatis dis.* 12. *&* 17. ac etiam *sub tit. de censibus*, quod bona fides ex ignorantia, vel ætate, rusticitate, sexu, seu alias resultans, in hac usuraria materia non excusat, Attamen, ut ibidem advertitur, id rectè procedit, quando vitium est in substantia, illudque procedat à dispositione juris clari, cuius ignorantia non excusat, secùs autem ubi provenit à justa & probabili ignorantia facti ex deductis *præsertim dicto disc.* 17 Vndè propterea apud *Spadam dicto conf.* 248. *lib.* 2. *in fine* refertur *Boccacc. in ejus tract. de societ. off. n.* 191. ubi testatur per Pontif. in plena Signatura Gratiæ, declaratum fuisse excusari creditorem exigentem à debitore sponte solvente fructus societatis officii, quam credebat adhuc vigere non obstante illius extinctione sibi ignota, sed nota debitori, qui proinde sibi imputet, cur sciens sponte solverit; & quidem id videtur omnino probabile, nam aliàs esset mundum involvere ac tollere commercium nedum in isto contractu cambii, sed etiam in altero census, de quo agit *Spada dicto conf.* 248. quoniam frequenter dari potest casus, quod existente fundo censito capaci de tempore impositionis, si tractu temporis eius fructus diminuantur, certum est, quod de iure creditor exigere non potest nisi ad ratam fructuum, atque si scienter plus exigeret, tanquam illicitum & usurarium veniret restituendum vel imputandum, quod irrationabile ac inhumanum videretur, si debitor sciret, atque hoc non obstante sponte solveret creditori ignaro ac bona fide credenti continuationem fundi in primæuo statu, cum similibus, & conferunt quæ habentur *dec.* 3. *p.* 7. *rec. & passim* de fructibus perceptis ex re non sua in statu bonæ fidei vel non malæ non restituendis.

Clarius verò ac extra omnem dubitationem in hac facti specie, dum debitor etiam sortem postea sponte solverat, vnde cadere non poterat consideratio, de *quad. decis.* 96. *p.* 9. *rec.* ac pluries *d. tit. de Vsuris*, quod scilicèt debitor ità sub nomine vsurarum pro maiori commoditate voluerit per diminutas solutiones se liberare à debito sortis, dum istam quoque postea solvit, vt proximè ponderatur etiam supra *disc.* 7.

Difficultatem aliquam promovebat judex adversus dictam contrariam possibilitatem maioris cursus cambiorum per plateas, per quam exclusa remanebat probatio negatiuæ seu excessus, quod scilicèt Rota in decisionibus editis *coram Verospio in Romana cambiorum, de qua supra dis.* 1. *& sequen.*, decreuerit deberi solùm cambia nundinalia non autem platealia, Vndè ista præsertim occasione sum expertus adeò damnabilem pragmaticum currentem vsum, attendi decisiones & doctrinas ad litteram, atque pro regula generali, non considerando, ad quid, & quomodo loquantur, & an applicentur ad casum necne; Siquidem in dictis decisionibus, non solum non damnantur, sed expressè canonizan-

nizantur cambia platealia, sed quia casus præbuit illa reddita esse nimium excessiva, idcircò ex quodam æquitativo arbitrio illa moderata fuerunt ad rationem nundinalium, calculatis tamen etiam provisionibus, aliisque expensis, adeo ut importarent ad novem pro centenario, & sic in quantitate excedente istam taxam conventionalem, ideoque cessabat ratio moderationis; & ex his [illegible]dit sententia rei conventi absolutoria, qu[illegible]ectendo ad solam veritatem, justa, & probabilis visa est. causæ autem fatum fuit circa hanc ultimam difficultatem, quod judex, absque doctrinarum necessitate dictam responsionem benè perceperit, nam aliàs ex eo quod non adessent doctrinæ, vel decisiones, quæ in verbis ità firmarent, reputatum fuisset proprium ratiocinium, sive distinctio ex capite, iuxta eas quas frequenter Advocati experiuntur frigiditates, risum, ac iram eodem tempore excitantes.

# JANVEN.

# PECVNIARIA

## SEV

## PARTITI

## PRO

## CAROLO SPINOLA

## CVM

## DOCTIS, & VAMBARLIS.

*Responsum pro veritate.*

De acceptatione ac implemento tractæ seu litterarum cambii in nundinis cumaliqua protestatione, ut vulgò dicitur, *sotto protesto*, An id alteret naturam negotii, ita ut solventi non competat illud jus, vel actio, quæ aliàs contra scribentem vel socios competerent; Et de litteris certioratoriis, vulgò nuncupatis *d'auuiso*, an obligent necne scribentem, & quid operentur in hac materia tractarum seu litterarum cambii.

### *SVMMARIVM*


1 Facti series
2 De rationibus dubitandi.
3 Socius obligat consocium etiam insolidum in concernentibus negotium sociale.
4 Quod sit rationabile, & necessarium pro Vsu commercii.
5 Ampliatur etiam dissoluta societate non notificata dissolutione.
6 An id procedat in societate particulari.
7 Littera certificatoria, seu d'auuiso, an & quando obligent, & probent.
8 De materia acceptationis, & solutionis litterarum cambii sub protextu.
9 An & quando gesta per procuratorem præjudicent principali.


### DISC. XXIX.

PUblica, ut moris est, decreto Senatus Reipublicæ Venetæ, super partito faciendo cum negotiatoribus, accipiendi duc. 100. m. pro belli Cretensis necessitatibus, restituendos spatio aliquorum annorum ex redditibus aliquarum salinarum ad id assignatis, cum utilitate interim scut. 7. pro centenario & anno, partitum prædictum inierunt Cassioni, Docti, & Vambarli negotiatores. qui non habentes tantam pecuniam præ manibus promptam, curarunt eam in toto, vel in parte habere in Ciuitate Ianuensi à diuersis particularibus admissis ad huius negotii participationem, in qua isti contenti fuerunt magis moderato utili scutorum sex cum dimidio, remittendo ipsis Cassionis, Doctis, & Vambarlis pro eorum industria & cura residuum dicti lucri, sub ea tamen lege, quod solvendo ipsi pecunias in scutis marcarum, in eisdem, tam pro sorte, quàm interssuris seù utilibus reintegratio sequi deberet, ita in hanc speciem convertendo æquivalentiam, quæ ex dictis assignamentis in ea ducatorum monetæ specie exigeretur; Cumque unus ex dictis ad hanc participationem admissis esset Carolus Spinola pro rata scutorum bis mille auri marcarum, pro ista Cassioni eidem litteras cambii scripserunt seù tractam fecerunt pro nundinis Novarum solvendam quibusdam de Taliacarne eorum correspondalibus, assignando in eisdem litteris, (quæ in nimium brevibus parvis pagellis concipi solent) tractæ causam relativè ad alias litteras certioratorias quæ vulgò dicuntur *d'auuiso* seù *di spaccio*, cum illis consuetis verbis, *come si auuisa*; Eademque die præfati Docti, & Vambarli diversam campsoriam rationem exercentes ab illa dictorum de Cassionis, litteras, certioratorias eidem Carolo scripserunt, quod dicta tracta per Cassiones ea die sibi facta esset in causam dicti partiti, ac in executionem conventionis initæ super participatione; Dictaque tracta per Caroli absentis procuratorem seù correspondalem acceptata & impleta cum protestatione se revalendi, nedum à dictis Cassionis scribentibus, sed etiam à præfatis Doctis & Vambarlis, ac ab assignamentis dicti partiti &c, sequuta postmodum decoctione illorum de Cassionis, atque Carolo pro ejus reintegratione suas actiones dirigente contra præfatos Doctos & Vambarlos, cum isti negarent se ad aliquid teneri, ex eo quod de aliquo ipsorum mandato pro huiusmodi, solutione facienda non constaret; Hinc desuper ex parte dicti Caroli pro veritate consultus fui, An contra præfatos dictam actionem haberet necne.

Rationes dubitandi, in quadam notula transmissa duæ erant; Vna scilicet, quod Carolus solvens sequutus esset solam fidem illorum de Cassionis, qui tractam fecerant, ideoque nullam haberet actionem contra ipsos qui nullum desuper dederant mandatum, sine quo, cum non ageretur de societate universali, sed de solo negotio particulari, ex gestis cum uno socio non debent remanere alii obligati; Nil obstantibus di-

dictis litteris certioratoriis, ſtante quod in eis denunciatur tantùm dictam tractam eſſe in cauſam partiti, ſed non dicunt ſcribentes, quod ſolvi deberet, & ſic nullum continerent mandatum; Et ſecundò quod dictæ tractæ implementum ſequutum non eſſet purè & liberè, ſed cum proteſtatione prædicta, ideoque eos non afficeret, quamvis aliàs afficere deberet, ubi purè & liberè ſequutum eſſet, ſupponendo in eadem notula huiuſmodi difficultates reputari nimium conſiderabiles, nullam tamen deducendo ſpecialem rationem vel auctoritatem, cui difficultas inniteretur.

His tamen non obſtantibus, ac niſi concurrerent aliæ facti circumſtantiæ illud alterantes, Reſpondi pro meo iudicio clarum videri bonum ius præfati Caroli, nullamque dignoſci probabilem dubitandi rationem; Cum enim præfati Docti, Vambarli, & Caſſioni, quamvis diuerſas campſorias rationes exercentes, ſimul uniti dictum partitum cum Republica inſolidum ſe obligantes ſuſcepiſſent, eodemque modo admiſiſſent præfatos particulares pecuniam reſpectivè pro eiuſdem partiti effectuatione ſubminiſtrantes, ad participationem negotii; Hinc de plano reſultare dicebam quod inter præfatos, qui partitum ſuſceperunt à Republica, quamvis non ſocios totius rationis campſoriæ ſeù negotiationis, inita fuiſſet ſuper iſto negotio ſocietas, tam in ordine ad ipſam Rempublicam ſeù Senatum ſuper dicto partito, quàm in ordine ad præfatos particulares in ejuſdem negotii cauſam pecuniam ſubminiſtrantes, atque ad participationem admiſſos; Quo poſito, ubi etiam præfati Docti & Vambarli non ſcripſiſſent præfatas litteras certificatorias, aliàs *d' auuiſo*, adhuc tamen obligati inſolidum remanerent ex facto conſocii, ex vera paſſimque in foro recepta concluſione, quod inter ſocios de iure datum cenſetur reciprocum mandatum, per quod quilibet eorum commune negotium adminiſtrare poteſt, atque in 3 eiuſdem negotii cauſam conſocios etiam inſolidum obligare ad *text. in l. penul. §. fin. & l. ſi tamen plures ff. de exercitor. act. cum concordan. apud Surd. deciſ. 213. num. 1. & ſeqq. Gratian. diſcept. 279. nu. 1. & diſcept. 967. num. 4. Rot. apud Celſ. deciſ. 2. num. 1. 2. & ſæpius.*

Et quando deſuper non haberemus juris diſ- 4 poſitionem, id evidenter comprobarent, tam ipſa ratio naturalis, quam communis uſus commercii mercantilis, cum aliàs negotia ſocialia, quæ frequentius habent ſocios in diverſis locis exiſtentes, aliàs explicari non poſſent; Imò pluries practicatur, quod ſub unius tantùm nomine negotium explicatur, ſive etiamſi ſub nomine omnium litteræ ab uno, vel etiam ab aliquo miniſtro, qui uulgò *complementarius* dicitur, ſcribi ſolent, & tamen obligat omnes iuxtà plenè firmata in celebri Romana *Societatis de Rotignis* 19. *Iunii* 1645. 2. *Martii* 1646. & 10. *Februarii* 1648. *coram Ghiſlerio*, quarum prima eſt impreſſa 5 *apud Marin, reſol.* 207. *lib.* 2. & tertia eſt *deciſ.* 151. *p.* 10. *rec.* in quibus firmatur, quod etiamſi inter ipſos ſocios diſſoluta eſſet ſocietas, adhuc tamen, niſi huiuſmodi diſſolutio publicaretur per ſolitas litteras circulares, vel publica Edicta in locis, in quibus habebantur correſponſales, alii ſocii remanerent obligati, ut latius deductum habetur in ſua materia *ſub titu. de credito.*

Nulli verò fundamento innixam putabã præfatam excitatam difficultatem, quod nõ adeſſet ſocietas univerſalis, ſed eſſet communio particularis iſtius negotii tantum, iſtam enim conſiderationem rectè intrare dicebam in ordine ad obligationem ſociorũex actibus indifferentibus geſtis per ſocium etiam proprio & particulari non autem ſociali nomine ac extra cauſam ſo- 6 cietatis, Secus autem quoad eos qui geruntur in cauſam ipſius negotii ſocialis, quoniam circa illud concernentia dicitur adeſſe univerſitas diſcretiua; Atque in his terminis alicujus negotii tantum abſque neceſſitate deſiderandi ſocietatem omnium bonorum loquuntur præmiſſæ auctoritates ac deciſiones, & quotquot aliæ habeantur.

Si verò hæc ità procedunt ex ſolotacito ac legali mandato, etiamſi nullum ſociorum factum poſitiuum ſeù conſenſus accederet, Multòmagis ac pro meo judicio extra dubium ea locum habere dicebam in hac facti ſpecie, in qua concurrebat expreſſus conſenſus ſeu mandatum, quod hæc tracta facta per unum ex ſociis impleretur, ſtantibus dictis litteris certioratoris ſeu *d auuiſo*, per quas dicebam omnem removeri difficultatem.

Licèt enim in jure habeamus, quod huiuſmodi litteræ ſolæ & de per ſe nullam inducunt obligationem, neque actionem producunt, eo quia ſcribi potuerunt cum præſuppoſito tractu ſeu litterarum cambii, quæ deindè 7 ſcriptæ non eſſent, ſeu aliàs non acceptatæ neque effectum ſortitæ; Attamen ubi conſtat de effectuatione, itaut ceſſet dicta ratio dubitandi, tunc probant ac obligant, atque earum vigore exerceri poteſt ille proceſſus executiuus, qui, vel ex jure municipali, vel ex conſuetudine ratione commercii ubique recepta, inter mercatores & negotiantes exercetur, ut ita diſtinguendo bènè firmatur *per Rotam in Romana ſeu Ianuen. litterarum cambii coram Bichio impreſſ. deciſ.* 198. *par.* 11. *recent, ex num* 11. *& per tot.* Multòvero magis in hac facti ſpecie, in qua obligatio ſociorum ex facto ſocii ut ſupra reſultat ex ſola juris diſpoſitione, Vndè hujuſmodi litteræ non deſeruiunt pro fundanda actione ſive inducenda obligatione, ſed ad ſolum effectum removendi eam difficultatem, quæ reſultare poſſet ex ipſorum ſociorum non probata ſcientia, vel non probato conſenſu; Atque ex his mihi videbatur caſum eſſe incapacem dubitationis, niſi aliud in facto concurreret, quod eam cauſaret.

Quoverò ad aliud motiuum, quod prædictæ tractæ implementum in nundinis ſequutum eſſet, non liberè & purè, ſed cum proteſtatione, atque ut vulgò dicitur *ſub protextu*, quod apud dubitantes majorem inferre videbatur difficultatem, Aduertebam in hoc procedi cum aliquo 8 æquivoco; iſte ſiquidem ſolvendi modus *ſub protextu* non alterat actum, itaut tollat actionem aliàs competentem contrà ſcribentes ſeù eos qui ex facto ſcribentes obligati remanerent, cum id nullo jure cautum ſit, nullamque habeat rationem, dum potius majorem ipſius ſcribentis obligationem inducit; Procedit enim in caſu quo ſcribens maudet ei cui litteræ diriguntur, quod de tracta per ipſum ſolvenda ſe à tertio reintegraret, quo caſu ſi purè & ſimpliciter impleret, ſequutus diceretur fidem illius tertii non autem ſcribentis, contrà quem nullam haberet actionem; Secus autem ubi

ſolutio

fieret sub protextu & in honorem litterarum, Tunc enim ità solvens dicitur eius animum non sequendi fidem tertii, sed illam scribentis, contra quem proindè competit actio, atque hic est effectus hujus protestationis, ut de hoc modo acceptandi seù solvendi litteras cambii sub protextu habetur *latè apud Scacciam de Cambiis* §. 2. *glos. 5. num. 358. & seqq. Gratian. discept. 388. num. 6.* latè *Rota apud Otthobon. dec. 118. num. 7. cum seqq*, & in pluribus alijs decisionibus antecedenter in eadem causa editis ibi enunciatis; Multòmagis dum non solùm protestatio erat simpliciter facta cum termino generali pro honore litterarum, sed habebat expressam causam dicti partiti ac obligationis aliorum sociorum, ut supra, Et sic facta erat pro majori cautela, & declaratione, Vnde magnum absurdum esset, ut ea, quæ pro majori cautela, & meliori declaratione facta sunt ad favorem facientis, retorqueri deberent in odium, atque causare contrarium effectum diminutionis jurium aliàs competentium contra omnia principia, & hæc mihi videbatur veritas.

Potissimè quia d. protestatio facta non erat per ipsum Carolum, sed per ipsius absentis procuratorem seù mandatarium, qui sine speciali mandato non poterat eius principali præjudicare suumque ius tollere per actum consistentem in committendo, cum attendatur solum præjudicium resultans omittendo juxtà distinctionem de qua *Surd. dec. 181. nu 16 Greg. & add. dec. 75. nu. 1. & 4.* & communiter, Sed hoc ad superabundantiam, nam etiamsi dicta protestatio facta esset ab ipso principali, verè causare non posse videbatur hunc præjudicialem effectum. 9

# ROMANA
## SEV
## ANCONITANA
## PECVNIARIA
PRO
## ALOYSIO GREPPIO
CVM
## COCCHIS.

*Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Greppio.*

An tertius scribens ei, cui litteræ cambii diriguntur ab alio in computum alterius, quod eas impleret, quia haberent suum finem, remaneat exindè obligatus ad favorem implentis dicta litteras cambii, seú tractum, si non sit idoneus ille, in cujus computum fit tracta.

*SVMMARIVM.*

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *Quod laudator seù approbator scribentis litteras cambii ad aliquid non teneatur, contrarium nu. 6. & seqq.*
3 *Scribens alteri litteras cambii, quod eas impleret in computum tertii, ipse ad aliquid non tenetur, & num. 9.*
4 *Quod verba* hauranno suo fine *inducant obligationem propriam de stylo mercatorum.*
5 *Deferendum est stylo mercatorum, quorum verba intelligenda sunt prout ipsi intelligunt.*
6 *Expenditur auctoritas* Borrelli, *in qua fundata est conclusio, de qua nu. 2.*
7 *Et de aliis auctoritatibus in idem dicto num. 2.*
8 *Quando laudator teneatur etiam in sensu illum excusantium.*
9 *Declaratur conclusio, de qua num. 2.*

## DISC. XXX.

JVxta facti seriem occasione competentiæ fori recensitam *sub tit. de jurisdictione : & foro compet. disc. 71.* Cocchi negotiatores in Civitate Anconæ scripserunt Greppio in Vrbe negotiatori, ut impleret tractam sibi ex Venetiis faciendam à Platto in causam Pighetti pariter in dicta Anconitana Civitate negotiatoris, quia (sunt verba præcisa) *hauranno suo fine*; Cumque dicta tracta jam impleta in scutis mille Pighettus effectus minus idoneus solventem reintegrare non posset; Hinc proindè Greppius suas direxit actiones contra dictos Cocchos, quorum fidem eum sequutum esse dicebat, Atque postquam rejecta fuit fori A. C. declinatoria ut supra; Assumpta in isto Tribunali, seù coram Prælato deputato disputatione negotii principalis, decretum fuit ad favorem actoris mandatum exequutivum à Signatura justitiæ quoque canonizatum mediante reiectione appellationis suspensiuæ cum solito rescripto *sine præjudicio exequutionis*, atque ità causa, quod sciam, cum solutione finem habuit. 1

In disputationibus autem in utroque Tribunali desuper habitis, scribentes pro Cocchis reis conventis dicebant dictas litteras non continere, nisi simplicem laudationem dicti Pighetti, in cujus causam tracta à tertio facienda erat, De jure autem laudator non accedente dolo non tenetur, ut in his punctualibus terminis *Borrell. consil. 47.* Deducendo etiam super dicta conclusione laudatoris seù approbatoris auctoritates generales *Menoch. consil. 179. & Cephal. consil 437* 2

Et fortè magis in specie ea, quæ ex *Bursatt. & Gaito*, ac aliis habentur apud *Rocch. respon. 14. num. 8. lib. 1.* quod si negotiator trahit alteri negotiatori aliquam partitam solvendam in computum alterius, tunc solvens nullam habet actionem contrà trahentem, sed contra alterum ad cujus computum tracta facta est ac impleta, cum eius fidem solvens sequi dicatur, & hunc dicebant esse casum. 3

Scribens Ego prò Greppio actore, etiam cum sensu veritatis qualem causæ exitus quoque comprobavit, dicebam justitiam assistere dicto actori, quoniam in facto justificabatur, eum prius requisitum ex parte Pighetti pro dicto implemento illud recusasse in sola ejus fide, sed replicasse, quod eatenus id facturus erat, quatenus de hoc sibi daretur ordo per Cocchos illud tradentes per eorum litteras continentes dicta verba, *che haurāno suo fine*, per quæ scribentium, seù mandantium obligatio inducta dicitur juxtà stylum seù usum mercatorum, cui omninò deferendum est, quoniam verba mercatorum intelligenda sunt, prout ipsi intelligunt, quamvis juxtà regulas grammaticales diversimodè 4

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

modè intelligenda essent, undè eorum stylus pro lege servandus est *Buratt. dec. 419. n. 6. & 7. Greg. dec. 126. n. 1. cum seqq. Rot. decis. 154. n. 4. & 5. par. 7. rec. & sæpius.*

Quatenus verò pertinet ad auctoritates, quæ in contrarium deducebantur, dicebam de illa
9 *Burrelli*, quæ magis punctualis videbatur, nullam habendam esse rationem, Tum quia in eo casu diversæ facti circumstantiæ concurrebant, dum prætendebatur mandatarium excessisse fines mandati, Tum etiam quia *ex eodem consil.* constat in contrarium fuisse judicatum, Ac etiam quia licèt ille esset eruditissimus, ac doctissimus I. C. circa respicientia theoricam, nihilominus quoad praxim, præsertim verò in concernentibus negotiationem, ac usum mercatorum, utpotè semper uivens in paruo Oppido Oliveti eius patria, erat parùm versatus, ut eventus probauit, quoniam cum senio confectus ob eius eruditissima opera illud præsertim de præstantia Regis Catholici, Mundo cognitus redditus esset, atque per Proregem Neapolis euocatus ad munus judicis civilis M. Curiæ Vicariæ, in eo exercendo praxis non correspondebat theoricæ, ut sæpè contingit, considerando etiam, quod agebatur de suspecta auctoritate Consulentis ad pecuniam vel causæ affectionem.

Eademque suspicio cadebat circa reliquas auctoritates *Menoch & Cephal.* quæ nequè applicabantur ad casum, cum loquerentur de simp-
7 lici laudatore illius, quem creditor in fidejussorem debitoris acceperat, & sic in terminis longè diversis, dum in hac facti specie propter eius seriem, ac dicta verba videbatur, quod præfati rei conventi, non laudatores & approbatores dicendi essent, ut ab eis prætendebatur, sed principales mandatores, quorum fidem principaliter, ac rectè mandatarius sequutus fuerat, aliàs non soluturus.

Et nihilominus, ubi etiam dici debuissent laudatores ac approbatores, adhùc tamen, stante consvetudine mercatorum, quæ præsuppo 8
nebatur notoria, remanere debebant obligati, dum iidem *Cephal. & Menoch.* talem limitationem admittunt, ac etiam firmat *Ludovic. decis. Lucen. 33. num. 7.* Atque adaptabilis etiam videbatur altera limitatio deducta *ex text. in l. eleganter §. finaliff. de dolo*, ubi scilicet approbator, seù laudator est in dolo, quia sciret insufficientiam laudati, undè cum mendacio laudaverit, & hic præsupponebatur etiam casus, quod scilicèt malus vel periculosus status dicti Pighetti, ipsis Cocchis in eadem Civitate Anconitana negotiatoribus iam esset verisimiliter notus.

Ad conclusionem verò, de qua post *Gait. Burfatt. & alios Rocc. dicto respons. 14. lib. 1. num. 8.* dicebam eam de plano evitari ex defectu applicationis ad factum, cum dictæ auctoritates percutiant casum, in quo solvens seù implens tractam, principaliter sequatur fidem illius tertii, de cujus ordine, & pro cujus computo illam fieri dicitur, non autem trahentis, quia nempè simpliciter solverit absque alia protestatione, vel animi declaratione, secus autem ista accedente, ut occasione solutionis factæ *sub protextu* habetur *in Ianuen. d. præ.* cujus oppositum in præsenti erat, dum ut dictum est, actor principaliter, non Pighetti, neq; Platti sed præfatorum de cocchis fidem sequutus erat, adnotando in libris solutionem in computum scribentium, in quod tractam impleret, Atque reflectendo etiam ad solam veritatem, mihi videbatur, quod dicta resolutio esset justa, & benè fundata, cui proindè rei conventi acquieverunt solvendo, seù concordando, dum, quod sciam, causa ulteriorem progressum non habuit.

FINIS



# PARS II.
## DE
# CAMBIIS.
# INDEX
## ARGVMENTORVM
## IN DISCURSIBUS
## Qui habentur in hoc quinto Libro de Cambiis.


Disc. I.

*Romana Cambiorum.*

De Cambiis platealibus an valeant, ubi circulata, seu continuata sint de plateis ad plateas absque mixtura nundinarum, & in quo differant à nundinalibus; Qua occasione agitur de cambiorum origine, introductione, natura & continuatione.

Et quatenus cambia, præsertim platealia sint excessiva, redolentia magnum damnum debitoris, & respective lucrum creditoris, An ex hoc remaneant invalida & usuraria, vel potius sit locus eorum reductioni, seu moderationi.

Disc. II.

*Eadem.*

Data campsori facultate accipiendi & girandi super cambiis pecunias in vim scedulæ bancariæ per ipsum solvendas, An cambiare possit cum se ipso, & sine interpellatione. Et an talis facultas expiret per mortem naturalem vel civilem unius vel alterius ex contrahentibus.

De justificatione spacciorum; An præcise requiratur per exhibitionem litterarum in actis; Et an corresponsalis debeat esse Bancherius, ac litteræ seu tractæ debeant impleri per Bancum.

Et de libertate pecuniæ solvendæ scedulistæ pro eius reintegratione, ac de provisione scedulæ quanta sit.

Disc. III.

*Romana manutentionis.*

An cambium creari possit ex credito antecedenti sine pecunia numerata.

Et an substineatur cambium si pecunia data debitori, in alios usus creditori notos convertenda sit, ita ut hic certò sciat debitorem non posse cambiare in nundinis, ibique litteras implere.

Et de conversione cambiorum decursorum in sortem novi cambii, An subsistat, vel potius importet anathocismum.

Disc. IV.

*Camerinen. Cambii.*

An mandatum datum ad cambiandum seu girandum super cambiis, expiret per mortem mandantis vel mandatarii, Et qua occasione agitur de pluribus speciebus mandati dati ad cambiandum.

Disc. V.

*Viterbien. Cambii seu societatis.*

Debitore assumente in se onus cambiandi, seu girandi pecunias sub cambiis, ac facta ex conventione deputatione certi mercatoris, per quem cambium exerceri debeat; Si deinde creditor, ut debiti rem gratam faceret, eum liberet ab obligatione utendi opera dicti mercatoris, An exinde resultet omnimoda novatio, ita ut inducatur etiam liberatio ab onere cambiandi.

Dissoluta societate per mortem unius ex sociis, An & de quibus lucris, vel damnis socii defuncti hæredes debeant participare.

Disc. VI.

*Romana Cambii de Sfortiis.*

De justificatione realitatis cambiorum, an ad illam præcise sint necessariæ litteræ, ita ut sine illis alia fieri possit probatio, necne.

De simulatione personarum in isto contractu. Et an illa facultas, quæ data est mercatori, cum quo initus fuit contractus, suffragetur alteri non mercatori, cui creditor jura cesserit, seu ad cuius commodum mercator ab initio sub ipsius simulato nomine contraxerit.

De cambiis limitatis sub conventione, ut in casu moræ, seu in alterum eventum cesset limitatio, & cambia debeantur ad rationem currentium. An facto casu talis conditionis, requiratur nova intimatio, seu interpellatio debitoris.

Disc. VII.

*Romana pecuniaria de Benettis.*

De justificatione cambiorum jam solutorum, An fieri possit per confessionem, aliaque adminicula, & alias quam per scripturam ipsarum litterarum, seu spacciorum, quomodo & quando.

Disc. VIII.

*Romana Cambiorum de Sabellis.*

De cambiorum debito etiam absque spacciis, eorumque justificatione loco damnorum & inter-

esse ad cambiandi onus assumptum per debitorem per se ipsum, vel personam ab eo deputatam, Et quando id procedat.

Disc. IX.

*Romana Cambii de Mamfronis.*

An onus cambiandi assumptum per debitorem, obligatum proindè ad cambia etiam sine spaccius & justificatione realitatis loco damnorum & interesse, si est limitatum ad certum tempus, illo elapso duret, vel potius expiratum censeatur, ita ut in futurum dicta damna & interesse amplius non debeantur.

Disc. X.

*Romana cambii de Manutiis.*

De eadem materia cambiorum debendorum per debitorem etiam sine transmissione litterarum aliisque realitatis requisitis loco damnorum & interesse, ex eo quod ipse debitor cambiandi onus in se susceperit, quid ubi condicta susceptione oneris concurrit etiam facultas cambiandi data ipsi creditori.

Et aliqua de contractus cambii invaliditate, ex eo quod creditori innotescat debitorem suscipientem pecuniam, illam in alios usus conversurum esse, neque posse in nundinis litteras implere.

Disc. XI.

*Romana pecuniaria de Vecchiis.*

De fructibus seu cambiis debitis absque cursu & justificatione spacciorum loco damnorum & interesse ob non impletum onus ab ipso debitore susceptum, Et an istud limitatum ad certum tempus remaneat ultrà illud operativum, Et de aliis ad hanc materiam.

Disc. XII.

*Ravennaten. seu Faventina cambii.*

An facultas cambiandi data creditori operetur, ut iste cambiare possit cum se ipso sine speciali mentione. Et quatenus hæc non adesset, An sufficiat præsumptiva probatio, deducta præsertim à solutione cambiorum, & solidatione computorum, Et an ad justificationem cambiorum sufficiant solùm primæ litteræ nuncupatæ *dell' Andatta* absque eo quod doceatur de aliis responsivis nuncupatis *del Ritorno*.

Disc. XIII.

*Romana pecuniaria seu cambiorum.*

De probatione mandati, seu facultatis accipiendi ad cambium, & girandi seu continuandi super cambiis, quomodo sufficienter facta esse dicatur, ut cambia debeantur.

Disc. XIV.

*Romana partitorum.*

De facultate data socio administratori accipiendi pecunias ad cambium pro negotio sociali explendo in certo casu, An exerceri possit absque intimatione consocii, quod casus evenerit, quem ille credere poterat non evenisse.

Si socius ut extingueret cambium limitatum iniit in præjudicium negotii socialis cambium rigorosum, An substineatur actus ad limites prioris cambii limitati, ita ut ad eam rationem cambia deberentur necne; Et an facultas accipiendi ad cambium in solo casu indigentiæ possit exerceri prius quam indigentiæ casus veniret, ac præventivè, ut eveniente casu pecunia esset prompta, Et aliqua de clausura nundinarum.

Disc. XV.

*Romana cambii de Vanninis.*

Stante pacto, quod super cambiorum justificatione stetur libro & scripturæ ipsius creditoris, An hic teneatur suum librum, seu scripturam exhibere, atque exinde justificare cursum & realitatem cambiorum, quamvis exhibeat spaccia, & faciat justificationem per litteras reditus.

Disc. XVI.

*Romana census.*

De cambiis limitatis cum pacto, & debitore aliquid non implente, cesset limitatio, ita ut debeantur cambia currentia, num valeat, Et quatenus sic, An facto casu nõ implementi, requiratur nova debitoris interpellatio, Vel an per subsequentem receptionem implementi censeatur id remissum, ita ut non debeantur cambia, nisi ad rationem limitatam.

Disc. XVII.

*Romana cambiorum seu repetitionis.*

De cambiis ab initio limitatis ad certam summam, & ita exactis, An restitui debeant, quatenus cursus nundinarum tanti non importasset. Et quid ubi super dicto cursu esset diversitas inter nundinas, & plateas, cuius sit electio, An debitoris, vel creditoris.

Et debitore in se assumente onus transmittendi spaccia & girandi cambia debeantur loco damnorum & interesse, An in istorum calculo haberi debeat ratio provisionum, vel potius istæ sint detrahendæ.

Disc. XVIII.

*Romana Cambii de Biscijs.*

An contractus cambii sit licitus clericis, Et quatenus non, An id impediat cursum cambiorum, ne à debitore peti valeant.

Si campsor, qui deputatus est ad transmittenda spaccia, aliaque gerenda cambii girum concernentia, efficiatur ex cessione creditoris eiusdem cambii dominus, seu utilitarius, an ex hoc cessata dicatur eius facultas, stante quod in contractu data non est facultas creditori cambiandi cum se ipso.

Disc. XIX.

*Romana continuationis cambii.*

An post restitutam sortem possit creditor continuare sub cambiis & recambiis fructus seu cambia quæ remanerent debenda.

Disc. XX.

*Romana seu Bononien. litterarum cambii.*

Cujus periculo cedat decoctio, An mandantis seu scribentis litteras cambii post illarum acceptationem, vel mandatarii qui litteras acceptavit & adhuc non implevit, Vel eius in cuius gratiam scriptæ sunt.

Disc. XXI.

*Romana litterarum cambii.*

An & quando adjectus, cui litteræ cambii solvendæ sunt in casu non implementi à mandatario, teneatur protestari, aliasq; diligentias facere contra istũ, ut contrà scribentem, seu mandantẽ habere

bere possit regressum : Et de differentia litterarum cambii, quæ scribuntur per Italiam, ab illis quæ scribuntur per Hispanias; Et de voto *Corduba* super cambiis Hispaniarum.

### Disc. XXII.

*Neapolitana litterarum Cambii.*

De regressu competente contra scribentem litteras cambii ob illas non impletas à mandatario, An & quando cesset ob protestationem non factam in tempore, præsertim, in Regno Neapolitano stante dispositione *pragmaticæ 6. de litteris cambii*, & de processu exequutivo desuper competente.

### Disc. XXIII.

*Bononien. Cambii.*

Onus cambiandi susceptum per debitorem seu receptorem pecuniæ ad certum tempus seu certas nundinas, An duret in futurum donec pecunia restituatur, potissimè dum partes, verbis, & factis id agnoverunt.

Onus prædictum an cesset per mortem debitoris, seu suscipientis; & qualem contractum contineat hæc susceptio pecuniæ ad cambiandum.

An sit illicitum cambium, ubi dator pecuniæ scit illam per recipientem in alios usus esse convertendam, & de expensis provisionum, An & quando cedant necne ad commodum creditoris, vel potius à cambiis defalcari debeant. Et si aliquid plus ob cambia solutum est, an ipso jure imputetur in sortem.

### Disc. XXIV.

*Roma locationis venæ.*

An in cambio detur usura ob mixturam alterius contractus seu ratione certi lucri. Et quatenus detur, an talis mixtura, ex qua resultet usura, vitietetiam ipsum cambium, vel potius, illo valido permanente, illa vitietur.

### Disc. XXV.

*Romana seu Neapolitana litterarum cambii.*

An & quando decoctio mandantis, seu scribentis litteras cambii cedat damno mandatarii, seu corresponsalis, qui illas acceptavit, vel potius adjecti, cui earumdem litterarum implementum fieri debebat, ac solutio facta est.

### Disc. XXVI.

*Ariminen. litterarum cambii.*

An scribens litteras cambii teneatu de casu decoctionis mandatarii, seu corresponsalis cui directę sunt eas non implentis, si creditoris vel adjecti, cui solutio facienda erat fuit negligens in præsentando, & exigendo litteras, & non certiorando scribentem de renuentia.

### Disc. XXVII.

*Sopra la validità de i cambii di Piazza.*

In che differiscano da quelli di fiera, fatto in occasione della disputa havuta in Signatura di Gratia nella causa *Romana Cambiorum* tra la ragione bancaria di Filippo Valenti, & il Marchese Raimondo, della quale si tratta di sopra *al disc. 1. & 2.* & con la quale occasione si discorre di motte specie de' cambi, Et quando in essi entri il sospetto dell'Usura.

# INDEX CAVSARVM

Hoc titulo de Cambiis, ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

A


ARiminen. litterarum cambii discursu 26. fol. 61.


B


BOnonien. cambii, d. 23. fol. 50.


C


CAmerinen. cambii, d. 4. fol. 14.


N


NEapolitana litterarum cambii, disc. 22. fol. 54


R


RAvennaten. seu Faventina cambii, disc. 12. fol. 32.
Romana Cambii de Biscis, d. 18. fol. 45.
Cambii de Maufronis, d. 9. f. 27.
Cambii de Manuccis disc. 10. fol. 29.
Cambiorum de Sabellis, d. 8. fol. 24.
Cambii de Sfortiis, d. 6. f. 19.
Cambii de Vanninis, d. 15. f. 39.
Cambiorum, d. 1. f. 1.
Eadem cambiorum, d. 2. f. 7.
Cambiorum seu repetitionis, discursu 17. fol. 42.
Census, d. 16. fol. 40.
Continuationis cambii, d. 19. f. 46.
Litterarum Cambii. d. 21. f. 49.
Seu Bononien. litterarum cambii, discursu 20. fol. 47:
Seu Neapolitana litterarum cambii, discurs. 25. fol. 56.
Locationis venæ, d. 24. f. 55.
Manutentionis, d. 3. f. 12.
Partitorum, d. 14. f. 36.
Pecuniaria seu cambiorum, d. 13. f. 34.
Pecuniaria de Benettis, d. 7. f. 22.
Pecuniaria de Vecchis. d. 11. f. 30.
Sopra la validità de i cambii di Piazza, disc. 27 f. 64.


V


VIterbien. cambii, d. 5. f. 16.

TH. LUCA

Th
466a

